II. /147.

MODRZEWSKI Andrzej FRYCZ

Andreae Fricii Modrevij Commentariorum de Republica emendanda libri quinque; quorum primus, de moribus, secundus de legibus, tertius de bello, quartus de ecclesia, quintus de schola....
Basileae [1554] J. Oporin 4° s. 388, 9 n l b.

EST-1985

Le Prince Michel Radzivill
Castelan de Vilna &c.

147

ANDREAE FRICII Modreuij Commentariorum de Republica emendanda Libri quinque: Quorum

PRIMVS, DE MORIBVS.
SECVNDVS, DE LEGIBVS.
TERTIVS, DE BELLO.
QVARTVS, DE ECCLESIA.
QVINTVS, DE SCHOLA.

AD REGEM, SENATVM, PONTIFICES, Presbyteros, Equites, populumq; Poloniæ, ac reliquæ Sarmatiæ.

Cum gratia & priuilegio ad quinquennium.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum. 1554

MUZEUM
NIEBORÓW

ANDREAS FRICIVS MODREVIVS SIGISMVNDO AVGVSTO REGI POLONIAE, MAGNO DVCI LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MAZOVIAE QVE DOMINO, ET HAEREDI, S. D.

OSTEAQVAM patri tuo, Regi uirtute & imperij gloria clarissimo, ac in omni dignitate principi, in magnum hoc & amplum imperium successisti, SIGISMVNDE Auguste rex: sanè quàm, pro eo ac debui (dicendum enim quod res est) solicitus esse cœpi, quo nam modo tantam rerum molem ferre ac sustinere posses. Etenim si rẽ uerè existimes, difficillimum est rectè imperare. In hac uerò temporum perturbatione, tot tãtisq; nationibus & sermone, & lege, & more, et ordinibus, & religione discrepantibus, rectè & ordine imperare, longè difficilius. Augebant solicitudinem nostram stridentes undiq; malorum procellæ, turbines, ac tempestates. Nam & Eous nobis minitabatur bellum, & Occiduæ undæ æstibus suis feruebant: & quocunq; aspexisses, tuti nihil, formidanda omnia nunciabantur. Ad hæc undæ malorum domesticorum adeò immoderatione impunitatis & licentiæ exundarant, ut, nisi Deus nos respexisset, uix quicquam firmum fuisset ad illas in alueum reducendas, ac continendas. Sed factum est Dei beneficio, ut externa iam lętiora habeamus. Nam omnes qui metum nobis incutere uelle uidebantur, partim sponte sua, partim tua opera, ad amicitiam tuam se aggregarunt. Domesticis etiam malis medicina adhiberi cœpta est. Sed nisi ei summa manus imponatur, ipsaq; malorum semina nisi extirpentur, incassum abibit labor omnis. Facilè enim renascuntur, & uires sumunt pristinas, quæ radicitùs non fuerint euulsa. Et quoniam oratio hæc hominis est nonnihil in schola uersati, fas mihi sit quæso, ex studijs nostris ea afferre, quæ seruiãt proposito: in primisq; uerba illa usurpare, quibus Agamemnonem regem Iupiter, Somno internuncio, affatur, sic inquiens:

Tota nocte uirum regem dormire pudendum est,
Cui pōpuli, cuius commissa negotia curæ Maxima sint. —

Quamobrem & tibi uigilandum est, ut facis, Rex: ac pro repub. consilio & labore excubandum: studiaq; omnia, cogitationes & curæ in ijs rebus ponendæ, quibus clauum tanti imperij in maximis fluctibus tenere, & amplissimas ditiones in summis rerum difficultatibus tueri ac gubernare possis. Ad quam rem multa sunt quæ te

MUZEUM MIEDZIANKA

hortentur,Rex: ſed in primis Reſpub. ipſa, multis in partibus perturbata. Nam & leges habet nonnullas, quæ iampridem multam emendationem expoſcant: & iudicia ſunt talia, ut maior in eis ſeueritas deſideretur: & in moribus eius permultis diſſolutio, leuitas, & uanitas magna apparet. Ipſa igitur Reſp. abs te optat, hãcq; tibi, poſt initum abs te regnum, neceſsitatem imponit, ut hæc corrigas, ac reſtituenda tibi exiſtimes. Soleo ſæpe & mecum ipſe tacitus reuoluere, & cum amicis crebris ſermonibus uſurpare, generis tui in Polonicis his oris imperij exordia, progreſſus, & ſucceſsiones. quo pacto proauus tuus primùm in hoc regnum ſit ingreſſus: quid ille, quid item alij ab illo prognati, alius poſt alium, regia prædiți dignitate, pro Repub. geſſerint. Video illos & in armis claros fuiſſe, & in toga res fœliciter geſsiſſe. Populos ſuos ab hoſtibus defenderũt: nationes infectas uel profligarunt, uel in fidem & tutelam ſuam receperunt: uictorias multas obtinuerunt: imperium hoc & auxerũt, & conſeruarunt. Neq; uerò in Sarmatia tantùm, ſed in Hungaria, Boœmia, Sileſia, Morauia, rerum habenas rexerunt: populosq; illos uario quidem Marte, ſed tamen incredibili uirtute, temporibus periculoſiſsimis, cùm ab alijs hoſtibus, tum à Turcica immanitate tutati ſunt. Atq; utinam Deus conſilia & res tuas, Rex, proſperet, ad quem cõtinuatio hęc, ſeriesq; imperij ab illis prorrecta eſt: ut tu uirtute, qua maiores tui uſi ſunt, imperium hoc conſerues, ac ſaluũ & integrum poſteris tradas. Hoc præſtare nequaquam potes, niſi & domi morum grauitate, legumq; ac iudiciorum ſeueritate Rempub. adminiſtres: & foris eandẽ ab hoſte fortiter tuearis. De quorum ſingulis, ſingillatim à me ſcriptum eſt: idq; pro mea facultate oſtenſum, quod uel rectum uideretur, uel medicinam morbis tum nouis, tum inueteratis facere poſſet. Cùm autem ſperarem nõ ingratam tibi fore hanc commentationem noſtram, uolui eam tibi cognoſcẽdam proponere, atq; in tui nominis auſpicio in apertũ proferre: euentum quidem rei, Deo ipſi, uti decet, permittendo. Rem difficilem ſuſcepimus, & quæ perſonę meæ uideri poſsit parum cõuenire: ſed ſcholæ, cuius partes mihi ſumpſi, hoc ſemper datũ fuit, ut de rebus quibuſuis diſſereret. Non dubito autem, quin, ſi quid ſecus quàm res exigat, à me uel per negligentiam, uel per inſcitiam tractatum ſit, te mihi indulgenter cõdonaturum. Faciles enim ſunt lapſus in rebus magnis: in quibus tamen conatus ac uoluntas non temerè reprehendi ſolet. In qua perſuaſione, ſic mihi cœptam exhortationem continuare libet. Multæ inſidiæ, multæ fraudes quotidie imminent innocentibus: improborum magnus ubiq; numerus: pauperes, mãſueti, imbecilles, opprimuntur à diuitibus, audacibus, robuſtis. Horum probra minasq; audire, tumidos inflatosq; uultus uidere, ſtrictos gladios ſpectare, fuſtes, uulnera & cædes fer

re

re coguntur. Tantam immanitatem, tãtorum ſcelerum tamq; atrocium crimina à capite fortunisq; ciuium tuorum propulſare nõ potes Rex, niſi morum, legum, iudiciorum emendatione, animaduerſioneq; iuſta, debita, & ſceleribus conſentanea. Auctus es ultra paternum nomen Auguſti nomine, Polonis quidem inſueto & nouo, ſed tamen & grato, & ſecundi ominis pleno: quo Octauius imperator Romanus primus appellatus eſt, ſeu ab augurio, ſeu ab augendo imperium. Et certè Octauio auguſtum hoc nomen fuit, quod aucto imperio Romano ex uirtute illi partum erat. A' te uerò, Rex Auguſte, expectatur, ut tuum augeas imperium, non tam prouinciarum ac regionum acceſsione, quàm ſanctis moribus, ſeueris legibus, honeſta diſciplina. Multi affectantes regna externa, ſua periculis infinitis ſubiecerunt. Et eſt in ipſa cupiditate regnandi, inſatiabilitas quædam immenſa, ſi in animum ſui impotentẽ incidit. Porrò nihil eſt beatius, animo ſua ſorte cõtento. Tibi uerò imperium obtigit hereditarium, idq; ampliſsimum. Hoc ut Auguſte augeas, & ornes, contendere debes: idq; noua quadam ratione, ut nomen hoc nouum eſt regibus apud nos, plebiq; inauditum. Non hoc dico, ut te eſſe uelim illum qui

Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris.

Nam hoc nemo unquam perfecit: nec fieri poteſt: nec eſt rebus mortalium utile. tametſi innumeri fuerint, qui regionum amplitudine gloriam ſibi dilatare cuperent. Sed ut (quod olim de Sparta prouerbio iactatum eſt) quam nactus es Sarmatiam, eam tuearis, excolas, & omni uirtutum genere exornes. In primis autem, ut decet ueræ uirtutis amatorem, artes quibus liberales doctrinæ continẽtur, ſtudio, liberalitate, & officijs tuis complectaris. Inſunt enim in artibus illis fontes & cauſæ ſapientiæ, uirtutum, legum, & honeſtæ diſciplinæ: quæ omnia quàm regno & prouincijs tuis neceſſaria ſint, non ignoras. Tuum eſt igitur, moribus corruptis ſubuenire, legibus emendandis operam dare, labenti diſciplinæ ſuccurrere: neque committere, ut per tuam negligentiam aditus ad nos hoſtibus externis aperiatur: qui certè maximè patefit moribus perniciosis, crudelitate, iniuſtitia, & alijs inteſtinis ac domeſticis ſceleribus.

Cùm autem præcipuum Reipub. fundamentum ſit, uitas hominum à cædibus iniuſtis tueri: ideo ſententia illa abs te, ætate ineunte de puniendis homicidis dicta, & à nobis in Laſcio copioſè explicata, iam tandem tibi exequẽda eſt, & uſurpanda. Dediſti illam ſententiam tanquam obſidem, tuæ in Rempub. præclaræ uoluntatis. Itaq; uide ut expleas expectationẽ diutuni deſiderij noſtri: eaq; ad exitum perducas, quæ & tibi decus, & nobis iucunditatem pariant ſempiternam. Occiſus eſt annos abhinc propè uiginti Zagorius à Parnicio, Petricouiæ, in cõuentu ordinum omnium. Quod, Rex,

pater tuus grauiter tulit,ut debebat. cædes enim tantùm non in cõ-
ſpectu illius commiſſa uidebatur. Cupiebat Rex homicidam uel ex
luſtris,in quibus latitaret,extrahi: uel à fuga,in quam ſe fortè dediſ-
ſet,retrahi: moxq; comprehẽdi & puniri, niſi legibus patriæ impe-
diretur. Audiuimus tum,queſtum illum grauiter fuiſſe rei indigni-
tatem. Verùm inanes queſtus erant,quos punitio debita nõ ſeque-
batur. Quot anni interea fluxerunt,quibus regnũ hoc ſanguinolẽ-
tum uiget: & ut imperante patre, ita te Rege, ſanguine redundat?
Sanguis effunditur: nec ſacris,nec profanis locis parcitur: nihil eſt
tuti à ferro: libidini paſsim ſeruitur,fiducia numorũ,& carceris ali-
quot hebdomadarum. Quid igitur? expectas ne Rex,ut curia & ar-
chiuum ſanguine impleantur? Dij auertite hanc extremam peſtem.
Omnino lenitas hæc Dei diuturna,ſpem nobis facere non debet im
punitatis: quę quidẽ lenitas prudentes & intelligentes excitare po
tius ad pœnitentiam & reſipiſcentiam deberet. Verè dixit Ethni-
» cus ſcriptor: Lẽto quidem gradu ad uindictam ſui diuinam proce-
» dere iram,ſed tarditatem pœnæ grauitate cõpenſare. Et Deus ipſe
edixit,ſe parẽtum iniquitatẽ perſequuturum in filijs,nepotibus, &
pronepotibus. Vide igitur Rex, ne diuturnæ patientiæ irã in nos,
ac in te etiam effundat tandẽ Deus: uertatq; in cumulũ condẽnatio-
nis noſtræ,tot ſeculorũ manſuetudinẽ, niſi reſipiſcamus, errata tẽ-
porum retroactorũ corrigamus, legẽ diuinam in noſtrã Rempub.
recipiamus,nosq; ad illius præſcriptũ totos componamus. Quod
quidẽ ut fiat,in manu tua, Rex, maximè poſitum eſt. Sunt enim &
in Senatorio,& in Equeſtri,& uerò in omni ordine ſacro profano-
que quamplurimi,qui legi,qua de agimus,eum cupiant dari locum
in noſtra Repub. quem rebus omnibus diuinis: hoc eſt, ſummũ &
honeſtiſsimũ,qualis ſcilicet decet authorem earũ Deum Opt. Max.
Cuius religione pura & ſyncera neglecta,nihil in Repub. præclari,
nihilq; ſolidi & conſtantis ad perpetuitatẽ conſtitui poteſt: quẽad-
» modum ipſemet præcipiẽdo dicit, Primùm quærendum eſſe regnũ
» Dei, & tum fore ut omnia adijciãtur nobis. Quòd ſi fortè ſcelus &
ambitio aliquorũ ea fuerit, quæ tua cõſilia impedire uelit: ne dubi-
ta uiuere Deum, qui proſternat hoſtes ueritatis ſuæ, quiq; bonorũ
uirorũ ſtudia tibi adiungat: modò tu rẽ fortiter aggrediaris, teq;, ut
decet,principẽ ad tantã rem profitearis. Ego quidẽ ſpero breui fo-
re, ut Chriſtus populi ſanguine ſuo redẽpti miſereat: & illos ipſos
carbones ignis,quibus tot ſecula miſeri homines adurebantur, co-
aceruet tandẽ in capita eorũ,qui, ut ex ſua libidine agerẽtur omnia,
& Dei iuſſa, & proximi amorem,& omnes æqui ac honeſti
cauſas abiecerunt. Vale. Calendis Martijs,An-
no 1551. Cracouia.

ANDREAS FRICIVS MODREVIVS

SECRETARIVS REGIVS, SENATVI, PONTIFI cibus, Presbyteris, Equitibus, populo'que Sarmatico S. D.

OS ETIAM, uiri Sarmatici nominis, decet, ut operam hanc uobis huicq̃ Reipub. nauatam, boni consulatis: ipsi quoq̃ cõmodis priuatis omissis, in Remp. omni animi impetu incumbatis. Non eædem sunt partes, non eadẽ facultates omniũ in Rep. Alij sunt cũ potestate, alij priuati. Sunt qui consilio opẽ ferre possint Reipub. sunt qui re ac opere: quibusdam & res deest, & consiliũ. Quisq̃ igitur pro officio ac munere suo, proq̃ facultate rerum, ingenij, consilij, gratiæ, studeat Reip. Quibus hæc desunt, hi uoluntatẽ adferant promptã & alacrem: faciant uota: hortentur uerbis: excitent laudibus: prosequantur gratis animis ac bonis ominibus laborantes pro Repub. in qua nimirũ res priuatorum omnes contineri putandũ est: & ad quam iuuandam hoc quicquid est cõscripsimus, ac uobiscum communicandũ duximus. Omnes cogitationes meas ad precationem illam dirigebã, qua nos uti uoluit magister morũ, uitæq̃ largitor CHRISTVS IESVS: qua quidẽ precatione petimus à Patre cælesti, ut sanctẽ colatur nomẽ suum, utq̃ fiat uoluntas sua, ut in cælo & in terra. Nihil à me odio, nihil gratiæ datum, nullus personarum respectus habitus est: sola ueritas quæsita, honestas, & utilitas publica. Plus nimiũ & nostræ nationi tribueret, & aliarum gentiũ iudicijs detraheret, qui nostræ gentis omnia admirans tanquã bene constituta, aliena cõtemneret, ceu rebus humanis minimè idonea. Atq̃ hunc ego talem nolo libri nostri lectione occupari. Legat sibi domi suæ nata, celebret laudibus res moribus legibusq̃ nostris usitatas. Noster uerò liber postulat hominẽ syncero, liberali, & prudente iudicio, qui alios non contemnat: quiq̃ nec sui amore, nec alicuius odio ducatur rebus perpendendis ac deligendis. Obuersatur mihi animo iusiurandũ, quod, cùm in eorũ collegiũ qui sunt Regi à secretis cooptarer, dedi: me (id enim in formula continetur) Regẽ, & eos qui sint cum potestate, cùm de noxijs, tum de utilibus ac honestis rebus, Reiq̃ publicæ necessarijs, quæ mihi quidem cognitæ forent, nequaquã celaturum esse. Facio igitur pro uirili, quod sanctè facturũ me recepi. Et morũ, & legum, & iudiciorum uitia ostendo: ordinũ diuersorum & actionũ abusus demonstro: ac rationẽ in uiam redeundi patefacio. Permulta fortasse ex schola magis, quàm ex aula afferro: sed quæ tamen Reipub. minimè inutilia essent, si reciperentur. Assequutus ne sim quod uolui, iudicent boni & eruditi uiri. Nam malorum quidem & indoctorum iudicia, negligenda sunt homini bene cupiẽti Reipublicæ. A uobis itaq̃ etiam atq̃ etiam peto, ut quod benignè & gratuitò uobis offertur, gratis animis excipiatis. Id & humanitas postulat, & gratitudo: id requirit remunerationis uicissitudo, ab alio ut expectes, alteri quod feceris. Valete.

ANDREAE FRICII MODREVII AD REGEM, SENATVM, PONTIFICES, PRESBYTEros, Equites, populumq; Poloniæ, ac reliquę Sarmatiæ, Commentariorum De emendanda Republica, Liber I. qui est De Moribus.

PRAEFATIO.

VIRES ab alijs tractatas scribere ipsi aggrediuntur, duplici nomine sua scripta commẽdare student: uel certius aliquid à se allatum iri pollicendo: uel quæ rudius ab alijs explicata sint, ea uerborum & sententiarum luminibus illustrando. Ego uerò, etsi nec inuentis eorum qui de Repub. scripsere, certius quicquam à me afferri posse sperarem: nec orationis copiosæ & elegantis ornatu abundarem: tamen hoc argumentum ideo tractandum suscepi, ut hominibus nostris quasi in una tabula proponerem, quæ mihi in nostra Repub. emendanda uiderentur. Non quòd ab alijs *id melius* & locupletius præstari posse dubitarem: sed ut *ipse* pro mea parte Reipub. seruirem. *Est enim* hoc, ut mihi uidetur, hominis literarum studiosi, cogitationes suas de ijs rebus, quę uel prosint uel obsint Reipub. cum alijs communicare: eosq; uel ad probandum ea quæ dixisses, uel ad improbandũ, excitare. Sic enim sperem futurum, ut ij penes quos est potestas, multorum uocibus & quasi suffragiorum conspiratione ad ea quæ recta sint, præcipienda, ea autem quæ peruersa, uetanda, facilè impellantur. Iam cum nihil unquam tam perfectũ ab ullo artifice prodierit, quin à posterioribus uel additum sit aliquid in opere illius, uel mutatum, uel diligentius elimatum: ne id quidẽ deterrere nos, aut quenquam debet, ut otio torpescentes, non debeamus ad ea manum admouere, in quibus alios uidemus multum ante nos laborasse. Necq; uerò sum nescius, non omnibus me hac tractatione nostra satisfacturum esse, qui in multis ne mihi quidem ipse satisfaciam: uerumtamen dabimus fortasse alijs, aliquid certius perquirendi, occasionem. Et tamen conquirere me omnia studuisse, quædam etiam fortasse inuenisse, intelligent, qui librum hunc nostrum legerint. Quòd si nihil noui à nobis allatum esset: tamen rectam uel sequi uel inquirere sententiam, iucundum est homini bene cupienti Reipublicæ. Necq; me offendet, si cui non omnia probabuntur, quæ scripsi. C. Lucilium, hominem Romanum, dicere solitum accepimus, ea quæ scripsisset, necq; ab indoctissimis, necq; à doctissimis legi uelle: quòd alteri nihil intelligerent, alteri plus quàm ipse, qui scripsisset. At mihi nihil optabilius, nihilq; iucundius esset, quàm si cogitata

gitata hæc noſtra à doctiſsimis quibuſq; legerẽtur: ut ſi minus probarent quæ ſcripſiſſemus, haberent anſam uel reprehendendi noſtra, uel ea inueniendi quæ nos latuere. Multas enim in Repub. noſtra eſſe & conſuetudines & leges, quę emẽdationis indigeant, permulti ſciunt. Nos uerò non eam tantùm partem quæ ad leges pertineat, ſed totam Rempub. complecti uoluimus: quid́q; de omnibus partibus ſentiremus, oſtendimus. Et ego quidem in tenui fortuna natus, agnoſco, nec opis aliquid in me, nec præſidij in authoritate mea eſſe Reipublicę: uerumtamen facere non poſſum, quin illi pro uirili & appellando omnes ordines, & hortando ſcriptis meis operam præbeam. Quod officium noſtrum utinam eo animo accipiatur à bonis uiris, quo à nobis præſtatur. Nihil enim ambitioſe, nihil nouarum rerum cupiditate, ſed omnia Reipub. ſtudio à nobis & dicuntur, & ſcribuntur. Quòd autem res peruulgatas nonnullas tracto, ab alijśq; uel fuſe deſcriptas breuiter attingo, uel ſtrictim indicatas copioſius explico, id methodi cauſa à me factum eſt: qua ad id peruenire uolui, quod mihi in primis tractandum proponebam. Et fortaſſe uidebuntur alicui nõnulla quæ ſcripſi, talia eſſe, quæ hoc rerum ſtatu facultatem uix habere poſsint. Sed enim mihi illa ratio fuit, bonis ſcriptoribus arte & uia aliquid tractantibus (quos, quantum poſſum, ſtudeo imitari) uſitata, ut nõ tam ad tempora, & ad ſtatum preſentem, quàm ad rerum naturam reſpicerem. Neq; enim hominum arbitrio, neq; conſenſu, iuſtum & iniuſtum, bonum & malum ſecernũtur. Nunquam iuſtum erit, hominem innocentem occidere, falſum teſtimonium dicere: nunquam iniuſtũ, gratiam benemerenti referre, ius ſuum cuiq; tribuere: quamuis uel hæc ſuffragijs hominum & conſenſionibus probarentur, uel illa improbarentur. Sed quemadmodum homo ipſe, equus, arbores, & res aliæ conditæ, natura conſtant, non hominum arbitrio: ita iuſtũ & iniuſtum non in hominum opinionibus, ſed in rerum natura poſita ſunt, inſcriptaq́; diuinitùs in cordibus hominũ. unde ipſi nõ ſermonibus tantùm uoce prolatis, ſed cogitationibus etiam tacitis & accuſant ſe mutuò, & defendunt: quemadmodum à Paulo illo cœleſtis doctrinæ nuncio & ſcriptore proditum extat. Multa ſcripſi ex ſententia hominum prudentiſsimorum, quædam arbitratu meo tractaui: ac in præceptis illam operum perfectionem præſcripſi, à qua me longiſsimè ſeiunctum eſſe non ignoro. Verùm quid uetat, quo minus uel præſcribam mihi ipſe quod alijs præſcribo: uel (ut inquit ille) —*Fungar uice cotis, acutum*
Reddere quæ ferrum ualet, exors ipſa ſecandi?
Multis etiam uiam & rationem fortaſſe non ineptam indicaui, qua & ipſi commentaria huiuſcemodi conficiant, in quæ cõportent materiam aptam uel ex aliorum ſcriptis, uel ex ſuis ipſorum inuentis.

Diligentiam quidem, ſtudium & laborem inueſtigandis iſtis tantū adhibui, quantum potui maximum: cæterùm, euentū & ſucceſſum rei totum Deo permittere, æquiſsimum eſt: ſine cuius ope nullus humanus, quamuis magnus, conatus, ad effectum perduci poteſt. Quòd ſi uoluntas ſola in rebus magnis laudem meretur, exiſtimo hoc officium noſtrum, cum uoluntate benemerendi coniunctum, minimè uituperandum eſſe. Seruaui etiam illam legem, ut uitijs notandis neminem nominarem: ita ut nemo mihi iraſci poſsit, niſi ſe prius alicuius uitij reum confiteatur: conſcientiaq; alicuius probri perculſus, accuſet ueritatis emerſionē. quemadmodum noctua, ut eſt in fabula, ſolem orientem accuſauit: cuius nimirum radios oculis ſuis nullo modo poſſet contueri. Et tamen ut ſolis exortus ſummas & infinitas commoditates affert uitæ mortalium: ita ueritas, quoties prodit ex tenebris errorū, maximis beneficijs afficit & ornat res hominum, deorumq;: cùm quidem error uel inueteratus, quemadmodum malum bene poſitum, fœditatem in ſe ſemper incluſam habeat: quāuis diu toleretur, & à nemine moueatur. Porrò, qui ueritati prodeunti non aſſurgat, nec eam debita obſeruantiæ complectatur, ſed & reſpuat, & auerſetur: quem putabimus eum eſſe, niſi illius parentis prolem, qui mendax eſt? mēdaciumq; à ſuis filijs coli uult unicè, ut eos tandem conſortes faciat regni ſui? Sed nos præfatione omiſſa, de re incipiamus dicere.

CAPUT I.

Reipublicæ definitio.

PLACET igitur, quod uiri doctiſsimi in omni diſputatione cenſent fieri oportere, ut rei, qua de acturi ſumus, uim & naturam in primis deſcribamus: definitionemq; ab illis traditam, qui hoc genus argumēti ante nos tractarunt, uſurpemus. Definiunt enim illi, Rempub. eſſe concilia, cœtusq; hominum iure ſociatos, ex multis uicinijs perfectos, & ad bene beateq; uiuendum conſtitutos. Non enim Reip. nomine una familia, aut una domus appellatur. Hæc enim eſt res priuata, ſuoq; nomine dicitur res familiaris ac domeſtica: & eò pertinet, ut familia ac omnes domeſtici unà uiuant, mutuasq; operas conferant ad res uitæ neceſſarias. Qui primus eſt, ac imperium habet in eiuſmodi familiam, uocatur Paterfamilâs. Porrò ex familijs, & multis domibus, uici cōſtituuntur: ex uicis uerò ac pagis, conflatur hæc ciuilis communio, quam Rempub. nominamus. Ac hominem quidē ad eiuſmodi cœtus & congregationes colendas & celebrandas aptiſsimū eſſe, ratio & ſermo indicant. Hæc enim beneuolentiam hominum inter ipſos maximè conciliant, quæ præcipuum eſt uinculum huius tam latè patētis ſocietatis: in qua qui uiuūt, operas ſuas omnes, ſtudia, laborem, dili-

diligẽtiã & induſtriã conferre eò debẽt, ut bene ſit ciuib. omnibus, utq; uitam omnes uiuere poſsint beatam. Habet enim ſe Reſpub. tanquam corpus alicuius animantis unum, cuius nullum membrũ ſeruit ſibi ſoli: ſed & oculus, & manus, & pedes, & reliqua membra in commune quaſi conſulunt, muneribusq; ſuis ita fungũtur, ut bene ſit toti corpori: quo nimirum bene habente, membris quoq; bene eſſe: incommodè uerò habente, membra quoq; incommodis afſici neceſſe ſit. Et quemadmodum, ſi quod membrum à corpore auulſum fuerit, nõ amplius ſuo nomine dignum eſt, propterea quòd nec uiuere, nec officio fungi poſsit, niſi corpori adiunctum ſit: ad eundem modum, nemo ciuium extra Remp. cõmodè uiuere poteſt, aut munus ſuum exequi. Neq; enim Rex regio munere, nec ullus magiſtratus officio debito fungi, nec aliquis priuatorum ſuauem et tranquillam uitam extra Rempub. diu agere poteſt. Quòd ſi quis eſt, qui ſine ſocietate hominum uiuere queat, neminecq; indigens ſe ipſe contentus ſit: is non ciuis, ſed uel bellua, uel Deus putãdus eſt, inquit Ariſtoteles. Sit igitur finis hic Reipub. ut ciuibus omnibus bene beatecq;, hoc eſt (ut Cicero interpretatur) honeſtè rectecq; uiuere liceat: ut dignitate ac commodis cuncti augeantur: ut pacatã & tranquillam uitam omnes degant: ut quiſq; ſuum tueri ac tenere poſsit: ut ab iniurijs & cædibus nemo non ſit quàm tutiſsimus. Harum enim rerũ cauſa ciuitatũ ac Rerumpub. præſidia quæſita ſunt. Ariſt. Polit. 1.

CAPVT II.

Reipublicæ diuiſio.

RES autem memorantur à philoſophis formæ Rerump. quibus pro eorum qui imperãt uarietate, uaria nomina indita ſunt, & ea quidẽ Græca: Monarchia, Oligarchia, & Politia. Monarchiam, gubernationem unius appellant: quæ ſi ex legibus ſit, Regnum: ſi ex libidine adminiſtrantis, Tyrannidem uocant. Oligarchiam, adminiſtrationem paucorum: quæ ſi uirtutem in primis ſpectet, eam nominant Ariſtocratiam, id eſt, optimatum gubernationem: ſin quid aliud, ut uel opes, uel alia fortunę bona, nomen generis retinere uolunt, hoc eſt Oligarchias. Politiam, poteſtatem plurium, in qua honores & magiſtratus ſuffragijs multitudinis cõferantur, æqualiſq; ſit omnium de uirtutis gloria & imperio contentio: quod cum fiat ad honeſtatem & publicam utilitatem, communi omnium Rerump. nomine Rempub. dicunt. Commune enim eſt, quod publicum eſt: ut Reſpub. non aliud, quàm cõmunis omnium honeſtas & utilitas eſſe uideatur. Sin populus temeritate, ut fit, ducatur, ac improbitate rebus agẽdis, nec omnium, ſed pauperum in primis honori & commodis inſeruiat, tum Democratiam nominant: hoc eſt, popularem poteſtatem. Optimum ue-

rò Reipub. ſtatum illum perhibẽt, qui ex tribus illis generibus permiſtus ſit: regali, optimate, et multitudinis. hoc eſt, in quo regia uirtute omnia teneantur: optimis uiris ſummi honores tribuantur: omnibus ex æquo campus pateat & palęſtra ad uirtutis laudẽ & gloriam. Talem fuiſſe politiã Moſis, diuinis literis eſt proditũ. Nam illa gubernabatur poteſtate ferè unius, cui uiri prudentiſsimi addebantur: qui lites, negotia, onera Reipub. unà cum illo ſuſtinerent. Et hi quidẽ & ex omni populo, & ab ipſo populo eligebantur. Sic
Deut. 1. enim uniuerſum populum alloquitur Moſes: Date ex uobis ſapiẽtes, & ſpectatæ integritatis uiros, ueſtrarum tribuum, quos uobis præfectos conſtituam. Itaq; Moſes authoritate ſua eos confirmabat, quos cunctus populus ex ſuo numero elegiſſet. id quod in ea patria, quæ communis eſt uniuerſorum, & æquum ſit fieri, & neceſſarium. Ad eiuſmodi ſtatum, quo quæq; Reſp. propius accedat, hoc melior: quo magis ab ea recedat, hoc deterior putatur. Et hæc de definitione & formis Reipublicæ. Cuius diuiſio illa in partes eam conſtituentes, quæ ſunt, magiſtratus & homines priuati, horumq; diuerſitas, ſuo loco apparebit.

CAPUT III.

Quibus rebus conſeruetur Reſpublica, & libri totius partitio.

NUNC, quo pacto rectè uel conſtitui, uel emendari, & ad perpetuitatem conſeruari poſsit, exponamus. Omnis de Repub. quæſtio tribus, ut mihi uidetur, partibus potiſsimùm continetur: quæ ſi bene conſtitutæ ſunt, Reſpub. bene erit conſtituta. Earũ quidem partium una pertinet ad ciuilem hanc hominũ inter ipſos ſocietatem adminiſtrãdam, tuendam, & defendendam: altera, in religione Dei immortalis purè caſteq; colenda: tertia, in iuuentute rectè inſtituẽda & erudienda poſita eſt. Atq; huius quidem, quã tertio loco poſui, cauſa, ludi literarij in oppidis omnibus, in pagis etiam permultis conſtituti ſunt. Ex bona enim adoleſcentum inſtitutione, omnes, aut certè potiſsimę commoditates, tam religioni quàm ſocietati hominum naſcuntur. Ideo & nobis, in hac de Repub. tractatione, quæſtio de ſcholis prætermittenda uiſa nõ eſt. nam de religione quidem, neminem opinor quæſtionem hinc eſſe excluſurum. Nec enim locus, qui nos naſcentes excipit, nec mœnia, quibus ab hoſte tuti eſſe uidemur, nec ulla ſocietas cum hominibus, uerius dici poteſt patria noſtra, atq; religio in Deum immortalem: cuius cultores Deus ipſe multis præmijs ornat, contemptores autẽ punit & fame & peſte, & igne, & eluuionibus, & bello, & politiarũ diſsipatione. Igitur quoniam cœtus & congregationes hominum inter ipſos ante oculos omnium maximè obuerſantur, non abs re fuerit, de his ipſis primùm diſſerere, quos quidem ipſos cœtus uel

Rei-

Reipub. uel ciuitatis, uel politiæ nomine appellabimus: non quin hæc nomina ad cœtus sacros accommodari possint, sed quòd Ecclesiæ nomen hodie sacris cœtibus peculiariter attribuatur. cum quidem, si originem nominũ spectes, utrunq; & politiæ & ecclesiæ nomen, cœtui utrique, tam sacro quàm profano, cõuenire possit. Cœtus quidem ipsi ita se habent, ut uterque subseruiat utriq;, nec apud populum Christianũ profanus disiungi possit à sacro: uerùm quoniam rationes administrandi habent diuersas, magistratus etiam diuersos, ideo, quemadmodũ alij fecerunt, & nos faciemus, ut de Repub. seorsim tractemus: pòst, ad ecclesiarum administrationem descendamus: postremò uerò, de scholis dicamus. Tribus in rebus Reip. salus & dignitas posita esse uidetur: in morum honestate, iudiciorum seueritate, & in artibus bellandi. Quæ tria ita se habent, ut Respub. artibus bellicis foris ab hoste defendatur: moribus autem, & iudicijs, domi conseruetur, & administretur. neq; tamẽ eodem modo utrisque. Mores enim sunt, quibus unusquisq; sponte sua uiuit, in societate hac hominum: sèq; ipsum & res tum suas tum alienas tractat, cum approbatione uel omniũ, uel plurium, uel certè bonorum & prudentum: loquor enim de moribus bonis & honestis. Iudicia autem, in eos qui de morum uia deflexerunt, ideo exercentur, ut tandem illi faciant coacti, quod moribus & sponte sua facere recusarunt. Igitur tribus illis rebus bene se habentibus, rem ipsam publicam bene se habere: contrà uerò, quantum de aliqua illarum fuerit detractum, tantundem de salute & dignitate Reipub. detrahi necesse est. Neq; ego ignoro, posse de his aliter dici: ac pro moribus uel uirtutem, uel officium, uel quid simile usurpari. uerùm res istæ & operæ sunt & laboris maioris, quàm ut hoc in tractatu à me descriptionibus explicari possint: & ab alijs præclarè descriptę, minimè indigent expositione nostra. Constat etiam mihi distributionis nostræ ratio quædam: quam spero me, prudẽtibus uiris, qui ea quę dicentur, secum expenderint, probaturum esse. Nota est Cai iurisconsulti sententia, Omnes populos legibus aut moribus regi. Et apud M. Ciceronem, res ad usum ciuilem moribus ac legibus cõstitui. Et apud Sallustium, de Getulis: Hi neq; moribus, neq; lege aut imperio cuiusquam regebantur. Et apud T. Liuium: Tribuni plebis appellati, cum collegæ negarent se in mora esse, quo minus quod alicui more maiorũ permissum esset, seu legibus seu moribus mallet, anquireret. Et apud Fabium Quintilianum: Pleraq; in iure, non legibus, sed moribus constant. Et apud Horatium Flaccum:

w. de iustitia et iure. L. omnes.

Ad Heren. in Rhet. lib. 1.

Sal. de Getulis

Liui. belli Punici lib. 6.

Quintil. de argumentis.

Hora. lib. Car. 4. Ode 3. & 3. 24.

Mos & lex maculosum edomuit nefas. Et eiusdem:
Quid leges sine moribus uanæ proficiunt? Et Ennij,
Moribus antiquis res stat Romana, uirisq;.

Et leges quidem ad ea referendæ sunt, quę rogationibus plebis ue scitis sancta, populo seruãdi uitandi ue causa proponuntur: Mores autem ad ea instituta, seu ad eas obseruationes, quę sola hominũ approbatione & usu diuturno inualuerunt.

CAPUT IIII.

Morum uim maximam esse: & de quibus moribus sermo institutus sit.

INITIVM *tractationis de moribus.*

PRINCIPIO igitur de moribus dicendũ est: quorum uim maximam esse in omni uita, inde apparet, quòd & obseruantes illorũ laudantur, & negligentes reprehensione non carent. Multa sunt, quæ ratione nulla nixa, moribus & consuetudine usurpãtur: multa, quæ in more maiorum erant, hodie legis locum obtinent: pleraq; etiam praua & peruersa, & animaduersione digna, impunè fiunt, ac moris excusatione defenduntur. Sed enim ne oratio nostra uagetur & erret, intelligẽdum est, bonis moribus regendam esse Rempublicam. Quantumuis enim inuaserint eam praui mores, nunquam tamen non incurrunt in uarias bonorũ hominum reprehensiones. Administranda est igitur Respub. ijs moribus, qui consensu grauium ac honestorum uirorũ probantur, & laudantur: quique cum bonis institutis coniuncti sunt, aut certè sunt ipsa bona instituta. Ea uerò eiusmodi sunt, ut partim è recta ratione & intelligentia nostra, sponte sua in nobis existant: partim uerò, imitatione eorum qui uirtute singulari, grauitate & constantia præditi sunt, imprimantur.

CAPUT V.

1. *Bonis moribus Rempublicam optimè gubernari.* 2. *Bonos autem mores & cognitione & consuetudine honestorum constare: contrà turpes ex ignorantia & malorum consuetudine maximè proficisci.* 3. *Consuetudinem honesti in moderandis affectibus peruersis positam esse.* 4. *Ac in habitu benefaciendi acquirendo: inde enim uirtutum genera emanare.* 5. *Ea autem consummari non posse, nisi frequenti exercitatione.* 6. *Tandem concluditur hic locus maximam scilicet uim esse bonorum morum ad Rempublicam bene gubernandam.*

1 HIS quidem moribus Respublica optimè gubernatur: atq; haud scio an melius multò, quàm legibus ipsis. Etenim mores certa animi inductione conformati, magis nos in officio retinent, quàm uel ampla præmia, uel pœnæ grauissimæ legũ. Multi sunt qui pœnis non deterrentur, nec à furtis, nec ab homicidijs, nec ab alijs sceleribus: multi nimia auaritia ad opes malis artibus quærendas, multi ambitionis furore ad honores petendos

tendos impelluntur. Etsi ueró his postremis, hoc est ambitiosis, nullę, legibus nostris: tamen illis prioribus, nempe furibus, homicidis, & alijs hominibus sceleratis, acerbæ pœnæ propositæ sunt. Qui quidem omnes, si bonis moribus imbuti essent: si & uitiorum fœditatem, & uirtutis pulchritudinem mentis oculis contuerentur: si uiderent, in quo posita sit uera honestas, & in quo uitæ turpitudo: si abiectis turpibus, ea quæ honesta sunt, sibi in usum & morẽ transferrent: non certè uel in perpetrandis sceleribus feroces, uel in petendis quę minimè decent, adeò insolentes essent. At dicet aliquis, orationem hanc nostram alios homines extrà requirere, aliam politiam: nostræ minimè utilem esse. Neminem enim unquã apud nos, imò ne apud alias quoq; nationes uisum esse, ijs moribus prædituũ, ut non sæpe peccauerit, ea quę minimè oporteat uel appetendo, uel perpetrando. Ego uerò fateri cogor, nihil in rebus humanis adeò sanctum esse & syncerum, quod homines à uicijs prorsus uindicare possit. Etiã illud adiungo, fuisse multos & uirtute & doctrina (ut uidebantur) præclara, qui se fœdissimis uitijs obstrinxerint. Sed tamen idem contendo, multa ab hominibus bonorũ ignoratione cõmitti, multa ab eisdem nefanda, cõsuetudine malorum, perpetrari. Quid est enim, quod magis nos ad laborem & ad uerã uirtutis laudem excitare possit, quid in cursu optimarum actionum magis retinere, quàm cognitio & consuetudo rerum honestarum? contrà, ignoratione bonorum qui laborant, nullius officij munus constanter exercere possunt. Versantur enim in omni uita tanquam in tenebris, ignari quid agant, & quomodo agant. Sæpe pro honestis turpia, pro cognitis incomperta, pro utilibus damnosa, pro precio sis uilia consectantur. Et unde quæso tot abusus plurimarum rerũ, tot pernicioſa exempla, quàm uel ex ignorantia, uel ex rerum malarum cõsuetudine, & in Rempub. & in Ecclesiam irrepserunt? Sic enim habendũ est, ut homo superat omnia animantia ratione, suntq; in eo quasi igniculi prudentię & uirtutis ad res præclarè gerendas: sic, nisi rationem ipsam excoluerit cognitiõe optimarum rerum, nisi igniculos illos uirtutis & sapientiæ usu & exercitatione excitauerit & inflammauerit, fit, ut in res contrarias honestati præceps feratur: nihilq; sit eo stultius, nihil impurius, nihil intemperantius, nihil sceleratius, nihil in omni cupiditate insolentius: nullaq; bellua rum adeò sit tetra & immanis, quæ cum eius immanitate possit cõparari. Quid multis? ipsa mortaliũ uita planũ facere potest, quàm multa, quamq; grauia mala ignorantiam tanquam cæcitatem, & ipsam mali consuetudinem tanquam contagionem, consequantur. Vulgò receptum est, ut qui opifex canem interfecisset, is artem exercere desineret, ac tantùm non infamis esset: qui hominem, hic locum obtineret suum, nihil de eius arte, nihil de existimatione decederet.

Aristotel. Politic. 1.

deret. Est & illud in legibus nostris, ut fures qui duodecim numos grossos sustulissent, uita priuentur: homicidæ, pecunia pro capite soluta, uiuant: atq; illi infames, isti minimè habeantur. Hæc an non ex prauo quodam hominum iudicio in mores, & in leges abierunt? Ecclesiastica quoq; censura sacerdotium emere non sinit: ac in grauissimo scelere ponit, si quis ex pacto numeret pecuniã, ut in sacerdotij possessionem, sine molestia & litibus, possit peruenire. Interea profanis ministerijs, fauore, gratia, multos in ecclesiam ingredi sinit: litigatores etiam istos res suas agere permittit, qui actionibus intentatis, conuicijs, largitionibus, dolis, fraudibus, & artibus non dicendis, sæpe uiribus & armis irrumpere uolunt in sacerdotium. Atqui minus malum erat, ex empto obtinere, homines non uexando, nec uiolando: quàm, cum multorum turbatione ac graui offensione rem quærere. Si hoc fertur, cur non illud? Si illud improbatur, cur non hoc? Hæc quoq; an non ab ignorantiæ radicibus ueniunt? Sed horũ tanta turpitudo est, ut palpari manibus pedibus q; possit. Sunt alia permulta adeò parua, ut non nisi à scientibus animaduertantur. Quæ nos, quantum facultas feret nostra, detegere constituimus. Prima igitur, & maxima unicuiq; debet esse cura,
3 ut de reb. rectè sentiat, & quàm fieri possit rectissimè iudicet: proxima, ut appetitũ rationi subdat. Non enim sine causa maximi philosophorum prodiderunt, uirtutes morum appetitui insidere: quẽ formare debeãt, motus & perturbationes eius sedando, eas ad mediocritatem reuocando, ac in ius & potestatem rationis subigẽdo: ne scilicet amor uel odium, spes uel metus, aut quæuis alia commotio, fines honesti egrediantur. Constant magnã partem libri sapientum præceptis, ad eiusmodi animi motus mitigandos pertinentibus: qui si nimij sint, notitiam ac iudicium mentis interturbant, aut etiam opprimunt, ut ne se proferre ac exerere possit. quemadmodũ Medea testatur inquiens: — *Aliudq; cupido,*
Mens aliud suadet. uideo meliora, proboq;,
Deteriora sequor. —

Et ira quidem erat, quę fecerat, ut Medea esset impos sui. Verumtamen eiusmodi est omnis animi commotio, ut obicem opponat rationi, & bonis cõsilijs. Qui re iucunda commouetur, ad spem illius potiundæ, qui item ea potitus gaudet & exultat, ac uoluptate se replet, an putas eum recto usurum iudicio rebus agendis? Rursus, qui metuit sibi ab aliquo incommodo, & qui illud iam perferens tristitia ac mœrore occupatur, an nõ & ipse de statu deijcitur? Videmus pauentes pallere, exultantes rubescere: illos turbari, istos animos sumere: neutros uerò eo uel colore uel animo præditos esse, quo solent, cùm affectibus ijsdem uacui sunt. Nam de iratis quid opus est dicere: qui sæpe obliuiscuntur sui, nec uident quæ præ oculis sunt?

nullus

nullus ferè locus potest esse rationi apud eos, qui uindictæ cupiditate ardent. Inuidẽtia in nobis nascitur ex bonis alienis, quibus uel omnino caremus, uel minoribus præditi sumus: uel si paribus, tamen illos quibus inuidemus, in eo honore & pretio esse nolumus, in quo ipsi esse uidemur. Odiũ ex timore & ira nascitur: quòd cùm non aliter exagitet animum hominis, quem obsidet, quàm furia, nõ potest habere cum ratione commercium. Sed quorsum hæc? Vt uideamus, hos esse quasi hostes domesticos nostros, medullis nostris affixos: quorum in imperio non possit ratio consistere. Præclarè M. Cicero: Nulla est, inquit, tanta uis, tanta copia, quæ nõ ferro ac uiribus debilitari frangíq; possit. Verùm animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriã temperare, magni animi est. Hæc qui faciat, non eum summis uiris comparandum, sed Deo simillimũ putandum. Sed quod Cicero dicit de iracundia temperanda, idem ad alias animi commotiones transferendum est: quæ fermè omnes acerbissimum exercent imperiũ in eos, quos suę potestatis fecerunt. Neq; id uerò in eos tantum, quorum animos occuparunt: sed & in illos erumpunt, qui quasi cursum illarum interturbent. Interturbẽt autem? imò sæpe sine ullo discrimine in quosuis nec lacessentes, nec ulla re occasionem præbentes. Quod in iratis uidemus, qui uirus suũ in illos primùm euomunt, qui casu priores occurrerunt. Neq; uerò eò nostra spectat oratio, ut affectus ex homine prorsus excindi posse sentiamus, qui à natura dati sint, ut excitent nos ad agendũ, materiamq; uirtutibus præbeãt: sed ut, qui praui sunt ac uitiosi (de bonis enim iam non loquor, qui cum ratione consentiant) uel maturè sopiantur, uel in rectum dirigantur, & in mediocritatẽ. Neq; enim obscurum est, quot et quanta mala existere solẽt, si impetu suo ferantur. ut ex spe, consectationes rerum leuium, inanium, & ludicrarum, quas sibi homines tanquam per somnium confinxerunt: ex amore, stupra, adulteria, incestus, & infinitæ libidines: ex metu itẽ ac ira, discordiæ, rixæ, inimicitiæ, conuicia, uulnera, mutilationes, cædes, ac inter uiros potentes bella & infinitę calamitates. Ergo cõ motiones si tolli non possunt, cohibendæ ac reprimendæ sunt: nec in deliberationes, nec in actiones ullas accersendæ, cùm immodicè efferuntur. O' quàm te (inquit Plato ad seruum, ira accensus) cæderem, ni iratus essem. Et Xenocrati interuenienti: Castiga hunc puerum, inquit, nam ipse sum iratus. Diffidebat sibi homo philosophus, sentiens grauem animi commotionem. Fumi enim ex sanguinis feruore ascendentes, maiora omnia uidentibus efficiunt, quàm sint re ipsa: quemadmodum sol maior apparet, per fumos conspectus. Itaq; differendæ sunt consultationes & actiones omnes tantisper, dum & sanguinis ebulitio deferueat, & fumi resideãt, aut euanescant: quemadmodum aqua turbulenta, prius quàm clara fiat &

perſpicua, bibenda non eſt, ne ſalutaris potio uertatur in noxiam.

4 Opprimendis igitur, aut temperandis & coercendis affectionibus uoluntas noſtra corroboranda eſt, ut tantum uirium habeat ad res agendas, quantum ratio ipſa neceſſarium fore iudicauerit: ad cuius normam & præſcriptū, conſilia, & actiones noſtrę dirigendæ ſunt. Hinc enim prudentia illa exiſtet, totius uitæ humanæ optima rectrix: ad conſtantiam, ueritatē & grauitatem omnia reuocans, uirtutesq; alias gubernans. Hinc iuſtitia uirtutum clariſsima, quæ nemini iniuriam eſſe faciendam, ſuum cuiq; tribuendum iubet. Hinc temperantia, ab illicitis uoluptatibus nos auocans, licitis etiam tam gulæ quàm ueneris modum imponens, luxum omnis generis coercens, ac ordinem quendam & decorum in omni uita conſtituens. Hinc denicq; fortitudo, in periculis incidentibus conſtantiam & decorum ſeruans, & ipſa inter uirtutes ſplendidiſsima: quæ rerum æternarum ſcientia & contemplatione alitur maximè, & cōſeruatur. Qui enim æternas beatorum ſedes animo diligēter intuitus fuerit, uitæq; huius breuitatem, ac rerum humanarum inconſtantiam rectè ſecum perpenderit: is haud alios hortatores deſiderabit, ad pericula omnia, repulſas, & mortem ipſam, ſi qua neceſsitas eò uocauerit, æquo animo perferendam. Neq; quicquam rerum pereuntium tanti faciet, ut earum cauſa uel fidem ſibi fallendam, uel aliquid uiro

5 forti indignum faciendum putet. Oportet autem ad cognitionem rerum gerendarum, perficiendi quod opus eſt, diligentiam ac conſuetudinem accedere. Nihil enim prodeſt intemperanti, ea quæ recta ſunt cognoſcere: nihil homini uiolento, leges iuſtitiæ tenere: niſi & ille ad moderatè uiuendum, & iſte ad tribuendū unicuiq; quod ſuum eſt, ſe aſſuefaciat: & quod principiò durū factu arduumq; uidetur, id exercitatione crebra maximè uelle, & in morem ſibi inducere ſtudeat. Etſi autem rectè illud dicitur, rationē eſſe, quæ animi appetitus regere, ſuoq; imperio ſubijcere debeat: uerumtamen experimur ipſi, fruſtra illam conari, niſi hic ſe præbeat obedientem. Quod aliter præſtare nequit, niſi diu multumq; aſſueuerit parêre. Aſſueſcendo enim comparatur habitus, de quo loquimur, uirtutis moralis. quæ uirtus radicibus actis, ducit nos in mediocritatem illam, quæ eſt inter nimium & parum: ut nec ſimus ſtupidi & uacui ſenſu, nec affecti quouis modo ſupra modum efferamur. Quemadmodum igitur non ſatis eſt, agricolam nouiſſe agri colendi rationē: neceſſe eſt eum munus & opera artis ſuæ ſumma cum diligentia exercere, ſi fructus ex agro uelit percipere neceſſarios: non ſatis item eſt imperatori, tenere modos & rationes belli gerendi: niſi curam & diligentiam adhibuerit, ut omnia rectè & ordinè fiant, deſperare cogetur uictoriam: ita cognitio rerum honeſtarum manca eſt, ſine conatu & exercitatione efficiendi. Omnino qui inertiæ indulgent,

labori

labori non incumbunt (non enim loquor iam de ijs qui res agant contrarias cognitioni quam habeant, quos peiores esse constat laborantibus insciti negotij gerendi: sed de ijs, qui docti & eruditi, nihil attrectent eorum quæ labore & sudore sunt comparanda) tales inquam, quamuis scientia & consilio ualeant, tamen quia exercitationem nullam adhibẽt, agendiq; diligentiã, fit, ut id quoq; quod natura studioq; illis est comparatũ, diffluat, ac paulatim dilabatur. Et naturam quidem omni in re primas tenere, certum est: sine qua fœliciter nihil agi possit, nec in disciplinis percipiendis, nec in uirtutibus acquirendis. Verumtamen ea non satis est ad perfectionem, quacunq; in re cõsequendam. Neq; enim tam bona natura esse potest ulla, quin cura illius quasi excolendæ intermissa, fiat uitiosa: quẽ admodum agri quanuis fertiles, uel nõ fructificant, uel herbas proferunt inutiles, innocentes ue, nisi excolantur. Neq; item tam ulla est mala, quin obeundis & exercendis officijs, ad frugem (quod dicunt) bonam perueniat. Adsit modò studium, ac firmum propositum, pectus uirtutis sitiens, rectaq; ratio author sit agendi, dux & moderatrix. Nulli prorsus desperandum est. Imò quò cuiq; ingenium contigit tardius ac obtusius, hoc maiore labore cõniti debet, ad illud exacuendũ. Tardius forsan, aut minus consequetur, quàm uolet: tamen studium & assiduitas exercitationis efficiet, ne labor sit prorsus inanis. Nota sunt exempla Socratis, clarissimi philosophi, & Stilponis Megarei, qui summo studio, & summa in actionibus honestis contentione & constantia, feram naturam suam cicurasse, multisq; & magnis uirtutibus ornasse ac cumulasse traduntur. Iam & in Euangelicis literis parabola de talento docet, dona mortalibus à Deo concessa, si studiose curentur, confirmari & augeri: sin negligantur, amitti, & funditùs extirpari. ut non immeritò Paulus apostolus Timotheum suum hortetur, ad donum quod illi obtigisset excitandum, curaq; & consuetudine excolẽdum. Cùm autem omnis ætatis intersit, discendo assuescendoq; facultatem sibi comparare honestarum actionum: tum ætas prima sic educanda est, & instituenda, ut uirtutem amare, uitia odisse condiscat: ut ex his quasi seminibus consurgant olim arbores amplissimæ, honestissimos ferentes fructus. Cuius enim animus ad eam rationem erit assuefactus, hic in muneribus uirtutum fungẽdis, uel cum uoluptate, uel si ardua & grauia fuerint, non grauatim uersabitur. Huic minimè opus erit legum institutis: non præmia, nec pœnæ legum talem continebunt in officio. Ipse nimirum sibi erit lex: habebit in animo notiones rerum pulcherrimarum, habebit uolũtatem bonarum rerum exercitatione assuefactã. His ducibus in omni uita, inq; rebus agendis utetur. Sed urgeat fortè adhuc aliquis, hominem inuentũ esse nullũ, qui ab omni eruditione paratus, ac exercitatione

Cic. de Fato.

Matth. 25.

2. Timo. 4.

6

rerum honestarum auctus, ita se gerat, ut nõ sępe de uirtutis uia deflectat, ac labatur: turpius etiam lapsurus, nisi legum uincula timeret. Scio ego hoc nomine doctrinam infamari, ac omnem uirtutis cultum, quòd neminem sui cultorem ad perfectionem deduxerit. Verùm qui sic disputant, eadem ratione & legem diuinã, & omnes honestas disciplinas uituperent licebit. Quis enim hominum legi diuinæ ad unguem satisfecit? Quis ullius disciplinæ adeò obseruãs fuit, ut ab eius præscriptis non sæpe discesserit? Et tamen & lex diuina, & sapientiæ artes sunt, quo ad eius fieri possit, cognitione cõprehendendæ: ut scopum uideamus, quò consilia & actiones nostræ omnes sint dirigendæ: ad quem quo quisque propius agendo accesserit, hoc gradum altiorem tenere putandus est, ad summã beatitudinem cõscendendi. Conantem etiam ad summa peruenire, honorificum fuerit in inferioribus resistere. Est enim & in ipso conatu uirtus quædam: qui quò magis intẽdetur, hoc minus reddet hominem uitiorũ morbis obnoxium. Neq;, quia nemo omnibus uirtutum numeris absolutus esse uidetur, ideo minus ad uirtutem contendendum est: imò ita agendum, ut etiamsi conatum uires defecissent, simulachra tamen uirtutis habere satagamus. Verùm pios conatus numinis diuini afflatus nõ deseret: eorum præsertim, qui indesinenter preces illi fuderint, seseq; illi commendauerint. Sed nos palàm, ut uidemur, fecimus, secũdum naturam, maximam uim esse doctrinæ, exercitationis adminiculis fultæ: eaq; & intelligendi prudentiam acui, & agendi facultatem excitari ac confirmari. Voluimus autem locum hunc copiosius tractare, ut causas bonorum morum, atq; adeò uirtutum ipsarũ explicaremus: uituperationibusq; eorum responderemus, qui præcepta omnia pro nihilo habenda, soli'que naturæ obtemperandum esse contendunt. Vt autem, quæ dixi, magis perspicua fiant, in ætatibus, personis, ordinibus, & rebus uarijs demonstrandum est.

Diuisio huius primi Libri de moribus, et propositio dicendorum.

CAPUT VI.

Quæ cura debeat esse puerorum, ac iuuenum recte instituendorum.

DVCAMVS autem orationis huius initium ab ea, cuius proximè meminimus, ætate puerili: quibus moribus ac opinionibus sit imbuenda, ut quasi fundamenta firma iaciat uitæ deinceps honestè, sanctè & laudabiliter degendæ. Nihil enim animis hominũ magis adhæret, quàm id cui à teneris consuescunt. Itaq; si quid eis noxij, dum adhuc molles sunt, ac teneri, immiscea-tur, non minus in eis ad æternitatem ualebit, quàm si surculum ueneno inficias, qui in maximam arborem crescat: unde tandem fructus enascentes, & sint mortiferi utentibus, & seminibus nihilo melioribus materiam præbeant copiosam. Curent igitur parentes, filios

lios suos ijs institutis & præceptis erudiri, ut illi primis ab annis no scere incipiant quid honestum, quid turpe sit, quid expetendum, quid fugiendum. A' uoluptatibus, in quarũ regno uirtus consiste re nequit, eos maximè arceant. Cibi & potus mediocritatẽ eis præ scribant. Ad frigus & æstum tolerandum, lectíq; duriciem (modò ne quid uiribus, ac bonæ corporis habitudini incommodet: cuius curã geri oportet, ut animus bene habeat, sitq; magis perspicax) eos assuefaciãt. Hominum malorum cõsuetudine eis interdicant: dicta & actiones eorum omnes ad decus, iustitiam, lenitatem, mansuetu dinem & humanitatem forment. Turpitudinem autem, iniuriam, iram, inuidiam, fastum, luxum, & immanitatẽ eos fugere iubeant. & quantum à rerum turpitudine, tantum à uerborum improbitate eos cohibeant: rationem etiam dictorum & actionum ab eis exi gant. Atq; ut ad omnem uirtutis partem eis aditum patefaciant, nõ tãtum ab actionibus uitiosis, uerbis turpibus, sed à cogitationibus quoq; rerum malarũ eos quàm maximè remotos esse uelint. Quod non alia ratione commodius efficient, quàm otij interdictione. Er go uideant parentes, ne pueri puellæ'que otiosi primos trasigant annos: curent ut semper laborent aliquid, atq; etiam pensum labo ris ab eis exigant. Segnitiem ac inertiam eorum uerbis castigent: ab officio uerò procul discedẽtes, ferula feriãt. Noli, inquit Salomon, « rex sapientissimus, subtrahere à puero disciplinam: si percusseris « eum uirga, non morietur. Tu percutis eum, & animam eius de infer « no liberas. Iam quid alijs præstare pueri debeant, docendi sunt: « quid parentibus, quid ciuibus, quid Reipub. quibus rationibus so cietatem cum hominibus & concordiam tueantur: quomodo se ge rant aduersus superiores, inferiores, pares: aduersus socios, ami cos, cognatos & agnatos: aduersus notos & ignotos, ciues & pe regrinos: aduersus magistratus, dominos, seruos: tum etiam aduer sus hostes & inimicos: id'que, priuatis & publicis in rebus. Om nium autem maximè interest, teneram ætatem imbui religione Dei immortalis: ut sciat, à quo omne bonum expectandum sit, cuius nu tu omnia gerantur, qui sit uindex malorum, remunerator bono rum. Itaque ad ædes & conciones sacras adducenda est, ut ritus & ceremonias cognoscat, sacramenta ueneretur, precibus uacet: at que ijs rebus studeat, quibus & summi Dei gratiam demereatur, & hominibus placeat. Remedia etiam sibi paret, quibus se mu niat contra omnes diaboli, carnis, & mundi huius insultus. Inge nio adolescentis cognito & perspecto, applicent eum parentes ad eas artes, ad quas naturà eum ferri uiderint: ut earum artium ru dimenta noscere & amare incipiat, quibus deinde per omnem uitã, operam sit daturus. Quòd si fortè peregrè adolescens mittendus sit, eadem cura adhibeatur eo excolendo: serio'que cohortandus,

ut non tàm ſtudeat quamplurimos homines in ſingulis gentibus cognoſcere, aut multorum familiaritates cõſequi, quàm quid apud exteros populos dignum ſit bonis moribus, legibus, diſciplina: ut id obſeruet, ac domum reuerſus exponere queat, ad res domeſticas emendandas. Cùm autem nõ auribus modò, uerùm etiam oculis, ętas illa à maioribus natu, atq; in primis à parentibus diſcat, quid ſibi faciendum ſit: ideo ſtudeant modis omnibus parentes, ut tales ſe ante liberũm oculos gerant, quales eos eſſe uelint. Certè nec ebrioſus pater efficiet, ut amorem ſobrietatis in filio excitet: nec profundens ſua, nec ueſtitu nimio indulgẽs, frugalitatem liberis commendabit: nec uiolentus, nec in ira crudelis, nec ſanguinis appetens, nec hominum interfector, leges tranquillitatis, placabilitatis, aut humanitatis, natis ſuis præſcribere poterit: cùm quidẽ pulchrũ ſibi tenera ætas ducat, ueſtigia parẽtum ſequi & imitari. Atq; hic uelim unuſquiſque parentũ ſe inſpiciat, an non magna ex parte mores prolis ſuæ corruperit? Magnatum filij plericq; omnes nimis molliter, ac in magna uitæ licentia educantur: in choris puellarũ, inter citharas et obſcœnas cantilenas, inter aſſentationes tam familiariũ quàm pædagogorum, perpetuò uerſantur: faſtum & contumaciam imbibunt à primis annis: byſsinas ueſtes prius cognoſcunt, quàm fari incipiant: mirantur aureas torques, numeroſam familiam: meditantur ab ineunte ætate dominationem, pompam, dapes uarias, ultionem: nimiaq; indulgentia neruos omnes mentis ſanæ perdunt: & cùm parêre nunquam didicerint, imperare concupiſcunt. Atq; his moribus, hacq; diſciplina imbutos, nec ulli magiſtro transformare, nec Mercurio refingere, nec Vulcano recudere poteſtas eſt. quę cum lacte nutricis quaſi ſuxerunt, ea per totã uitam perſequuntur. Virtutis nomen in ore ferè habent: rem autem ipſam, quæ maximis laboribus comparetur, perpauci norunt, longè pauciores agendo attingunt. Sed ne plura, fortunæ indulgentia ac genus uitę deprauatæ efficit, ut eis nec pueris, nec adultis, nec uiris, nec ſenibus ad bonam frugem peruenire liceat: impeditis ſcilicet, plurimis uitiorum illecebris. Neq; enim facile eſt, eum qui aſſuetus ſit malefacere, nouum induere habitum benefaciendi: quemadmodum Aethiopi, pellem nigram in quamuis aliam mutare, non eſt facile: idq; fieri nullo modo poſſe ſine Dei beneficio ſingulari, oracula diuina teſtantur. Ergo & tot prauitates emendandæ eſſent, & rerum ueræ notiones in teneris animis inſerendæ: cùm quidem nulla (ut dictum eſt, & ſæpe dicetur) bonorũ morũ pernicies maior ſit, quàm prauæ de rebus opiniones, ac ignorantia ueritatis. Nemo eſt autẽ qui ignoret, multa in hac parte deſiderari, ut dixi, in parentibus. Quotus enim quiſq; eſt, qui liberos ſuos inſtituat: aut ſi id uelit, rationem teneat rectè inſtituendi? Nec eſt quicquam de hac re legi-

Hiere. 13.

bus

bus noſtris conſtitutum. Moribus tantùm receptum eſt, ut qui uelint liberos ſuos ad aliquam uirtutis laudem peruenire, eos uel in ludos literarios mittant ad magiſtros, uel in aulas principum, uel ad quemuis alium, cuius conſuetudine putent eos fore eruditiores.

CAPUT VII.

Aulæ mores, & utilitates.

C DE ludis quidem literarijs erit nobis alius dicendi locus. Nunc de aula, quæ nõ immeritò uideri poſsit urbanitatis & ingeniorũ periclitandorum officina. Et certè ſunt in aula permulti alienorum ingeniorum prudẽtes exiſtimatores, qui facilè mores eius, qui ſe illis dediſſet, forment, & quaſi recudant. Quod utinã ſemper, aut ſaltem ſæpius, bono fieret generis humani. Sed neſcio quo modo mores aulici magna ex parte ad uanitatẽ & ambitionem incubuerunt. In ſupellectilẽ, ueſtitum, epulas, luxum omnis generis, immanes pecuniæ impenduntur. Inuidiæ & inſidiarum plena ſunt omnia. Stultitia & maleuolentia multorũ perferenda eſt. Et qui præſtant alijs uirtute ac diligentia, iniurias multorum deuorare coguntur. Amicitiæ pleræq; omnes ambitioſæ & fucoſæ, & quæ tam diu durent, quamdiu uidemur gratiam potentũ obtinere. Etſi autem permulta horum communia ſunt aulæ cum reliquis hominum ordinibus: tamen quia aulici mores in oculis omnium maximè poſiti ſunt, ideo hic prætermittenda non erant. Plurima & maxima commoda ad cũctam Rempub. ab aula peruenire, atque ad res priuatorum, conſtat inter omnes: quippe cuius in tutela & præſidio ſint res omnes bonæ, poſſeſsiones priuatorum, cõiugia, liberorum procreatio & inſtitutio, honeſta diſciplina, hominum commercia, pax publica, ſalus & dignitas Reipublicæ. Hæ quidem res tales & tantæ ſunt, quæ caſu nullo modo gubernari aut defendi queant. Neceſſe eſt multis & præclaris uirtutibus præditos eſſe, uarijs & eximijs artibus inſtructos, qui tot & tantis bonis conſulere, easq; cum dignitate poſsint tueri: & quemadmodum Plato in ſuis Legibus reliquit ſcriptum, non boues bobus, nec capras capris, ſed utriſque hominum genus, multo illis præclarius, præeſſet: ſic cœtus humanos neq; bene regi, neq; ratione adminiſtrari poſſe, niſi ab excellẽtibus uiris, & quaſi ſemideis, qui ad Dei opt. max. bonitatem & prudentiam quàm proximè accedant. Omni igitur ſtudio connitendum eſt ijs qui publicam obtinẽt authoritatem in aulis, quiq; præſunt rebus humanis, ut uirtute & prudentia utantur, & publicis & priuatis rebus adminiſtrandis: utq; familiares ſuos, qui ſe ad ductum & imperium eorum applicarunt, ad omne genus officij inſtituãt. Cantilenæ, epiſtolæ, libelli muliebribus affectibus pleni, in delicijs habentur aulicis: & quos hæc nõ oblectant, illi ineptí

pti esse iudicantur. Verùm intelligendum est, huiusmodi delicijs animos teneros ad molliciem omnem delabi, ad honestas autem co
» gitationes actionesq; ineptos reddi. Corrumpunt enim (ut Paulus
» ex Menandro citat) bonos mores, colloquia mala. Maxima pars temporis consumitur ab hoc institutum uitæ sequentibus in tesseris, amoribus, conuiuijs, compotationibus: alij cum scurris & assentatoribus multas horas transmittunt: sunt qui nihil aliud quàm de fama & existimatione hominum detrahere didicerunt, maledictisque & conuicijs alios insectari. Quę quidem omnia, negotij inopia pleruncq; fieri uidemus. Itacq; assuefaciendi omnes essent ad res aliquas agendas: & qui laborare nollent, ij (ut Paulus ait) ne manducarent. Est enim illa humano generi indicta mulcta, in sudore cuicq; uescēdum esse pane suo. Aiunt in moribus Turcicis esse, ut omnes, quantumuis diuites, ac genere clari, à primis pueritiæ annis arte aliqua manuaria erudiantur: qua & corpus exerceant, &, si egestate premantur, uictum sibi parent. Nostris uerò aulicis nō tantum manuarias, sed & ingenuas artes callere, nimis plebeium uidetur. Itacq; uiuitur in ignauia & socordia: quam sequuntur latrunculi, tesserę, compotationes, libidines, & reliquæ aularum pestes. Sed ab his pestibus difficile esset iuuentutem cohibere, nisi uiri graues cōstituerentur, qui peruersos illorum mores notarent, ac seueritate aliqua castigarent. Ac de moribus quidem pueritiæ & iuuentutis, quàm solicitæ olim erant Respub. optimè constitutæ, magno argumento est puer ille ab Areopagitis damnatus, quòd oculos coturnicum erueret. Fecerunt hoc iudices sanctissimi, non quòd coturnices tanti faciendas esse putarent: sed quòd id malæ mentis indicium esse existimarent, multisq; malo futuræ, si puer adoleuisset. Itacq; eum dānarunt. Tanti interesse putabant, peruersos puerorum mores punire. Nos ista negligimus, aut certè leuiter curamus. Necq; multum referre censemus, quibus moribus, aut qua quisque ratione primū ætatis tempus transigat. Ideo etiam multorum ætatem prouectam deploramus. Fieri enim nō potest, ut ętas matura sit laudabilis, quę fundamentis adolescentiæ parum rectè sit constituta.

CAPVT VIII.

Studia adolescentum qualia. & de exemplis ad imitandum proponendis: & epilogus superius dictorum.

OMNIBVS igitur adolescentibus, sed in primis ijs qui ad Rempub. olim sint accessuri, danda opera est, ut à primis annis quamplurima sibi cōquirant instrumenta rerum gerendarum, pectusque suum imbuant optimis agendi præceptis, traditis à magnis uiris, usuque rerum edoctis. Necq; existimēt, ingenij celeritate & naturali quodā acumine expediri posse negocium

cium omne. Opus est profectò arte & doctrina, ad controuersias implicatas: quibus explicandis honestius certè fuerit, te ipsum inspicere posse rei, qua de agatur, naturam, quàm ex sententijs aliorũ semper pendêre. Sciant adolescentes, multum inter inertes & industrios, multum inter ignauos & fortes, in rebus agendis interesse. Cogitent, uerum decus non in generis nobilitate, non in diuitijs, non in pompa ministrorum, quæ bonorum & malorum communia sunt, situm esse: sed in ijs, quæ bonorum propriæ sunt, uirtutibus, prudentia, iustitia, temperantia, liberalitate, cõtemptu casuum humanorum. Has uirtutes cognoscere & exercere assuescant: atq; ijs non sibi tantùm, sed alijs quoq; consulere discant. Quoniam autem ætatis huius faciles sunt & multiplices lapsus, ideo & cum uiris grauibus ac prudentibus consuetudo eis habenda est, & exempla illorum qui existimatione bonorum uirorum probentur proponenda, mores q; imitandi: id q; & in bellicis artibus, & in urbanis. Hunc morem usitatum fuisse Romanis, significat Virgilius, cum dicit Pallanta à patre comitem fuisse datum Aeneæ:

— *Sub te*, inquit ille, *tolerare magistro*
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Significat & Cicero, qui se ad aulam Scęuolæ auguris, uiri principis, à patre primùm deductum fuisse disciplinæ causa cõmemorat, ut quoad posset & liceret, à senis latere nunquã discederet: pòst uerò augure mortuo, se ad Scęuolam pontificem contulisse, ut eorum prudentia fieret doctior. Egregiè hoc quidẽ à Cicerone, ut permulta alia. Neq; enim rationis uiam insistere, neq; uirtutum excellentiã ætate corroborata facilè extruere queas, nisi in adolescentia fundamenta illa iecerís præceptorũ & imitationis. Velim autem, ut uiri principes eas, in quibus Cicero uersatus est, aulas cũ animis suis cõsiderent: suas q; etiam ipsorũ aulas non alio loco habendas statuant, quàm scholarum uirtutum omnium, quarum quidẽ scholarũ se ipsi magistros & parentes esse profiteantur: neminem q; ad eas admittant, nisi qui uel factis egregijs uirtutis suæ specimen dedisset: uel si rudis adhuc sit, & ignarus rerum, se tamẽ erudiri, & ad omne uirtutis genus assidua exercitatione formari uelit. Habeant igitur principes in his publicæ disciplinę scholis uaria exercitationum genera, quibus aulici erudiantur, & ad decus gloriam q; excitentur. Proponant exempla clara & illustria fortitudinis, iustitiæ, continentię, pudoris, pudicitiæ, ac reliquarum uirtutum: quæ iuuentus imitetur, suos q; mores ad illa fingat & accommodet. Adiungant etiã tyronibus nonnullos pædagogos, qui illos & dicere & facere doceant: qualis Phœnix Achilli à patre Peleo datus erat. Sic enim ille ad Achillem: Tibi, inquit, à patre — *comes atq; magister*

Sum datus, ut præcepta tibi, rerumq; bonarum,
Verborumq; darem: rebusq; ut fortis agendis
Esses, & uerbis posses orator haberi.
Nondum etenim poteras primis hæc nosse sub annis,
Queis rebus laus magna uiris, & summa paratur
Gloria, bellorum meritis atq; arte loquendi.

Quid enim absq; hac seueritate disciplinæ boni existere possit, docent mores aulicorũ multorũ, in id inprimis studentium, ut adulentur, conuiuentur, choreas ducant, meretricentur. Quamobrem si principes aularum, uolunt consultum rebus humanis, aut ad modum iam dictum suas aulas instituant, aut rationem meliorem inueniant, ut tandem habeant quos ex his scholis, doctos iam & exercitatos ad gerendam Rempublicam emittant: qui artibus Reipub. tum domi gubernandę, tum foris ab hoste tuendę in aula instructi, in aciem tandem tanquam delecti heroes progrediantur: ubi partim iuredicundo, partim sententia dicenda, partim iniurijs propulsandis, partim patria defendenda, testentur, se aulicæ disciplinæ alumnos esse minimè pœnitendos. Quod si cui hæc quæ dixi uana esse uideantur, huic quid tandem ad uitam honestè, magnificè, animosè & grauiter degendam necessarium uideri possit, haud sanè intelligo. Ergo tu tantùm illud discendum putabis filio tuo, quomodo comptè incedat, quibus uerbis uel ad blanditias uel ad beneuolentiam utatur: quo gestu proceribus appellandis caput nudet, poplitem flectat: quibus uijs opes cumulet, domũ sibi nitẽtem reddat, hortum bene cultum, supellectilem splendidam, ministros pulchrè uestitos: qua ratione ornet & apparet conuiuia, conuiuas excipiat, ad honores perueniat? Minimè uerò illi discendum censebis, quibus rebus instruat se ad uitæ moderatum & æquabilem habitum, ad res secundas & aduersas æquo animo ferendas, ad causas & actiones humanas cognoscendas & dijudicandas: denique ad eæ dicenda & agenda, quæ & ipsum testentur moribus esse inculpatis, & eius domesticos uitę incontaminatæ: omniaq; ab eo fieri cùm honestatis causa, tum studio religionis & Reipublicæ? Scilicet hæc quæ postremò dixi, talia sunt, quæ nullo negotio discuntur, absque doctrinæ præceptis, absq; morũ magistris: illa quæ primò, opus habẽt exercitatione longi tẽporis, & doctoribus. Sed hęc missa faciamus: neq; nobis tam inepta persuaderi patiamur ab ijs, qui se nõ aliter suã insciti ã posse tueri putant, quàm doctrinæ prę ceptis infamãdis. Nobis uerò sit ita persuasum, nullam morũ pestẽ esse maiorẽ, quàm ignorantiã, & rerũ malarũ consuetudinẽ: contrà, nihil æquè cõformãdis moribus cõducere, quàm si pectus onustũ habuerimus optimarũ rerum cognitione: nobisq; exempla probatorum hominum,

num, quos uidimus, uel de quibus legimus, proposuerimus ad imitandum: atq; ad præcepta ipsa usum adiunxerimus, optimum magistrum dicendi atq; agendi. Et hæc quidem de moribus adolescẽtum omnium, qui cum laude in Republica uersari uelint, generatim & uniuersè dicta sint.

CAPUT IX. DE REGE.

I. Causa regum constitutorum. II. Diuersa electionis & imperij ratio regũ Poloniæ, quàm aliarum quarundam nationum. III. Uirtutes, quibus reges boni præditi esse debent, explicantur. 1. *Prudentia, consuetudine doctorum, adulatorũ uerò fuga: lectione item librorum tum sacrorum, tum ab alijs conscriptorum comparatur.* 2. *Temperantia, affectionibus animi, & uoluptatibus corporis modũ constituit.* 3. 1. *Iustitia, bonos præmijs, malos pœnis afficere:* 2. *plus Reipub. quàm suæ priuatæ consulere:* 3. *Reipub. membra omnia curare, nec ulla negligere:* 4. *æqualitatem inter ciues, superbia, arrogantia, & insolentia de animis eorum detracta, constituere:* 5. *uirtuti & dignitati omnium ex æquo consulere:* 6. *nullam Reipub. partem deserere:* 7. *delationibus non temerè credere:* 8. *inter optimates inimicitias non serere, nec potentiam eorum frangere:* 9. *Discordias inter ciues tollere, concordiam constituere, iubet.* 4. *Ad liberalitatem pertinet, uidere cui, quid, propter quid, & quantum dandum sit:* 5. *Fortitudinis est, æquo animo omnia ferre, & secunda & aduersa: pro patria item, & re iusta, mortem oppetere. IIII. Non tantùm edictis & decretis, sed exemplo rex regere debet. V. Negotia quoq; sua Deo immortali sedulo commendare.*

NVNC de moribus aliarum partiũ Reip. dicamus. Incipiamus autem à regia potestate, quam maximè diuinam esse putãdum est. Dei enim, qui unus totius orbis rex est, imaginem in terra exprimit. Nemo potest eam potestatem sine multis & maximis uirtutibus fœliciter gerere. Et hæc causa ui- I
detur fuisse, quamobrem homines olim parêre uni cœperint. Pauciſsimi enim semper erant in omni Repub. qui reliquæ multitudini multum uirtute præstarent. itaq; quem unum omnium prudentiſsimum & iustiſsimum iudicabant, eumq; de tota Rep. benemereri posse sperabant, ad eum imperium deferebant. Deinde procedente tempore, hoc genus potestatis filijs regum mãdari cœptum est: de quibus spes esset, non tantùm in imperium, sed in uirtutes & præclara patrum facinora successuros. Et id quidem apud nationes II
multas moribus & consuetudine receptum est, ut filij regum patribus in regnum & imperium succedant. Apud Polonos nõ est satis, nasci filium regis. Eliguntur enim uoluntate ordinum omnium reges, non nascuntur. Itaq; etiam non ea utuntur Polonici reges potestate, ut uel leges condant, uel aliquid ad perpetuitatem sanciant, suo arbitrio. Omnia agunt cùm ex ordinum suorum sententia, tum

ex legū prescriptione. Rectius id quidem, quàm apud eas nationes, quarū reges & tributa ex sua uoluntate imperant populis, & bella exteris indicunt, & alia munera exercent. Quod etsi sæpe cum causa, & cum salute Reipublicæ faciant: tamen quia exleges sunt, facile ad tyrannidē illam odiosam delabuntur, cuius propriū est omnia ex libidine agere: cum quidē regia potestas moribus & legibus patriæ cogatur obtemperare, & ex præscripto earum imperare. Quamobrem reges Polonici omnes (Boleslao illo homicida excepto) ad extremū uitæ diem dignitatem suā obtinuerunt, semperq; inuicti habiti sunt: contrà quàm reges et principes multarū aliarum nationum. Quorum alij uel à suis, uel ab externis populis pulsi sunt: alij ui capti, & armis: nonnulli intestinis ciuium suorum seditionibus uexati & afflicti: quidam etiam in acie ab hostibus profligati. Tulerunt scilicet Polonię reges dignā moderationis & uirtutis suæ mercedem. Itaq; & nunc clara eorum memoria, omnibusq; grata, per ora ac sermones hominum fertur: & deinceps nulla unquam
III ætas futura est, quę de illorū laudibus cōticescat. Omnino qui cum hac summa potestate in Repub. rectè uersari uelit, eum non satis est honore & dignitate excellere: sed prudentia etiam, alijsque uirtutibus, cęteros anteire debet. Prudētia experimentis uel nostris, uel
1 aliorū, uirtus nostris ipsorū actionibus cōparatur. Nemo sine prudentia nec sibi rectè consulere, nec alijs præclaram operam nauare
2 potest. Habenda est itaq; regibus consuetudo cū uiris grauibus & prudentibus, ab eisq; consilia rerum agendarum quærenda. Libri
2 etiam legendi. Vix enim est uia, qua facilius ad sapientię laudē perueniatur, quàm legendo plurima, audiēdo, et memorię mandando. Multi principū ueteris memorię memorantur, qui nullum diem sibi elabi passi sunt, quo non aliquid temporis tribuerint lectioni. Doctis etiā uiris familiariter utebantur, quos obseruabant, eisq; aures libenter cōmodabant. Aelius Lampridius tradit, Alexādro Seuero imperatori Romano in more fuisse, ut nihil sāciret sine doctissimis & prudentissimis hominibus, quibus spacium ad cogitandū & disquirendum dabat: & de iure quidem & negotijs, iurisperitos consulebat: de re autem militari, milites ueteres, & locorū peritos: præcipuè autem ab historiæ gnaris requirebat, quid ueteres imperatores in rebus similibus gessissent. Quod CAROLO V. Romanorum imperatori, & FERDINANDO regi, prudentiss. & fortissimis uiris, cùm oratoribus nostris apud eos operam nauaremus, solēne esse, ipsi animaduertimus. Maximè autē regibus legendi libri sunt, qui de regno & repub. administranda editi sunt. multa enim in illis scripta extant, quæ non audent regibus populi subiecti dicere. Situs etiam terrarum, mores omnium gentium cognoscendi: & præsertim earum, cum quibus res illis aliquādo futura sit. Turpe est eū

dici

dici monarcham orbis, cui orbis cognitus nõ sit. Quomodo enim is quicquam cum illis rectè geret, quorũ mores perspectos non habeat? quomodo bellum in illis terris fœliciter exercebit, quarum situm ignoret, quibus rebus abundent, quid in eis desideretur? Quidam etiam, omnis memoriæ facilè principes, nullum doctrinæ genus omisisse uidentur, in quo non multũ se exercuerint. C. Iulius Cęsar, primus ille Romanæ monarchiæ conditor, de lingua Latina librum ad Ciceronem scripsisse fertur. idem dicendi gloria summis oratoribus est annumeratus. Sed hæc illis temporibus laus erat principum uirorum maxima, qui etiam rationes dicendi prodiderunt: ut Brutus, Crassus, Lucullus, Cicero. At, qui, & quanti uiri? in quali Repub. uersati? quantarum rerum gloria clari? Alexander Macedo adeò cognitione rerum physicarum delectatus est, ut cum Aristotele præceptore expostularit, quòd qua re inter mortales omnes excellere uellet, eam ille docendo & scribendo alijs quoque traderet. *Mathematicæ disciplinæ ad Aegyptios reges inuentionem sui primam referunt: in quibus Iulius ille Cæsar intantum excelluit, ut anni supputationem (in qua olim uitio pontificum mirè errabatur) ipse ad cursum solis accommodauerit.* Quę supputatio adeò omnibus probata est, ut nũc sit in usu toti Christiano orbi. CAROLVM etiam Quintum, qui nũc Romani nominis gubernacula tenet, ijsdem uestigijs ad gloriæ æternitatem insistentem, ab illa laude minimè abesse, argumento sunt spectabilia illa & elaborata opera, in quibus situs regionũ, conuersiones cœli, siderũ positus ac cursus expressi sunt. quæ quidem opera, quocunq; uadat, etiam in expeditiones, cum eo circunferri dicuntur. Pulchrum est enim, maximos principes ut imperij fastigio, ita rerum cognitione alijs præstare. Sed in primis, regibus & principib. lex diuina cognoscẽda est, quaẽdmodũ Moses in Deuteronomio præcipit, his uerbis: Deut. 17.

« Posteaquam sederit rex in solio regni sui, legem Dei à sacerdotibus accipiat, eamq; omnibus diebus uitæ suæ legat, ut discat timere Deum, & custodire præcepta eius: à quibus nõ declinet, nec ad dextram, nec ad sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filij ipsius. »

Profectò enim uerbo Dei multa rectè iudicãtur, non tantum ad religionem, sed ad Rempub. & ad res priuatorum pertinentia. Erat tempus, cum qui regis fungebantur munere, uel philosophi erant, uel prophetę. quo quidem tempore Respub. optimè administratas fuisse, putandum est. Nunc multi principum nihil hæc ferè ad se pertinere statuunt. ideo & in legibus multæ prauitates, & in Reip. partibus omnibus uitia multa existunt. Et quam putas causam, cur conuentus exterarum nationum de religionis concordia habiti, ad nullũ hactenus exitũ perducti sint: nisi quia reguli, quibus res mandabatur, ex scripturis nihil iudicare ipsi poterãt, aliorum narratio-

nibus credere cogebantur: interea nihil nisi ex sententia sua definiri & concludi uolebant? Nulla est igitur compendiosior ad sapientiam perueniendi uia, quàm lectio librorum tum sacrorum, tum etiam à uiris eruditis conscriptorum: deinde consuetudo bonorum & prudentum, qui & salubria consilia dare queant, & ea quæ perperam uel instituta uel acta sint, reprehendere audeant. Profectò eorum orationem suspectam habere conuenit, qui ad uoluntatem aliorum omnia, nihil ad ueritatem loqui didicerunt: qui neq; dicto, neq; re molesti esse nouerunt: sed uel omnia, etiam magna uituperatione digna, tum dicta tum facta potentum approbant, laudant, admirantur: uel si quædam laudant, quædam uituperant, tamen utuntur oratione non satis rebus congruenti, sed in bonis metas excedunt laudando, in malis deficiunt uituperãdo. Omnino enim magis ueritas in dicendo, quàm artificium spectandum: & is optimè dicere putandus est, qui orationem rebus parem & congruam addat. Pręclarè Agesilaus, Laconum rex, illorum sibi consuetudinẽ optandam dicebat, qui iucũdi & suaues essent: sed ĩjdem pro re & tempore, tum contristare amicum, tum eidẽ resistere scirent: ab illis denicq; suas se laudes libenter audire solitum, qui ipsi ĩjdem re postulante
4 uituperare non dubitarent. Fugienda est igitur omni quidem homini, sed maximè uiro principi, consuetudo adulatorum: qui ipsi magno impedimento sunt, ne homo cognoscat seipsum. Omnibus certè hominibus hoc uitium innatum esse uidetur, ut adulatoribus delectentur. Cùm enim quisq; amet seipsum, sibiq; & tribuat ipse, & ab alijs tribui uelit, plus quàm æquum sit: fit etiam, ut adulatorẽ tanquam suarum uirtutum testem admittat, eiq; libenter aures patefaciat. Ex ignorantia igitur nostri, & morum leuitate, uitium hoc proficiscitur. Nemo illi facilè resistat, nisi cognitione sui, & amore ueritatis. Qui enim nihil in sermone atq; oratiõe, nihil in moribus ficti, fucati, atq; fallacis amabit: is certè nec alijs adulabitur, & aliorum adulationes facilè contemnet. Quòd si homines priuati, qui adulatoribus delectentur, uituperandi, quanto magis uiri principes? quorum animi falsis opinionibus imbuti, in probrosa facilè delabantur, monitores non ferant, peccati eos non pœniteat, ueritate offendantur, uanitate orationis gaudeant. Sed mores depraua ti effecerunt, ut hoc uitium non alibi magis atq; in aulis principum regnet: adeò ut nemo bonus aulicus habeatur, nisi qui adulari, ad uoluptatem aliorum loqui, multa pro loco et tempore fingere sciat. Ita, quæ domus exempla uirtutum præbere deberet plurima, ea labem hanc nefandam infert, & pernicioſam ueritati. Quocirca uitiũ hoc fugiendum est, ueritas & prudẽtia amanda: qua qui destituuntur, rerum potiti, miscent & perturbant omnia: ipsiq; tandem cadunt maximo rerum humanarum malo. Etenim fieri nõ potest, ut

sine

sine prudentia Respublicæ bene regantur. Ea enim dux est & gubernatrix actionum honestarum, ac uirtutum omnium. Quarum uirtutum quatuor præcipuæ numerantur, temperantia, iustitia, liberalitas & fortitudo. Quæ omnes quidem omnibus ad beatè uiuendum maximè necessariæ sunt: sed regibus, qui populis imperãt multis, multo magis. Nemo enim rectè alijs imperat, qui affectionibus suis modum imponere non queat: qui iniustus, qui animo fracto & imbecillo sit, qui idoneis hominibus indigentibus non libenter de suo impertiatur. Dicamus igitur de singulis. Primùm de temperantia seu moderatione, quæ animi perturbationes sedat, potestatis habenas regit, rebus modum constituit. Verisimè apud Sallustium C. Cæsar, qui de rebus dubijs consultent, eos odio, amicitia, ira, atq; misericordia uacuos esse debere, censet. Quòd si animos priuatorum decet consultando ac agendo ab ira, alijsq; motibus alienos esse, quanto magis principum? quorum & ira in crudelitatem facilè migret, aliæ quoq; animi perturbationes paruo negotio ad affectus suos perducantur. Omnino qui ipse sibi non dominetur, quiq; affectionibus suis seruiat, Domini appellatione est indignus. Sibi enim quisq; prius imperare debet, quàm alijs. Græci uocant eiusmodi perturbationes πάθη, quasi passiones: patiuntur enim animi, illarum quasi percussione, ac ne uerum cognoscant, impediuntur. Hinc principes illi in tragœdijs ira cæci, liuore furẽtes: & cõmunis hominum uita testatur, quas rixas, pugnas, seditiones excitare soleant, qui imperio eiusmodi perturbationum obtemperent. Quo magis principes, & omnes qui sunt in magistratu, decet, ut ab illis caueant: animum ad ueram agendi rationem assuefaciant, ut fræna imperij rectè moderari, ac in actionibus cum laude uersari queant, simulq; à uoluptatibus corporis sibi temperandũ statuant. hebetant enim illæ animi uires: hominem, qui se illis dedidit, de gradu dignitatis deijciunt, atq; à claris & honestis laboribus eũ abducunt, nec sui possessorẽ se diu frui permittũt. Testis est uita hominũ & libri sapientum docent, rem ita se habere. Nos igitur hoc omisso loco, ad iustitiam trãseamus. Cuius fruendæ causa, ut Herodotus, Cicerone interprete, ait, olim bene morati reges constituti sunt. Eius proprium munus est, cuiq; quod suum est tribuere. & id quidẽ duabus in rebus potissimum cernitur: in prẽmijs & pœnis. Hodie pœnarum ratio habetur aliqua, præmiorum modica. nisi fortè personę aliunde commendatio accesserit, quàm ex sola uirtute. Nam hominibus tenui fortuna, uel si in omni uirtute excellant, nulla, aut certè perexigua præmia proposita sunt tum ad opes, tum ad gratiam, tum ad dignitatem. Quid est, alteram partem Reip. rectè gubernãdæ curare, alteram negligere, si hoc non est? Si omnes debitis pœnis plectuntur ob delictũ, cur non omnibus æqua præmia soluuntur

tur ob uirtutem? Solon enim ille in legibus Athenienſium ſcripſit, non minus præmijs quàm pœnis Reſp. contineri. Niſi enim boni præmijs, mali pœnis afficiantur, Reſp. diu ſtare non poteſt. Pœnæ legibus apud nos comprehenſæ ſunt: præmia in honoribus diſtri-
2 buẽdis cernuntur. de utriſq; ſuis locis à nobis dicetur. Nunc illud, quod in regibus in primis neceſſarium eſt, dicamus: ut maximè charam habeant Rempub. neq; ullam eius partem negligant, neq; tam ſuę ipſorum utilitati quàm publicæ ſuorum populorum inſeruiant. Apud ueteres quidem, quoties aliquis regis titulo honoratur, toties cuſtodem populorum, paſtorem'ue ſe uocari audit. quibus uerbis admonetur, ut quos regere uelit, eoſdem quoq; paſcere meminerit. At paſtoris eſt, non tam ſibi quàm gregi conſulere. quod oraculis Dei proditum eſſe, Ezechiel diuinus uates refert his uerbis:
» Væ paſtoribus, qui paſcunt ſemetipſos, nonne greges à paſtoribus
» paſci debent? & cætera, quæ uates copioſè commemorat. Quemadmodum igitur paſtoris eſt, magis gregi quàm ſibi conſulere: ita regis, hoc eſt hominum præſidis ac cuſtodis, eſt, non ad ſuas ipſius, quod eſt tyrãni, ſed ad eorum quos regit commoditates omnia referre. Qui enim in Repub. plus ſuis commodis conſulunt, ij perſonam uiri principis pro dignitate tueri non poſſunt: ad iniuriam faciendam ſæpe aggredientur, poteſtas ipſa præbebit eis occaſionem
3 ad nocendum. Illud uerò quis non uidet minimè decere, ut cui totum corpus commiſſum eſt, is aliqua membra curet, alia deſerat: ab aliquibus iniuriam arceat, ab alijs minimè: plus nonnullis ciuium iuris tribuat quàm alijs, maiorem in Senatu quibuſdam præ cæteris authoritatem concedat. Quod quidem ut neceſſarium eſt, ſi cuius authoritas fundamentis prudentiæ, fidei, & uirtutis eſt conſtituta: ita prorſus indignum, nullo rerum illarum reſpectu. Sequuntur enim illud partium ſtudium, cùm incommoda multa & uaria, tum confuſio & perturbatio officiorum: ſæpeq; fit, ut qui negliguntur, uel negligant etiam ipſam Rempub. uel odio habeant: qui autem præter meritum dignitate aut commodis ultra alios aucti ſunt, ij ſint inepti muneribus Reip. aut non ita merentur de illa ut deberẽt. deinde inter ipſas partes fiunt iniuriæ, & uerbera, & cædes, & alia
4 mala infinita. Cùm autem reſpublica ex inopibus & locupletibus, ex nobilibus & plebeijs, & ex alijs ordinibus conſtet: efficiendum eſt regi, ut ſi concordiam ciuium uelit eſſe firmam, conſtituat inter eos, quoad eius fieri poſsit, æqualitatem: non quidem res omnes inter eos communes faciendo, aut diuitibus quod inopibus daret detrahendo, aut plebeijs nobilium prærogatiuas concedendo, aut ordines confundendo: ſed demendo de animis omnium arrogantiam, inſolentiam, ſuperbiam, & id genus peſtes, ſocietatem humanam turbantes. Videmus homines huiuſmodi uitiorum peſti-

bus

bus infectos, odiosam quandam, tumidã, & Reip. maximè nocentem inæqualitatem palàm uenditare: splendida ueste, ministrorum comitatu, imaginum uetustate, ferro, bombardis, & gladiorum fulgore superiores se cæteris hominibus facere: hinc honores deposcere, magistratus ambire, imbecillioribus pauorem ac terrorẽ incutere: uirtutem ac dignitatem ijs qui inferiores sint genere, potentia, opibus, magna ex parte detrahere. Hinc enim illæ uoces, & scripta mordaci felle tincta: plebeium sanguinem nec fauere, nec amicum posse esse unquam nobili sanguini. His uocibus, his'que pestibus regnantibus, nulla æqualitas, hoc est humanitas, beneuolentia, misericordia, iustitia nulla esse potest in Republica. Cõtrà, detracta de hominũ locupletũ diuitijs existimatione, de nobiliũ genere insolentia, de animis eorũ qui potentiores sunt superbia, coęquabuntur superiores cum inferioribus, ac in rerũ uarietate animorum paritas elucebit ordinum omnium. Non pœnitebit pauperes suæ paupertatis, nec plebeios sui generis: nec eos qui sunt alijs subiecti, suæ humilitatis. Omnino uirtus omnis, nisi in animis hominum radices fixerit, in rebus externis fragilis & caduca apparebit. Adeò nec iustitia nec concordia uera & stabilis est futura inter ciues, sine illa animorum æqualitate. Hanc in animis hominum efficere, planè regium est. Sunt qui regere, & regem dici, idem esse putent: quemadmodum pueris equo insidere idem est, quod regere equum: & dicere ius, idem quod in loco iudicis sedere: & agere præsidem, idem quod insignibus præsidis ornari. Verumenimuerò uehementer pueros errare, & Phaeton ostendit, qui importunitate à patre obtinuit, ut currum regeret, suo quidem & rerum humanarum magno malo: & Cyrus puer, qui tunicis, inter quos non oportuit, cõmutatis, iniquum exercuit iudicium: & multi homines mali ac stulti, qui ornamẽtis & reditibus magistratuũ gaudẽt, rem gerere nec sciunt, nec uolũt. Quid est igitur regem esse? Omnino, si uerũ quærimus, non aliud est, quàm regere populos ditioni ipsius subiectos. Quomodo autem regendi sunt, nisi sapientia, & uirtute duce? illa ostendit rationes bene regendi, hæc uoluntatem addit efficiendi optimi regiminis. Cedò igitur, quomodo cõstabit ratio optimi regiminis, nisi paritas erit inter ciues constituta: quæ cùm esse non possit nec opum, nec generis, nec ordinum, necesse est eam cõstitui, uitijs illis ex animis hominum depulsis, arrogantiæ, insolentiæ, superbiæ: ut quasi in membrorum corporis unius disparitate, mixtura appareat grata, & toti corpori conueniens. Quo autem magis per regem uitia illa ex Republica fuerint abacta, hoc putabimus eum non tantum corpora hominum, acres extrà positas, sed magis etiam animos regere & gubernare. Quod regiminis genus quãto difficilius, tanto præclarius existimandum est. Et certè hoc est homines uerè

regere, animis eorum imperare, pectora mulcere, ac fluctus perturbationum sedare & tranquillare. Hoc fit partim sermone prudẽti, increpatione leni, exhortatione seria, quorum rationes opportunius à nobis alio in loco exponentur: partim ijs nutibus ac gestibus, quibus homines moderati & humani regis beneuolentiam agnoscant: inhumani, tumidi, & superbi indignationẽ experiantur. Igitur rex superbè aliorum dictis aures ne accommodet, insolenter factis ne arrideat, arrogantium hominũ consuetudine ne delectetur. Contrà, quo quenque modestiorem uiderit, & in dictis, & in factis, & in omni uita, hoc eum magis comprehendat. Petulantia uerò illa dicta, quæ inter sanguinem plebeium & nobilem, hoc est, inter Reipub. quasi corporis unius membra, discordiam, odiũ & hostilitatem inducant, ex sua Repub. omnino abigat. Non iam dico, ut ea puniat: nõ enim de legibus nunc tracto: sed dico, ut ne eiusmodi uesanas uoces nec apud se iactari, nec in uulgus spargi permittat, quia uanę sunt, quia contumelioſæ, quia in Deum & in homines impiæ, quia multorum malorum seminarijs refertæ. Certè etiam authorum suorum cogitationes infestas produnt. ferè enim fit, ut quo quisq; sit animo in alium, eo illum in se esse putet. Inde enim suspiciones istæ oriuntur, & sermones odiosi, quibus uigẽtibus, societas uitæ constans & firma esse non potest. Neq; sperandum est, ut isti Rempub. in summis discriminibus unà defendant, qui sic hostiliter de sese mutuò & sentiant, & loquantur. Ergo efficiendum est regi, ut uirtuti, saluti, & dignitati omnium ciuium ex æquo faueat, & consulat: ut quemadmodum est communis populorum suorum dominus, ita communis sit eorundem pater. Domini est, coercere ac punire inobedientes seruos: patris est, beneficum esse & indulgentem in filios. Vt igitur omnes qui regi subiecti sunt, & timeant regem, quod est seruorum, & eundem ament, quod est filiorum, omnes ab eo coercendi sunt qui deliquissent: qui autem in officio permansissent, paternę beneuolentię ac benignitatis sensu complectendi. Et delectum quidem personarum ex uirtute facere, necessarium est gubernatori Reipublicę. Cęterùm utilitatem, quam ex aliquo percipias, uirtuti præferre, prorsus indignũ. Polybius, uir doctus, &, ut scripta eius indicant, multum uersatus in aula, scribit, reges neminem nec amicum nec inimicũ natura habere, sed utilitate amicitias & inimicitias metiri. Sed Polybius scripsit, quod in moribus regum deprehẽdit, nõ quod existimaret fieri oportere. Quòd si priuati homines utilitate amicitias probantes, digni sunt reprehensione: quanto digniores sunt ij, qui personas publicas gerunt? Nullus quidem potest esse respectus iusti & honesti, ubi omnia ad utilitatem conferuntur. Optimus igitur mos erit, si gubernatores eos sibi & Reip. amicos esse putabunt, quos uiderint uirtutis studioſos:

dioſos: inimicos, quos uirtutis hoſtes. quales ſunt homicidæ, libidinoſi, raptores alienorum, & alijs flagitijs inquinati: quorum conſuetudo & familiaritas notam principi aliquam inureret, maieſtate eius indignam. Quod ſi rex totam Remp. charam habebit, nullamq; eius partem patietur deſertam, certè & illud faciet, ut omnia municipia, quę hodie Palatinatus uocamus, in orbem circumeat, ac ſtatis temporibus in eis commoretur. In hoc enim ſingulis municipijs additi ſunt ſinguli magiſtratus, & ſinguli qui obeant miniſteria regis, ut ne rex alijs locis neglectis, uno aliquo oblectet ſe: ſed ſingulis ſe per uices oſtendat regem eſſe cum poteſtate, in ſingulis certis temporibus regni ſolennia capeſſat, uota et querelas audiat, iudicia exerceat, ac omnia officij ſui munera exequatur. Cognoſceret hac occaſione municipiorum omnium ſitum, locorum & arcium munitiones, & quàm ſint rebus neceſſarijs inſtructæ ad aliquã uim hoſtium ſuſtinendam: denicq; agrorum cultum, quid ferant, quid'ue recuſent: hominum item ſtudia ac mores, quos uel emendaret, uel tanquam cenſor notaret, ac in iudicium uocaret. Otioſos, ignauos, rei familiaris & cultus agrorum deſertores caſtigaret, ac ad officiũ reuocaret: in ſceleratè & flagitioſe uiuentes animaduerteret. Iret hoc modo rex obuiam otio, improbitati, & petulantiæ multorum: neq; eos libertate illa immodica, ac potius licentia diffluere pateretur. Multa rex uideret ac ageret ipſe, multa uiris probatæ fidei cõmitteret. Intolerabilis eſt illa præfectorum quorundam municipalium licentia, in plebe ſpolianda, in acceſſu ad regem denegando. qui quidem acceſſus etiamſi non prohibeatur: plus tamen præfecti uerbis fidei haberi ſolet, quantumuis noxij, quàm popularium multorum iuſtiſsimis querelis. Sed rex præſens in municipio, facilè omnia expiſcaretur, nec ſibi à præfecto imponi ſineret, ſi eum cauſam ſeriò dicere, ac ſine ullo perſonæ reſpectu eo loco eſſe iuberet, quo alij quorumuis criminum rei eſſe debẽt. Aurea ſecula è cœlo, regnaq;, ut inquit Virgilius, Saturnia nobis redire uiderẽtur, REX, ſi morem hunc deſitum quidem, & longo ſeculorum interuallo intermiſſum, ſed & ſanctiſsimum, & Reipub. ſummè neceſſarium, renouares. In delationibus nominis alicuius decet cùm omnem hominem, tum regem maximè, morem ſequi Alexandri Macedonis: qui nemini delatorum utranq;, ſed unam tantùm aurem pandebat, alteram delato integram ſeruabat, inde tandem quaſi inter duas aures medius ſententiam ferebat. Ergo ſi quiſpiam ad te ſecretò delatus eſt, uide ut delatum, per te aut quemuis alium, ſemotis arbitris admoneas: eiusq; uel confeſsionem uel excuſationem audias, delatore tamen occultato. Singulari cautione opus eſt, ne delatoribus uel fides mox habeatur, uel uia deferendi prorſus præcludatur. Et quemadmodum nimiæ credulitatis eſt, omnia quæ audiſſes pro

certis accipere, qua insidiatores abuti possint malũ alicui machinãdo: ita omnibus aures claudere, imprudentiæ est. Multa enim sæpe per multos indicantur, ad cauendum tibi ac Reipub. perneccssaria. Itaq; principis est, nec delectari criminibus audiẽdis, nec fidem delationibus prius habere, quàm omnibus cognitis quæ contrà dici possint. Qui malicia aut studio nocendi deferre aliquem certis argumentis compertus fuerit, ne sit ei impunè. Sed tamen ita in eum animaduertatur, ne cæteri à deferendo deterreantur, qui non alicuius priuato odio, sed Reipub. cui commodare uellent, amore, sæpe
3 de rebus multis principem commonefaciant. Illud etiam minimè est regium, sed prorsus tyrannicum (quod tamen quidam potentię suæ stabiliendæ causa faciunt, ut uel causas inimicitiarum inter optimates serant, quo facilius quod optant, illis dissidentibus efficiant: uel animos eorum aliquibus iniurijs frangant, quòd qui animo sunt deiecto, non facilè obstent libidini aliorum: uel eorũ potentes esse nullos uelint) quod in Hungaria annis superioribus Turcam molitum esse aiunt: dum & colonorum obedientia, & armis interdictis, nobilitatem in ordinem redactam uoluit. Similia sunt, aut etiam crudeliora, quæ memoria superiore Callimachum Experientem suasisse ferunt, Ioanni Alberto regi: quæ quidẽ omnia uel ad excidium, uel ad imminuendam ordinum dignitatem pertinebant. sed Rex optimus pernicioſa consilia, & ad tyrannidem spectantia repudiauit: Remq; publicam eodem statu, quo à maiori-
3 bus acceperat, & ipse conseruauit, & suæ posteritati prodidit. Omnino princeps, Reipub. author & custos, debet esse pacis ac concordiæ inter ciues, controuersiarum uerò & discordiarum sedulus cõpositor. Nec secus debet dolere dissensionibus suorum ciuiũ, quàm uel pater filiorum, uel caput reliquorum membrorũ: cùm quidem ipse caput sit Reipub. suæ, paterq; patriæ appelletur. Non potest esse corpus sanum, nec bene constitutum, in pugna cutis cum ossibus, pituitæ cum sanguine, genuum cum cruribus, cordis cum epate. Non est uerus pater, qui filiorum discordias uel excitet ac alat, uel non curet tolli & extingui. Non est dignus principis regisue nomine, qui iniurijs afficit suos populos, odijsq; eorum inter ipsos & delectatur, & seruit rebus suis: quemadmodum pastor indignus est appellatione sua, cum oues dispellit, opimis pascuis abigit, ac ouilia miserrimis cædibus replet. Et hæc in præsenti de iustitia, de
4 qua erit nobis secundo libro amplior dicendi locus. Adiungitur iustitiæ liberalitas, uirtus tam popularis, quàm quæ maximè: & ipsa uiro principi in primis necessaria. Est autem liberalitatis, dare cum dandum est, cui dandum, quantum, & propter quid dandum. Itaq; non abs re fuerit, de omni sumptu consilia cum delectis communicare: ac quicquid fuerit muneribus expensum, de eo, quemadmo-

admodum de alijs sumptibus necessarijs, ad præfectos ærarij rationes referre. Nisi talis diligentia adhiberetur, annui reditus facilè exhaurirentur: ueniretur que tandem ad alienandos oppignerandos que reditus arcium, municipiorum que: aut certè bello, aliaq; Reipublicæ necessitate imminente, Rex se turpiter daret. quod non sine maxima & regiæ dignitatis imminutione, & Reipublicæ iactura ac discrimine accideret. Est autem illud uerissimum: Prodigalitate opes minui, parsimonia augeri. Hęc de liberalitate. Ma ximè autem uiri principis est, rebus secundis non efferri, aduersis non succumbere. In pace etiam saluti & dignitati tum suæ, tum suorum populorum ad perpetuitatem consulere. Fœlix ciuitas, inquit ille, §

Tempore quæ pacis, bella futura timet.

Ergo regi curanda sunt omnia quæ ad bellum pertineant, arma paranda, loca hostium incursionibus exposita frequentanda. Libentius milites in ea loca confluent, in quibus scient regem suum sæpe uersari: diligentiores erunt in officio: hostibus etiam erunt formidabiliores. Denique pax constantior erit, & diuturnior terræ, cuius principem uigilantem, ac omni tempore ad bellum paratum, exteris cognitum fuerit. Sed de bellis Tertio libro dicemus.

Quoniam autem non tam edictis & decretis homines obtemperant, quàm exemplo ad res præclaras excitantur: ideo principis est, se talem, regenda uita sua, præstare, quales populos sibi subiectos uelit habere. Mirabiles fortitudinis aculeos in animis militum suorum relinquit Imperator, cùm ita dicit: Eia milites, quod « me uideritis priorem facientem, hoc quoque ipsi pergite facere. « Contrà ignauum imperatorem, & delicijs luxuriantem, nullus militum, quantumuis magnificè loquentem, libenter audiet. Paulus apostolus tanti facit disciplinam domesticam, ut ex hac magnum sumat argumentum futuri Ecclesię episcopi. Quomodo enim, inquit « ille, ecclesiam Dei gubernabit, qui propriæ domui præesse non no- « uit? Præstet ergo se princeps in omni uita talem, quales uelit esse populos suos. Nam, ut inquit ille, — *Componitur orbis* IIII

Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta ualent, quàm uita regentis.

Magnam profectò necessitatem parendi imponit princeps populo suo, cum non tantùm uerbis præcipit, sed exemplo præit omnibus, quasi manum porrigẽdo sequuturis. Hæc necessitas non ui quidẽ corporali, nec ferro (quod legum est ac iudiciorum officiũ) perficitur: sed pudore omnibus iniecto, ni faciant ea quæ principẽ suum uiderint facientem. Hac ratione princeps & aulam suam docebit, & magistratibus uirtutes gerendi res omnes commendabit,

& presbyteros ad munus suum excitabit, & iuuentuti uiam monstrabit ad artes optimas perdiscēdas, & subditos sibi homines prudentiores ac ad omne genus officij diligentiores efficiet. Parebunt ei omnes non inuiti, in rebus duris eum non deserent, & læta & aduersa communia sibi cum illo ducent: pro uiuo dimicabunt, cum
V mortuo cupient mori. Atq; in his omnibus uiro principi cogitādum est, omnia de quibus diximus, & quæ in eo requirantur, non tam esse humanarum uirium præstare, quàm diuini beneficij. Itaq; à Deo suppliciter petendum esse, ut in tanta rerum administratione aspiret auram benignitatis suæ. Neq; uerò in eo illi est acquiescendum, quòd sit legitimè nactus principatum. Nisi enim legitimè eo usus fuerit, nisi consilia & actiones suas ad Rempub. rectè regēdam, ad iustitiam omnibus ex æquo administrandam, ad religionē summi Dei tutandam conuerterit, nisi per uias mandatorū Dei am
Lib. 1. Regum, capitibus diuersis. bulauerit, non alio loco reputabitur quàm Saul ille rex Israelitarū: qui in illa gente erat & optimus omnium, & pulcherrimus, qui iussu Dei in regem est electus, qui prophetauit, qui cum omnibus populi Dei hostibus circumcirca fortiter bella gessit, ac multas uictorias reportauit. uerùm quia uiam præceptorū Dei deserebat, ideo & à Deo abiectus, & regnum Israelis ab eo scissum, alteri delatum: & à spiritu Dei desertus, spiritui maligno traditus est, & in prælio filios suos omnes uidit interfectos: ipse quoq; uulneratus, sua ipsius manu est tandem trucidatus. Sed hęc omnia de Saule, notissima sunt ex historia sacra. Illud etiam de Ludouico Hungarorum rege, notius est quàm ut multis uerbis referendum sit: qui & ipse legitimè electus erat: sed quia iustitiæ parū diligens custos erat, choreis magis quàm seriis negotijs studebat, oppressorum iniurias nō uindicabat, aliaq; regia munera negligentius obibat, ideo talem uitæ exitum habuit, qualem orbis Christianus semper mœrebit.

CAPUT X.

1. Senatus & equestris ordinis legati, cur in consultando de Rep. adduntur regibus? 2. Regi cur summa potestas data in republica. 3. Et hic de officio Senatus breuiter: 4. & de consiliarijs regis, qui illi adsint perpetuò: 5. & de secretarijs singulorum districtuum. 6. Regis est, ut consilio senatorum ipse adsit. 7. Concluditur definitio senatus, sumpta ab officijs.

I VM igitur uariæ propositę sint pœnæ regibus nō bene fungentibus officio suo, nullusq; regum fuit qui solus omnia munera sustinere posset, est hoc ferè ubiq; moribus usitatum, ut ipsis regibus Senatus & multi magistratus addantur, qui cum eo Remp. administrent. Quod & Moses princeps
Exo. 18. populi Dei fecit, qui consilio Iethronis Madianitæ affinis sui, elegit multos uiros principes, cum quibus potestatem suam communicaret.

nicaret. Fecit & Darius Medorum rex, qui & ipse satrapas principesq; multos constituit, in quibus Danielem Hebræum esse uoluit: qui cum eo res omnes administrarent ac regerent. Apud Polonos, ultra Regem & Senatum, plurimum ualet Equester ordo: à quo mitti solent ex singulis municipijs certi legati, qui etsi ius dicendæ sententiæ non habẽt, tamen de multis rebus necessarijs referunt ad Senatum. Decreta etiam omnia examinant: ut si quod Reip. noxiũ esse uideatur, huic intercedant. Itaque nullæ leges apud nos, nisi legatis municipiorum subscribentibus, ratæ habentur. Videntur esse eo loco, quo apud Romanos erant Tribuni plebis. Cum enim in uulgo desideretur semper prudentia, grauitas, constantia: dabatur negotium delectis uiris, hoc est Tribunis, sententijs Senatus intercedendi, atq; prouidendi, ne quid Resp. detrimenti acciperet. Vidimus ipsi multa præclara esse cõstituta apud nos, ordine Equestri approbante: multa noxia reiecta, eo improbante. Quod utinam perpetuum esset. Sed aliquando uisi sunt plus nimium ordinis sui amantes: nec tam Remp. curare, quàm libertates suas tueri, quod in iniquissima lege homicidiaria apparuit. Itaq; uideant legati, ne per eos Respub. maximum aliquando detrimentum capiat, cum ordinis sui & dedecore, & summa calamitate. Sed hoc omen Deus obruat: in hancq; mentem uniuersum Equestrem ordinem impellat, ut illi sui amore posthabito, uniuersam Rempub. hoc est omnes homines in hac uitæ societate nobiscum uiuentes, complectantur: omnium curam suscipiant: omnium uitas, commoda, dignitates tueantur. Quod cùm erit factum, tunc iustissima causa apparebit, quamobrem ut Senatorius, ita Equestris ordo additus sit Regiæ potestati. Sic enim habendum est, neminem unum esse, qui uel consilio, uel operis suis totã Rempub. sustinere possit. Et quemadmodum unusquisq; plus duobus oculis cernit, melius duabus auribus audit, duabusq; manibus & duobus pedibus plus negotiorum conficit, quàm si uteretur uno oculo, una aure, uno pede, & una manu: ita omnibus, quibus multi populi & infinita negotia cõmissa sunt, necesse est, multorum oculis & auribus, & pedibus & consilijs uti, ad res rectè & ordine gerendas. Quæ causa mihi fuisse uidetur, quamobrem regibus ac principibus iure gentium summa potestas data sit in Rep. quos nimirum in summo dignitatis gradu constitutos, ac omnibus suis populis consulentes, non unius aut paucorum consilijs in rebus agendis uti oporteret, sed multorum hominum eorundemq; & optimorum, & prudentissimorũ, quorum illis maior quàm cuiquam alij copia esse possit. Etenim si rectè iudices, minimè hoc ferendũ esset, ut uni alicui homini, qui & ignorantia multarum rerum laboraret, & humanis affectionibus obnoxius esset, summa Reipub. committeretur. Sed cùm regia potestas multorũ

Daniel. 6.

Similitudo, Aristot. Polit. 3.

præ

præstanti uirtute & prudentia niti debeat, æquum uisum est ut ea unus fungeretur, qui ipse omnes regeret. Facilius enim unius imperio paretur, quàm plurium: facilius unius impetus & refrænantur, & quò nõ oportet ruentes retrahuntur, quàm multorum. Aequum itaq; uisum est, ut unus quasi caput alijs mẽbris, quod factu commodissimum iustissimumq; esset, præscriberet: decreta de rebus agẽdis faceret, & exequeretur: dubia & incerta explicaret: quẽque ciuium in officio contineret: ac meliorem, quoad posset, efficeret: denicq; pacis cum honestate tum domi colendę, tum foris ab hoste tuendæ, dux & author esset. Si enim plures in eadem Repub. cũ hac potestate essent, inextricabiles persæpe existerent difficultates: ut non immeritò in populari, incq; optimatum administratione, tẽporibus periculosissimis ad unum (quem Romani Dictatorem appellabant) summa rerum deferretur. qui, excepto quòd ad tempus
3 imperitabat, quid aliud quàm rex erat? In primis igitur curandũ est, ut Senatorius ordo sit quàm optimè constitutus, qui secundum regem summus est in omni Reipublica. Constat apud nos ex omni ferè genere magistratuum, & ordinis sacri & profani. Quamobrem summa diligentia regi adhibenda est magistratibus legendis, ex quibus receptum est cooptari Senatum: hoc est, summum Reipublicæ consilium, publicæ salutis & dignitatis custodem, regis ac principis ad pulchra & honesta excitatorem, à turpibus ac inhonestis dehortatorem, prauarum eius affectionum moderatorem. Sine cuius quidem Senatus consilio, sententia, authoritate, nihil publicè nec domi nec foris agi fas est. Præter Senatum ordinarium, qui
4 de summa Reip. consultet, quicq; non nisi de grauibus rebus, idq; ferè in conuentibus uniuersorum, cogi soleat, conuenit regem habere familiares aliquos, qui nunquam ab eius latere discedant: cum quibus de rebus omnibus deliberet, et omnia communicet quę sint factu necessaria: imò, cùm etiam cogendus est frequens senatus, cũ quibus de præsenti negotio disputet in utranq; partem, priusquam referat ad Senatum. Fert hoc rerum natura, mos populorum, & instituta, ut quisq; hominum habeat, quibus cum familiariter utatur: quibus cum de rebus suis prius consilia communicet, quàm ea proferat. Quanto magis principem decet habere, quibus se & suas deliberationes prius aperiat, ac uicissim illorũ sententias audiat: quid' ue fieri possit, quid minus, de illis exploret. Hoc modo & de aliorũ sententijs rectius postea iudicabit: & dissidente Senatu, quod ei melius & Reip. utilius uisum fuerit, facilius deliget. Sint autem familiares regis, qui ad secreta admittantur colloquia, fide & taciturnitate præditi. Multa enim eueniunt incommoda ex consilijs prin
5 cipum, temerè & ante tempus euulgatis. Sunt monarchæ, qui rebus ac negotijs tum extraneis tum domesticis prouinciarum suarum,

rum, dent singulos consiliarios ac secretarios, qui negotia sibi demandata curent & cõficiant. Laudabilis mos, & uiris principibus, qui prouincijs amplissimis præsunt, & qui cum nationibus diuersis causas communes habent, percommodus. Etenim cùm unus aliquis causas sustinet omnes, tum & ipse ferundo oneri parum sufficit, & res tardius eunt: & quorum causa agitur, sumptus maiores facere, plusq; temporis perdere coguntur. Cum uerò quisq; curat quod sit sui muneris, negotia citius meliusq; expediuntur: nec unus infinito causarum labore obruitur: homines etiam & municipales, & externi, minore cùm sumptuum tum temporis iactura domum reuertuntur. Vacante loco alicuius eiusmodi secretariorum, seu morte, seu alia causa, non id sibi monarchę sumunt, ut suo arbitratu alium sufficiant: solent enim impediri multorum petitionibus, ut non quem uelint, quamuis idoneum, deligant, sed qui eis obtrudatur. Itaq; tota potestas eius rei est cęterorum consiliariorum, ut ipsi deligant, & in locum uacantem reponant, quem putauerint maximè idoneum. Par autem fuerit, regem adesse præsentem consul- 6
tationibus Senatorum de Republica. Nam præterquam quod melius ingenium suorum, sententijs quas dicant audiendis, perspiciet, & cui quisq; rei sit magis aptus cognoscet: causam etiam ipsam, qua de agatur, planius & uberius intelliget, decretumq; quod magis sit è Rep. longè commodius faciet. Quid uerò in contrarijs Senatorũ sententijs regi faciendum, & numerandæ an uerò ponderandæ sint sententiæ, infrà, cum de Senatusconsultis ferendis agetur, ostendemus. Nunc de munere Senatus pergamus dicere: sine quo, uti 7
diximus, nihil fas est agere regi in Republica. Eius enim arbitrio leges conduntur, iudicia exercentur, bella administrantur. Magnum est hoc munus atq; onus, & haud scio an omnium longè maximum, se Reip. custodem, tutorem & defensorem profiteri, ac præ se ferre. Nemo existimet se cum dignitate in eo uersari posse sine magno ingenio, usu maiore, prudentia longè maxima, sine sententiæ ponderе, sine consiliorum multa & exquisita ratione.

CAPVT XI.

Quid deceat Senatum, atq; adèo omnes cõsiliarios? ut 1. *dicendis sententijs omnia circumspiciant:* 2. *extemporalitatem uitent:* 3. *perturbationibus animi non obtemperent:* 4. *primam rationem honestatis semper habeant:* 5. *aliorum rectis sententijs candidè assentiantur:* 6. *quod rectum esse sentiant, id loqui audeant:* 7. *Plus ponderare sententias quàm numerare studeant:* 8. *Sequitur epilogus.*

RECTE igitur uiris principibus, qui tantam rerum sustinent molem, præcipitur, ut animis intentissimis, diu multumq; & simul omnia considerent, in omnes Reip. partes penitus introspiciant, negotium de quo futura sit consultatio cognoscant; tempora, loca, per- 1

sonas, rerum præsentium statum perpendant: semper aduocent in consilium rationem: res superiores cum præsentibus conferant, atq; ex illarum similitudine rebus futuris consulant, inq; ijs meditãdis multum temporis collocent. Ideo Homerus indignũ esse putat uiro primario, totam dormire noctẽ: cuius tutelæ populi commissi sunt, & in cuius cura pendent momenta rerum maxima. Atq; hanc sententiã tanti facit uir ille, ut eam non alicui Græcorum accommodet: sed Deum opt. max. introducat, qui eam proferat. Quod quidem præceptum cùm ad omnes pertinet rectam uirtutis uiam ingressos, tum in primis ad summum hoc Reip. consilium: ut quod tempus uulgus profanum dat comessationibus & lusionibus, hoc illi partim quieti dent, partim consilijs inquirendis Reip. rectè gubernandę. Qui enim totam noctem uel stertentes, uel epulis & potationibus inseruientes, ueniunt impremeditati in publicum cõsilium, hi profectò culpa uacare non possunt. Ergo necessariũ fuerit consiliario, Reip. uitia quibus laboret, atque ea de quibus sit futura consultatio, prænosse, ut ad consultandum dicendum'que sit probè
2 instructus. Omnino enim extemporalitas illa dicendi de rebus maximis, fugienda est. Etenim à consiliarijs nõ tam celeritas exigitur, quàm sententiæ pondus: quod certè iustum esse non potest, nisi præuisis & circumspectis pluribus rebus, ut ex ijs eligatur id quod sit maximè necessarium. Iam extẽporalitas illa si studiosè captetur, ab ostentatione magis quàm à recto iudicio uidetur proficisci, neq; uanitate uacua esse potest. Fit enim ferè, ut quæ semel ab aliquo sine præmeditatione dicta sint, ea cum temeritate defendantur. Quod cùm in omnibus reprehensione dignum sit, tum magis in uiris principibus, qui de rebus maximis dicant sententias: eas'que non tantum ratione, sed authoritate etiam ualere uelint. Rectè igitur Alexander Seuerus, imperator Romanus, in consultando, ne quis imparatus responderet, spacium ad cogitandũ dabat. Quamobrẽ qui de rebus grauibus data opera ex tẽpore & loquantur ipsi, & alios loqui uelint, ostentatores sunt iudicandi: qui autem negotijs non rectè prius expensis, ueniant in Senatum, hoc est in templum & sacrarium Reip. hi sciãt, se Deo meritas daturos pœnas malè gestæ
3 Reipublicæ. Quid uerò de illis sentiendum est, qui in hoc sacrarium ueniunt animis gladiatorijs: ita ad iniustè nocendum alicui parati, ut id uel suo periculo tentare non dubitent? Non potest animus ira, odio, uel aliqua perturbatione incitatus, nec ratione regi, nec ueritati assentiri. Non potest nec rectè iudicare, nec uerum consilium liberè dare, qui ipse sui iuris non est, prauis seruiens affectibus. Nam quę obsecro crudelior dominatio esse potest, quę tyrannis acerbior, quàm iræ, odij, doloris, effrænatarum cupiditatũ, libidinum, & illegitimorum appetituũ: qui lucẽ animi obfuscent, liber-

tatem uoluntati eripiant, hominemq; qui se illorum permisit imperio, huc atque illuc rapiant? Ergo & commotiones animi prauæ, uiris principibus comprimendæ sunt, ac tanquam in gyrum rationis ducendæ: & dissensiones uitandæ, quæ ex ira, odio, & aliis perturbationibus exultantibus & turbulentis existere solent. Multa exempla nostrorum superiorumq; temporum docere nos possunt, graues calamitates & rebus publicis & priuatorum ex seditionibus procerum importatas esse. multos enim sectatores habent, qui se illis adiungant: cum quibus ueluti coadunatis copijs, & in foro, & in Senatu, & ubi possunt, odia inter se intantum exercent, ut alij in aliorum perniciem uideantur incumbere. Nec uerisimile est, ut reditus illorum in gratiam, quamuis frequentes & illustres, fiant bona fide, qui minimo momento maximas turbas excitant, & tanquam crabrones in sese mutuò irritantur. Nec fieri potest, ut qui inter se sunt discordes & parũ amici, concordiam & tranquillitatem uel in Repub. uel inter priuatos efficere queant. Præ- 4
standum est etiam Senatori, ut re, de qua futura sit consultatio, cognita, ac quàm fieri potest diligentissimè perspecta, consilia omnia sua ad honestatem dirigat: à qua utilitatis alicuius causa discedere, turpe semper existimatum est. Et quamuis sæpe animis hominum offunduntur multa, ut haud facilè, quod honestum sit, cognosci possit: tamen in rebus manifestis, ab honestate uiro bono discedere non licet. Multa autem sunt, quæ nobis honestatem declarent: ut ratio ipsa, quæ est tanquam oculus lucem à tenebris discernens, praua ab obliquis, uitia à uirtutibus: deinde officia & munera uirtutum: tum leges ipsæ & populorum, & diuinæ. Sit igitur, exempli gratia, consultatio in Senatu de homicidio: an pœna pecuniaria, an uerò capitali sit uindicandum? Sunt enim quæ & in hanc & in illam partem dici possint: quæ cognoscenda sunt, & inter se comparanda ab eo, qui rectam sententiam & è Repub. dicere uelit. Ac pro pœna quidem pecuniaria facit uetus huius patriæ consuetudo, quę ipsa in leges relata est: deinde utilitates & commoda, quæ ad amicos cæsi redundent, quorum nihil caperent, si homicida occideretur. Iam & Reipub. pœna talionis inutilis esset puniendis homicidis, quæ semper amisso uno ciue cogeretur alterum amittere. itaq; commodius esse, ut pecuniâ multetur homicida, cuius aliqua utilitas extare deinceps possit in Rep. Adhæc etiam faciunt merita hominum Equestris ordinis in hanc Rempub. quæ hanc, pręmij loco, legem eis fixerit, ut capita eorum nõ nisi capite à plebeijs, capita uerò plebeiorum tantùm decem marcis pecuniæ nostræ ab equitibus soluantur. Equites enim ipsi inter se centum marcis cædes amicorum æstimant. Et hæc ferè sunt, quæ pœnam pecuniariam confirment, infirment capitalem. Sunt è contraria parte ea cognoscẽda,

quibus pœna pecuniaria refellatur, capitalis comprobetur. Primùm quidem legibus & diuinis & populorũ ferè omnium, nobis exceptis, homicidæ capite plectuntur: deinde ratio ipsa, quæ est quasi lux quædam, lumenq; uitæ, iudicat & turpe esse quæstum facere ex cædibus hominũ, nec alia re pensari posse homicidiũ quàm interfecto homicida. Quòd si pœna debet esse par culpæ, ubi tandem illa paritas magis extare debet, quàm homicidijs capite uindicandis? Nullæ enim res tam charæ nobis esse debent, atq; uitæ hominum. Cùm autem legibus nostris uita adimatur ijs qui res furto abstulerunt, cur nõ his quoq; adimitur qui uitam eripuerunt? Nã illud quidem quod prætexitur numationi retinẽdæ, ne si capite plectantur homicidæ, cogatur semper Respub. amisso uno ciue mox alium amittere, nõ est uerum. Quis enim est qui ignoret, maximam multitudinem hominum legibus perire propter furtum? quod si furibus puniendis nõ mouemur hoc damno pereuntium hominũ, cur mouemur in homicidis? Quasi uerò pluris æstimandæ sint res hominum, quàm uitæ ipsæ: aut quasi maius damnũ accipiat Resp. homicida interfecto, quàm fure. Quod autem de meritis affertur ordinis Equestris, propter quæ hæc pœnarum uarietas effecta est, ualde ineptum est: atq; haud scio an capitibus plebeiorum tanquã talis ludere uoluerint, qui ea denis marcis æstimarunt: cum quidem equitum cædes à plebeijs patratas capite sanxissent. Tot absurditates insunt in hac pœnarum inæqualitate, ut mirum sit, alicui hominum potuisse eam in mentem uenire: quibus quidem absurditatibus & ratio hominis offenditur, & populorũ iudicia contemnuntur, & lumen iusticiæ uirtutum clarissimæ offuscatur, & Dei iussum pessundatur. Et hæc quidem exempli causa à nobis eò dicta sunt, ut ostendamus, opus esse cõsiliarijs, omnia in utranq; partem perpendere: & deinde contentionem omnium facere, priusquam sententiam dicant, quæ ad Remp. pertineat. Neq; uerò pro Rep. putandus est sententiam dicere, qui uel cõmoda priuata sequatur, uel amore odióue ordinis alicuius ducatur: quemadmodum nõ est obscurum plerosq; tueri numationem, odio plebeiorum, & amore equitum. Nõ potest animus amore odio ue alicuius flagrans, ueritatem cognoscere. Non potest contemptor Dei & hominum nec honestatem, nec ueram Reip. utilitatẽ uidere. Quid autem faciunt, qui præfractè tuentur numationem? Risum mouent exteris nationibus: iocantur in capitibus plebeiorum: immanitatem exercent in eos ex quibus maximos percipiunt fructus: ueritatem Dei in iniustitia (ut dicit Paulus) opprimunt: atq; etiam Deo ueritatem suam
» suggerenti audacter responsant, SCIENTIAM VIARVM TVA-
» RVM nolumus. Sed hæc à nobis in ijs Orationibus, quas de pœna homicidij edidimus, copiosè tractata sunt: hic uerò exem-

pli

pli cauſa adducta, ut in re planiſsima rationem conſultandi utcunque exponeremus. Boni etiam eſt conſiliarij, ſententijs aliorum honeſtis aſſentiri: nec odio hominum ea quæ ab illis bene dicta ſunt, cauillari ac repudiare. Non enim ignotum eſt, ſæpe de Repub. ab aliquibus ſententias dici præclaras, quæ ſi communibus aliorũ ſuffragijs cõprobarentur, non malè cõſuleretur Reipublicę. Verùm quia fortè authores illarum odio ſunt nonnullis, ideo nec honor illis tribuitur, & ipſorum ſententiæ contemptui habentur. Non uident contemptores iſti, grauiter ſe & in Deum & in homines peccare. Nam ueritas à quocunq; dicitur, à ſpiritu ſancto eſt: ut ſpiritui ſancto contrarij ſint omnes, quicunq; ueritati agnitæ aduerſentur. Hoc uerò peccatum non eſt leue exiſtimandum: atq; haud ſcio an ſit illud, quod Chriſtus dicit neq; in hoc neq; in futuro ſeculo remittendum eſſe. Sunt etiam, qui non odio quidem hominum ſententias repudient: ſed tamen cùm id quod dicturi erant, uideant ab ijs qui priores dixerunt, quaſi præoccupatum, pudeat'que eos uel idem repetere, uel palàm in ſententiam priorum ire, cauillos excogitent, correctiunculas addant, & nodum (quod aiunt) in ſcirpo quærant. Fit itaq;, ut cùm plus ſapere uideri uelint, inſipientes appareant, oratióque eorum nec caput nec pedes habeat: ab ipſo qui dicit parum intelligatur, multo minus ab ijs qui audiũt. Erat in more Senatui Romano, ut poſteaquã primi rogati dixiſſent, ac res ab illis adeò explicata eſſet, ut pluribus non egeret uerbis, reliqui à dicendo abſtinerent, pedibus'que in priorum ſententias diſcederent. Memorantur autem uerba illa ſolennia, quæ à Conſule uel alio magiſtratu, ea in re fiebant, cùm ita diceret: Qui hęc ſentitis, « ite in hanc partem: qui alia omnia, in illam. Senatus etiam conſul- « ta quæ hoc modo fiebant, per diſceſsionem fieri dicebantur. Cur igitur pudendum ſit, aſſentiri palàm ſententiæ ei quæ tibi probetur, non uideo. Nam illi quidem, qui, re non neceſſaria, dicendo tempus extrahunt, magis ſophiſtæ & oſtentatores, quàm eloquentes, aut ueritatis ſtudioſi iudicandi ſunt. Homines certè honeſti & Reipub. amantes grauiſsimè offenduntur & ab iſtis cauillatoribus, & ab illis contemptoribus ueritatis perſpectæ. Et hoc igitur uitium fugiendum eſt: & ueritati, à quocunque fuerit monſtrata, candidè aſſentiendum. Magnam ſanè generi mortalium iniuriam facis, ſi te plus omnibus alijs uidere & cognoſcere exiſtimes. Magno te crimine obſtringis, ſi tuæ laudi conſulens, ſi tuo odio indulgens, uel cauilleris, uel reijcias ea quæ ab alijs præclarè & ſimpliciter dicta ſunt. Neq; eſt ſignum maius modeſti ingenij, & Reipublicæ magis quàm ſibi & ſuæ exiſtimationi ſeruientis, quàm ſua non bona reiecta, aliorum rectis ſententijs ingenuè ſubſcribere. de quo copioſius in Oratione de Legatis diſſerui. Perneceſſarium eſt etiam 6

in dicendis ſententijs,ut quod ſentias,id loqui audeas. Omnino enim indigni ſunt Senatorio ordine, qui fidem & uirtutem ſuam celent,principum populi'ue metu. quemadmodum munere eccleſiaſtæ indigni ſunt, qui propter ſummam populi in peccando conſenſionem,uitijs arguendis abſtineant: cùm quidem concionatoris ſit, uel capitis periculo in eccleſia clamare,peccata exprobare,arguere: quantumuis uideat populum ſuperbum, moroſum,intractabilem. Niſi fortè Senatori reſpiciendum eſt, quid in Repub. effici poſsit, non quid fieri debeat. Etſi autem temporibus cedere,prudentis eſſe exiſtimatur: tamen qui in ſummo dignitatis gradu in Republica locati, prætermittant ſententiam dicere,quam loco ſenatorio dici neceſſe ſit, ij parum conſulunt dignitati ſuæ, authoritati ſuæ deſunt, ueritatem pro qua mori deberent deſerunt, ac pro nihilo habent. Tu in ordinem Reip. ſummum allectus es,in cuſtodem ac defenſorẽ Reip. delectus,beneficijs Reip. auctus: an te non decet gratitudinẽ & animo & reipſa teſtari, ueritate profitenda & defenda, deſpectu odio'que impiorum fortiter perferendo? Si homines non metuis propter ueritatem deſertam: time Deum, memorem fandi & nefandi,mali uindicem,boni remuneratorem. Non eſt nouum hoc, nec inauditum, ueritatem odioſam & amaram eſſe, ſemper'q; fuiſſe, ijs qui uirtutis ſint expertes. Sed tu non potes aliter oſtendere te ueræ uirtutis cultorẽ eſſe, quàm odio pro illa & acerbi-
7 tate perferenda. In Senatuſconſultis ferendis optimũ fuerit,ſententias non tam numerare quam ponderare. Ille enim mos numerandi ſententias,etſi ferè receptus eſt: tamen quàm ſæpe ſit perniciosus,facilè oſtendi poteſt. Et quãuis hoc ſine offenſione eorũ uix fieri poſſit,qui ſuam pluriũ ſententiam repudiari animaduertant: tamẽ rex, ſeu qui præeſt concilio,ratione, cur in pauciorum ſententiam concedendum eſſe putet,explicata,facilè euitabit offenſionem. Caueat modò rex, ne alicuius unius uel quorundam paucorum authoritatem tanti faciat, ut alios quantumuis multos præ illis negligere uideatur. Hinc enim & partes in Senatu, & ſeditiones in populo ſolent exiſtere. Ergo ſi æquior,& Reipub. commodior ſententia paucorũ uiſa fuerit,aut etiã ſi ipſimet preſidi aliquid cõmodius in mentem uenerit,cauſas declaret, quamobrẽ diuerſum à multorũ ſententia ſit decernendum,& faciendum. Faciat autẽ id modeſtè,& ſine ullius reprehenſione. Quòd ſi res maiorem deliberationem requirat, differat in alium diem explicationẽ ſuæ ſententiæ,ac decretiationẽ. Quàm uerò pernicioſum ſit numerare ſententias, non etiam ponderare,audiamus. Habuerunt quõdam inter ſe membra corporis humani ſermonẽ de ſole,lucidus'ne ſit,an uerò tenebricoſus: cum'q; omnia ex ordine ſententias dicerent,tenebricoſum eſſe,ſoli oculi lucidum eſſe pronunciarunt. Ratio hominis,multitudine ſententiarũ

ab alijs

ab alijs membris dictarum, reiecta, solis oculis subscripsit, ac secundum illos pronunciauit. Perirata sunt alia membra, quòd sua multorum sententia, oculorum duorum sententiæ posthaberetur. Verùm cùm rogata, discrimen facere inter lucem & tenebras, nisi oculis ducibus, non possent: cesserunt sententiæ oculorum, & rationis iudicium approbarunt. Imitatum est, hunc conuentum membrorum, Nicenum concilium: quod decretum tulit secundum Paphnutium, omnium patrum aliorum, qui numero trecenti decem & octo fuisse memorantur, sententijs reiectis. Atq; ideo Panormitano iurisconsulto uisum est, maiorem alicui uni, pro se rationes & scripturarum testimonia afferenti, fidem habendam esse: quàm ingenti multitudini, huiusmodi testimonijs & rationibus defectæ. Et hic quidem mos ponderandi sententias, facilè obtinet in conuentibus hominum ratione uti uolentium. Nam quorsum quæso multitudo sine ratione? An nõ similis est talorum iactibus, qui hoc potiores habentur, quo plures oculi in eis supernè appareant? Quòd si numerus in Senatu ualere deberet, maximè profectò curandum esset, ut quàm optimi & quàm prudentissimi legerentur in Senatũ, ne mali & imprudentes essent uice talorum ad uincendũ. Omnino, nisi ratio & numinis respectus apud concilium Nicenum ualuisset, haud dubiè contempta iacuisset Paphnutij unius sententia, prę tanta multitudine aliorum. Fregissent & membra illa solem tenebricosum dicentia, duorum oculorum sententias, ni ratio authoritatem suam interposuisset, ac quod res est pronunciasset. Sed inquies, obscurum esse persæpe id quod controuertitur, adeò ut incertũ sit utra pars plus ponderis habeat, necessarioq; in plurium sententiam pedibus sit eundũ. Fac uerò, in rebus obscuris multitudinẽ sequendam esse: at in planis & perspectis, an non magis bonitatem causæ sequemur, quàm pluralitatem dicẽtium? Hoc enim ratio hominis, præclarum Dei donum, hoc boni mores suadent: hoc professio nostra, ueritatem nobis unicè commendans, falsitatem damnans: hoc author omnium Christus Deus præcipit, qui sermonem suum ueritatem, diaboli, mendacium dicit esse. Sit igitur quantalibet multitudo, mendacium sciens uolensq; asseuerans, an nõ ea patris illius mendacij, in quo ueritas nõ est, soboles iudicanda est? Quod si est, an non dignum esset ut populus Christianus desereret talem multitudinem, quantumuis numero, pompa, splendore, diuitijs, maiestate præstantẽ? Omnino si Christi uerè essemus, desereremus falsitatis consultores & tutores, tanquam hostes Domini & magistri nostri. Non absq; tædio & meo & aliorum, uersor in pœna homicidij usitata, improbanda: sed tamen faciendum esse uideo, ad omnẽ occasionem. Quid numatio habet pro se, præter uetustatem, & multitudinem clamantium? At à pœna capitali stant, recta ratio, popu-

populorum iudicia, ueritas cum Deo ipso. Et tamen sic sumus homines, ut contra apertam ueritatem, mendacium tot secula regnare patiamur, tyrannidi obtemperemus, æquitatem & iustitiam repudiemus. At dices, id per eos stare, qui sunt cum potestate. Esto. Qui igitur sunt ursi, qui pardi, qui bestiæ horrendæ, quas prophetæ diuino spiritu afflati regnis terræ adiungunt, si consultores & tutores tantæ tyrannidis non sunt? Quę est Caimi proles alia, quæ serpentis illius antiqui, qui (ut CHRISTVS testatur) homicida est ab initio: si ij non sunt, qui tot causas præbent homicidiorum? Sed finis sit: nam hęc à nobis alibi copiosius sunt tractata. Qui igitur benè meditatus ad dicendum accesserit, honestatis præcipuam rationem duxerit, peruersis animi affectionibus non obtemperauerit, aliorum rectas sententias candidè approbauerit, quod rectum existimet liberè dixerit, ac in faciendis decretis plus pondere quàm numero sententias examinauerit: eum nec temerè propter ignauiam, nec peruersè propter animi impotentiam, sed & grauiter & fideliter & fortiter dicere: nihil gloriæ suæ aut partium causa, omnia studio Reipublicæ agere; ac boni senatoris munus abundè explere putabimus. 8

CAPVT XII.

De iudicibus, imperatoribus, arcium & oppidorum præfectis.

REGVM igitur & Senatorum moribus breuiter expositis, dicamus aliquid de reliquis magistratibus, quorum alijs alia officij munera addita esse cõstat. Et illi *quidem in* uarijs Rebuspublicis uarij sunt. Sunt tamen præcipui quidam, sine quibus nulla Respub. stare potest: ut imperatorũ & iudicum. illorum munus in patria ab hoste foris defendenda uertitur: horũ in iure dicundo, & iustitia unicuique administranda. de utrisq; à nobis suis locis dicetur. Sunt etiam alij, qui nec ius dicant, nec suis sententijs quicquam statuant: sed quod ab alijs statutum est, exequantur & perficiant: ut ferè sunt præfides arcium & oppidorum, à rege uel populo constituti. Tametsi hi quoq; habent definita causarum genera, quæ cognoscant: sed munus eorum præcipuum est, pacem domi inter homines constituere, incursiones subitas hostium propulsare, fines prouinciæ suæ tueri, ac iussa regum & iudicum exequi. Frustra enim reges iuberent, frustra iudices iudicia exercerent, nisi essent qui imperata illorum exequerentur. Factum est in urbe quadã populosa, ut satelles quidam, homo plebeius, uulneraretur ab equite, quem ego honoris causa non nominabo. ac uulneratus quidem ille, ad chirurgum mox, uulneris obligãdi causa, profugit. Sed postea ex ædibus chirurgi seu extractus, seu sponte discedens, in platea occisus est. Et ille quidem eques re ita fortiter gesta, in ciuitate

uitatè, quãdiu uoluit, impunè uersatus est. discessit postea illinc luce media, quando uoluit. Sed quid narro, à nobili plebeium occisum, cuius cædē paucula pecunia redimi ius fasq; est? Accidit in eadem urbe, in conuentu uariorum populorum maximo, ut nobilem, cuius cædes multo pluris æstimatur, nobilis occideret: idq; in ipso meridie, in foro publico, multis inspectantibus. & quemadmodum id fecit impunè, ita impunè inde abijt. Et hæ quidem publicæ uictimæ: audite iam penetrales. Quispiam fugiens eos à quibus iam uulneratus esset, fortè ad ædes cuiusdã ciuis delatus est, in quibus multi homines, ut fit horis pomeridianis, genio indulgebant. eorum opem, ut seruarent miserum, & à ui insequentium tuerētur, implorabat. Verùm qui insequebantur, in ædes illas impetum fecere: omnibusque qui obsistere conabantur propulsatis, irruêre in miserum illum: ac tot tantisque uulneribus affecere, ut pauco pòst tempore animam in illis posuerit. Concurritur interea à domesticis & uicinis omnibus, uulneratus ille iacens & moribundus spectatur. Occisores uerò abierunt quò uoluerunt, quando uoluerunt, nemine impediente. Sed hoc fortasse quòd in priuatis ædibus factum est, latêre potuit magistratum. Quid autem de illis homicidijs, publicis in locis factis? Ego quidem præsidum seu arcis seu ciuitatis, uel alicuius alius magistratus puto fuisse, ut eos homicidas uel subitò comprehenderent, uel fugientes insequerentur ac caperent, pœnamq; de eis uel ipsi sumerent, uel sumi iuberent. Sed factum est, ut narraui, non secus quàm in sylua, uel in deserto: ubi nulli homines, nulli præfecti essent. Quid igitur tunc, ô præfecti, faciebatis? Profectò spectabiles, clarissimi & magnifici domini, ignauissimi estis: idq; publico malo: itaq; pœna grauissima digni. Tuum est igitur Rex, tales magistratus ac præsides arcibus, ciuitatibus ac prouincijs cõstituere, qui pacem domesticam maximè tueantur. Sin hoc non curas, fac potius ut dissipentur ciuitates, & omnes hominum cœtus, ut quisq; uitam degat ubi possit: quando quidem ad tuendam uitam nihil prosit, in frequentia hominum sub talibus præsidibus uiuere. O extremam miseriam: has ædes, urbes, regiones, coli & inhabitari, in tanta insolentia, crudelitate, & impunitate. Sed querelarum satis: pergamus ad alia.

CAPVT XIII.

De censoribus morum.

EST etiam ille, mea sententia, magistratus Reipub. necessarius, qui moribus præsit. In ueteribus quidem & Græcorum & aliarum nationum Rebusp. nonnulli magistratus puerorum, alij mulierũ, quidam populi moribus præfecti erant: atq; ex reipsa nomina habebãt, ut alij pædonomi, alij gynęconomi,

mi, quidam nomophylaces censores'ue dicerentur: qui non solùm scripta legum, sed mores etiam hominum obseruabant, & ad honestatem reuocabant. Hos magistratus, homines à Christo alieni suis Rebusp. necessarios putabant: quorū metu non licebat adolescenti ocioso esse, nec in ganeis desidere, nec quibusuis lusionibus operā dare: non licebat mulieri, nec ornatu nec rebus gerendis, septa (ut aiunt) transilire: cogebatur Senator, eques, & cuncta plebs in officio esse. Nos in Christianis Rebusp. his magistratibus caremus, itaque & uetus illa disciplina, & morum seueritas, magna ex parte interijt. Quòd si quis est, qui hūc magistratum putet parum necessarium esse, is mihi uelim in mores multorū corruptissimos, oculos intendat. Est in Senatu, qui iustitia neglecta sententiam dicat uel sui, uel alicuius alīus commodi causa. Si ab eo rationem petas sententiæ dictæ, respondet, sibi uel sui uel suorum rationem habendam esse. Hic an non dignus est, ut Senatu moueatur, qui potiorem ducat utilitatē suam quàm iustitiam? Est qui à maioribus habeat amplas possessiones: hic populis suis nullo pudore superbissimè imperat, & quæcunque libeant licentiosissimè perpetrat. Neque enim subdito resistere domino, neq; in ius eum uocare licet. An uerò sic exercens in subditos imperiū, nō est dignus nota censoria? Sunt inter præsides ciuitatum, municipiorum, arciumq; tam regiorū quàm aliorum principum, homines, qui undiq; captent occasiones populi deglubēdi. imò inter ipsos beneficiarios reperiuntur, qui seruitiorum (ut ipsi dictitant) causa, beneficijs perpetuis aucti, & hominibus & pecudibus & agris & pratis abutantur. De quibus nec rex unquam audit, nec populus queri audet. An uerò istis impunè erit, talia perpetrasse? Sunt item multi, qui suis rebus turpiter abutantur, qui dies noctesq; perpotent, qui res & patrimonia lauta dissipent: qui tamen moribus nostris in ius minimè uocentur. Quod si est è Repub. ut quisque rebus suis bene utatur, ut si usus fuerit, possit opitulari Reipub. certè decoctores digni sunt censorum animad uersione. Est non nemo, qui præter opinionē nobilitatis, unde commendari possit nihil habet: homo sine re, sine nomine: cui nihil seritur, nihil metitur, nihil penditur. Hic ministros non paucos unà cum equis alit: eius domuncula nihil habet præter lanceas, galeas, bombardas, ferrum, arma: quibus terrori est uicinis omnibus: minatur uulnera, denunciat cędes quibus uult. Huic nemo uicinorum resistere potest: nam agris addictis arma tractare non uacat. Nemo illi ad iudicem diem dicere, nemo eius nomen ad præsidem deferre audet, nisi qui se cædi expositum uellet. Veniunt ad eum supplices multi: ueniam ab eo deprecantur erratorum, quę nunquam admiserunt, sed quę ille confinxit. Ipse uerò indies fit insolentior. Tale monstrum non subiacebit censuræ? Memorantur illa à scriptoribus

bus rerum Romanarum exempla censuræ seueriſsimè actæ. Cor. Ruffinus, duobus consulatibus & dictatura speciosiſsimè functus, quòd decem pondo uasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosus, numero Senatorum exemptus est. Duronius, quòd legem, de coercendis conuiuiorum sumptibus latam, abrogauerat, etiam Senatu motus est. Liuius Salinator, Cl. Neronem collegam censoria animaduersione persequutus est, quòd non syncera fide secum in gratiam redijsset. Constituendi autem essent censores bini in omnibus municipijs, qui de moribus omnium, statis temporibus inquirerent: & uel ipsi tandem punirent, uel ad regem aut iudices ordinarios deferrent. id quod inter homines ecclesiasticos adhuc obseruatur, quorum Archidiaconi moribus presbyterorum præfecti sunt. Et hæc de censoribus.

CAPUT XIIII.

De rerum uenalium, & numorum curatoribus.

NEMO est etiam, opinor, qui dubitet, magistratum perneceſſarium esse, qui in foro, hoc est in rebus contrahēdis sit occupatus: qui omnia & domi nata factaq; & aliunde aduecta cognoscat, preciūq; eis pro tempore imponat. Videat etiam, num conducat Reipub. ut frumentum & liquores ad mensuram uenduntur: ita carnes, caseos, butyrū, & id genus alia ad pensum uendi. In primis autem, res omnes & quæ importentur, & quę exportentur, obseruet: earum bonitatem exploret, modum & precium constituat. Sæpe uidimus tantum frugum numerum à nobis asportatum, ut maximam ubertatem difficultas annonæ domi sit subsequuta: neq; uerò annonæ tantum, sed & carnium & caseorū, & rerum aliarum. Ferè enim fit, ut frugum caritas efficiat caritatem rerum aliarum. Ergo magistratus ad id destinatus, prouentu frugum considerato, & quanto Respublica frumēto tam pro se quàm pro aduenis egeat animaduerso, modum exportationi constituat, ne nostri agri alijs sint fertiles, nobis uerò steriles. Statuant & domi precia, ne qui abundant, pluris uendendo quàm æquum sit, & pauperum facultates exhauriant, & rerum aliarum precia augeant. Difficile est enim (ut dixi) cauere, quin cum precio frugum, preciū rerum aliarum crescat. Laudandus est mos ille quarundam Rerumpub. in quibus frugum maxima uis (quo quidem anni tempore quàm minimo prostent) à magistratu coemitur, ac in publica promptuaria reconditur: ut seu periculum sit ab hoste, seu res spectet ad annonæ difficultatem, prospectum fiat uitæ hominum. Seruant enim multi negotiatorum fruges in longum tempus, ut pluris uendant temporibus suis. Sed huic rei occurri potest prudētia magistratus, si fruges quàm minimo emptas, tum ex promptuarijs ef-

ferri iubeat, ac aliquanto pluris quàm sint emptæ uendat. Nam & omne lucrum cedet Reipub. & negotiatores frumentarij cogentur minoris uendere in copia rerum, quàm uenderent in inopia. Itaq; & de hoc constituendum esset, & illæ exportationes nimiæ moderandæ: quibus tanquam cibus ex ore tenuibus hominibus eripitur, aut certè caritas magna efficitur. Intoleranda est illa pistorum coctorum'que peruersitas, qui eodem precio & panes & ceruisiam in annonæ facilitate uendant, quo in magna caritate. Intolerabilior eorum, qui aduenæ pluris uendant quàm ciui. Aduenam (inquit Deus ad Israelitas) non contristabis, neq; affliges. fuistis enim & uos aduenæ in terra Aegypti. Sed illa maximè omnium intolerabilis, quòd per dies comitiales, ac in ijs locis in quibus Rex cum Senatu ac populi frequentia uersatur, multo carius omnia ueneant, quàm alijs in locis. Cùm enim conuentus eiusmodi Reip. causa agitari consueuerint, certè uix ferendum est, ut tum uel mercatores maiores faciant quæstus, uel illi plus pro rebus necessarijs numerent, qui consultant pro Republica. Quod de frugibus dictum est, idē de cera, seuo, corio, equis, bobus, rebus'que alijs intelligatur. Multi exportatione earum & ditescunt ipsi, & ubertatem copiam'q; ad exteros populos transferunt. interea apud nos fames in uulgus, ob penuriam & rerum caritatem. Caupones magna licentia utuntur uinis & adulterandis, & magno æstimandis. Itaque magistratus, rationibus sumptuum qui ab eis fiant animaduersis, ac etiam lucro quod æquum sit permisso, & precia constituat, & in adulterantes animaduertat. In uenditionibus & emptionibus quarumlibet rerum, si quid uitij de industria ab altero contrahentium cōmissum sit, ne impunè fiat. Plato quidem in Legibus iubet, ut tam uenditor quàm emptor decem dies post res hincinde commutatas in urbe maneat: ut si quod uitium deprehendatur uel in re uendita, uel in numis, præstet damnum ille qui dedit. Reticentias etiam omnes quæ ab alterutro contrahentium de industria, nocendi causa, fiant, puniendas censet. De his igitur, & rebus alijs contrahendis, magistratus est prouidere: rerum aliunde aduectarū bonitatem cognoscere, precia constituere, opificum omnium operas ęstimare: monopolia etiam grauibus pœnis interdicere, quibus enormia precia rebus imponantur, pauci quidam plus nimium ditentur, multi'que ad inopiam redigantur. Versatur autem uel ob hoc in magna turpitudine monopolarum nundinatio, quòd merces emant, ut eas lucri causa uendant: easdem prorsus, & nihilo meliores factas. Isti uel uenditorem defraudant, siquidem minoris quàm æquum sit ab illo amant: uel emptorem, si pluris illi uendant: uel utrunq;. Quòd si nihil horum accidat, tamē animus ille, mercem emendi non usus, sed lucri causa, crimine uacuus esse nō potest. Ex auaritia enim existit,

ſtit,quę multorum flagitiorum eſt mater. Laborant hoc uitio cùm plerique alij, tum propolæ decumarum: & ij quidem maximè,qui mercatorum nomen & rationes ſupra modum deteſtantur: qui ſola lucri auiditate adducti, meſsis tempore decumas coemunt: quas nec meliores factas,nec in alia loca,ubi annonę penuria eſſet, translatas,ſed ijſdem in locis ubi emerunt, plerunq; deteriores,aut certè acciſas,diuendunt,magnumq; inde quæſtum faciunt. Quid igitur aliud mercatorem agere eſt,ſi hoc non eſt? Non ulna,qua quis metiatur pannos,ut uulgò putant: ſed quæſtus & lucri ſtudium, quo ad emendum uendendumq; duceris, mercatorem facit. Quod an abeſt in decumarum iſta quæſtuoſiſsima ac turpiſsima mercatura? Non raro accidit,ut decuma eadem quaternas aut quinas manus ementium & uendentiũ percurrat, priuſquam ad manus perueniat eorum qui ſint uſuri. Qua in re illud eſt indigniſsimum, quod qui non laborant, illi prætextu dominij in res colonorum ſuorum, ſudores eorum redimunt: quas uel illis ipſis, nonnunquam inuitis, mox pluris uendant: uel cui uelint. Coloni uerò, qui diei onus & æſtum pertulerũt, de harpyiarum illarum manibus omnia expectare coguntur. Quid igitur miri, ſi & ipſi coloni malignè uiuant: & grandia rerum omnium precia creſcant? Tales mercatores illi ſunt, quos diuus Chryſoſtomus de tẽplo Dei cenſet eſſe eijciendos: quos leges Imperiales bonis ſpoliari, & exilio perpetuo damnari iubent. Atq; idem Chryſoſtomus, non eos mercatores damnat, qui merces aliunde inferant, uitæ humanæ & Reipub. neceſſarias: nec eorum negotiationem improbat, qui rem emãt, quam labore & induſtria ſua meliorem factam uendant: ſed eorũ, qui rem comparent, quam carius uẽdant, nullo labore, nihiloq; meliorem. Ego quidem iſtos, prædones potius quàm mercatores, prædamq;, quam faciunt, uerius quàm mercaturam appellauerim. Hi enim ſunt, qui & uendentes & ementes malis afficiunt: qui pauperes impediunt, quo minus res uitæ neceſſarias iuſto precio emant: qui caritatem annonæ & rerum aliarum inferunt: digni qui ex republica exterminẽtur, per quos Reſpublica tot damnis affligitur. Hæc de monopolis, & de mercatoribus, ſeu prædatoribus. In re monetaria, conſideranda uidentur & materia, & pondus, & forma publica. Priora duo uulgò non ſatis agnoſcuntur, ac ne obſeruantur quidem in numis paruis: tertium conſpectu facile noſcitur. Verùm quia nonnulli externi populi figuram noſtrorum numorũ imitati ſunt, atq; hac ratione ſuos ad nos inuexerunt, uidendum eſt, num ſit è Repub. formam noſtrę mutari. aliter enim externa uix exigi poteſt. Qui falſam & adulterinam olim cudebant, ad beſtias condemnabantur, ſi liberi erant: ſi ſerui, ultimo ſupplicio afficiebantur. Rationem etiam inuenire, ne pecunia extra fines exportetur, perutile fuerit: quod uix a-

88 d. eijciens. C. de mon. l. unica.

liter fieri posset, quàm si pluris, quàm æquum sit, æstimaretur: quod tamen nescio an conduceret Reipublicæ. Qui uel Romæ uel in alijs prouincijs res agunt, magnam uim auri à nobis efferunt. Hoc si in totum interdici non potest: tamen modum his rebus constitui, optimum fuerit. Tanta licentia apud nos grassatur numis peregrinis tum aureis tum argenteis æstimandis, ut nusquam maior. Singulis quadrantibus anni precium eorum crescit, cùm bonitati eorũ nihil interim accrescat. Causas eius rei multi afferunt multas. Sed nos si non mouet uel publicæ uel priuatæ cuiusque rei iactura, quæ hanc numorum iactationem sequitur: quid aliud mouere nos magis possit ad licentiam illam coercendam, & certam æstimandi rationem ineundam, haud sanè dictu est facile. Et hoc igitur, si placet, forensi magistratui mandetur.

CAPUT XV.

De ædilibus.

CVRA ædium & publicarum & priuatarum moribus nostris est penes magistratus, qui muneribus alijs destinati sunt. Olim in magnis hominum cœtibus magistratus erat singularis, qui Aediles appellabantur, ab ædibus quas curabant, ut & integræ & mundę essent: modum ædificandi præscribebant: fossis & uallis non tantum ciuitates, sed agros etiam circumducebant: hocq; modo aduersus impetum hostilem, regionẽ muniebant. Aquæ item ductibus, pontibus, & stratis uiarum præerant, quas ædificijs & arboribus exornabant: cloacas purgari iubebant: salubritati hominum consulebant. pestilentiam, quantum humana industria fas esset, auertebant: aut si fortè, ut fit, irrepsisset, ne totam ciuitatem occuparet, aduigilabant: itaq; & ædes infectas cõcludi, & homines ipsos uel in ijsdem ædibus se cõtinere, uel ex ciuitate migrare iubebant: satius id rati, quàm ut contagione sua totam ciuitatem inficerent. Horum etiam fuerat prouidere, ne incendia ædium uel exorirentur, uel exorta latè ac licenter uagarentur: uigilibus etiam præesse qui noctu excubias agerent, ne quid uel à furibus, uel ab hominibus flagitiosis detrimenti fieret: in primis autem, ne uel per fraudẽ alicuius, uel casu aliquo, ignis inijceretur, ac grassari inciperet. In exteris nationibus grauissimis pœnis mulctantur, qui ædibus flagrantibus non mox adsint cum urnis, & alijs instrumentis igni extinguendo necessarijs. Apud nos maximus hominum numerus aut ad ignem spectatum tantùm ueniunt: aut uicini ædibus posthabitis, res suas exportant. Itaq; fit, ut rarissimæ in tota Polonia ædes sint, quæ interuallo triginta annorum durent. omnes ferè uici & oppida in orbem exuruntur: ac inde noua ædificia curantur. Atqui tanta negligentia ignis extinguendi, tolerabi-

lior

lior esset in ijs prouincijs, ubi uel ex lapide ædificaretur, uel homines ebrietati non studerent. Apud nos uerò, ubi & ex ea materia quæ præcipuum est ignis fomentum, ferè omnia extruantur, & pauciſsimi ament sobrietatem, cur tantam incuriam ignis compescendi ferant magistratus, permirum est. Frequentes exustiones non immeritò ædiles incitare deberent, ad rationem ineundam, ædium ex lateribus ædificandarum. Quod quidem factu facile fieret, si opificum copia esset, qui materiam, cuius magna est ubiq; copia, appararent, & omnia ad ædificandū necessaria in promptu haberent. Consuleretur hoc modo & præsentibus hominibus, & posteritati. Certè si res moribus esset usitata, maiore quidem precio ex lapide ædificaretur: sed utilitas ipsa multis nominibus recompensaret sumptuum magnitudinem. Cum quidem, si rationem subducas eorum quæ in noua ædificia, exustis prioribus, expenduntur, longè pluris constent, quàm ædificium latericium, in perpetuum duraturū, constaret. Loquor autem de ædificio, quod & parietes & tegulas ex latere haberet. Ignis enim prouolans, nō facilè tectū latericium occupat. Si quid incōmodi ab igne est, id tantùm ijs ędibus accidere potest, in quibus ignis ortus est. Et hæc de ædilibus, & eorū munere.

CAPVT XVI.

De magistratu, qui otiosos ex ciuitatibus expellat, & in ebrios animaduertat.

TANTA est omnibus in locis & ebriosorum, & ociosorum turba, ut necessarius uideatur magistratus singularis, his uitijs tollendis: quæ uitia, quantum malorum rebus humanis afferant, notius est quàm ut uerbis exprimi debeat. rixas cient, furantur, homines uulnerant & occidunt, & ad omnem iniuriam sunt promptissimi. Moribus Turcicis utrunq; uitium ignominia non uacat: ebrietas etiam capitalis est. Quamobrē si rectè uolumus consultum Reip. magistratum necesse est singularem constitui, qui cum stipatoribus plateas circumeat, ebrios comprehendat, in carcerem conijciat, pœna afficiat: in ociosos etiam animaduertat. Tabernæ uinariæ ac ceruisiariæ uel tollendę sunt, uel ciuibus interdicendæ. Homines maleferiati totos dies in eis delitescunt, perpotant ac uiuunt cum scortis intemperantissimè: puellas & matronas chorearum uel aliorum ludorum prætextu ad se inuitant: pudicitiam earum oppugnant. Vbi autem frequentius iurgia, plagæ, uulnera, mutilationes, cædes committuntur, quàm in tabernis? Quin potius incolarum quisq; ac indigenarum iubet domum suam tantum uini aut ceruisiæ adferri, quantum sibi & familiæ satis sit? domi cum familia uiuat? rei familiari det operam? contineat omnes in officio? In tabernis autem, aduenis & peregrinis

tantùm

tantùm liceat uiuere, & ad tempus habitare. Vnde & diuersoria dicuntur, quò ex itinere solemus diuertere. Peregrinis itaq; in eis cõmorari liceat, non incolis ac indigenis. Multi opificum magistri rarissimi sunt in suis officinis: alunt discipulos multos, qui absente magistro segniter, negligenter & cõtumaciter ferè laborant omnia. Si magister prẽsens semper esset, plus operum perficeret cum duobus, quàm absens cum decem perficit. Et hi igitur ad officium compellendi: ne turba ociosorum Respub. prematur. Neq; illa militibus, quos Drabones uocamus, licentia danda est, uulgò mendicandi. multi enim obambulant otiosi, nulli honestæ rei operam dant: sed ebrietati, mendicitati, & prædis occultis. Et hæc quidem ad homines seruili ingenio præditos, qui non nisi metu & pœnis continentur in officio. Naturæ autem generosæ ita ab ocio ad laborem excitabuntur, si diligenter secum reputauerint, Deum ita in mundi exordijs cõstituisse, ut omnes uescãtur pane cum sudore uultus sui: donec in terram redeant, ex qua orti sint. Quod quidem pro mulcta generi humano, ob peccatum, datum uideri potest. Sed & ante peccatum homo, ubi creatus est, ita in Paradiso constitutus erat, ut illum coleret, & tueretur. Hæc enim uarietas membrorum corporis humani non ad ocium data est: sed quemadmodum auibus alæ ad uolandum, ita homini membra pro instrumentis sunt ad laborandum. Itaq; & Paulus Thessalonicensium ecclesiæ edixit, si quis operari nollet, eum ne comedere quidẽ debere. Et Dauid rex beatum illam pronunciat, beneq; illi fore, qui labore manuum suarum uescatur: non obscurè significans, illos miseros esse, nec in beatis numerandos, qui alantur cibo labore manuum alienarum quæsito. Quàm autem latus sit campus laborum humanorũ, facilè uidebit, qui necessitates tum uitæ huius, tum futuræ animaduerterit. Et animo operandum est, & corpore, ad uitam beatam cõtendentibus. Vtroque labore homines non inertes se exercent: & altero horum fessi, ad alterum declinãt, ut uicissitudine & alleuationem sentiant, & alacriores redeant eò unde declinarunt. Ad summam, cum ociũ multa uitia doceat homines, langoremq; eis afferat, omnes ocioſi aut pellendi sunt ex Repub. aut pœnis afficiendi.

1. Thess. 3.

Psal. 128.

CAPVT XVII.

De pauperum curatoribus.

SED quemadmodum homines laboribus apti, à mendicando repellendi: ita illis qui uerè pauperes sunt, hoc est, qui & uiribus corporis, & rebus quibus se sustineant, destituuntur, consulendum est, ut & ædes eis publicè constituantur, & ad uictũ omnia necessaria suppeditentur. Omnes fratres sumus, eiusdẽ patris cœlestis filij. Nemo casibus humanis exemptus est.

est. Quòd si humanum est, periclitanti de uita succurrere, ut uel ab igne, uel ab aqua, uel ab hoste, uel alia calamitate eripiatur: omnino esurientibus, sitientibus, nudis, algentibus opitulari æquissimū fuerit, ne penuria rerum necessariarum moriantur. Igitur uel contribuendum est publicè eorum necessitatibus, uel alia ratione prouidendum: cuius rei facultas est maxima in regibus, episcopis, principibus uiris, collegijs sacerdotum, ciuitatibus, & ijs qui opibus abundant. Estq; hæc uera & germana liberalitas, in eos beneficum esse, qui nullam referendæ gratiæ habeant potestatem. Neq; tamē frustratur nos mercede benignissimus pater cœlestis: qui uel poculum aquæ frigidæ suo nomine datum, remuneraturum se promisit. Hortatur Paulus apostolus Romanos, ut de facultatibus suis impertirēt pauperibus ijs qui Hierosolymis essent. Quanto magis decet nos pia collatione ijs succurrere, qui nobiscum sunt: qui inter nos senio, morbo, aliá ue ruina confecti, ac omni spe destituti sunt? Sit igitur magistratus, qui curam habeat pauperum: eaq; commodè dispenset, quæ usibus eorum sunt consignata. Et hæc quidem de ijs magistratibus hoc in loco dicēda mihi uisa sunt, qui rebus hominum consulerent: qui peruersos mores castigarent, bonos reducerent: quiq; non tam de iure, quàm de facto & sceleribus perpetratis cognoscerent. Nam de ijs qui de iure cognoscant, alius nobis dicendi locus erit. His itaque explicatis, superest ut de toto genere honorum dicamus.

CAPVT XVIII.

1. Honoribus mandandis quid in primis spectandum? 2. an eos petere: 3. an emere: 4. an uni plures gerere liceat? 5. Quæ uirtutes quibus honoribus honestandæ? 6. An eos liceat gerere, ei qui per se muneribus fungi non possit? 7. De nominibus eorum publicè proponendis, qui honores ambiant.

OMNINO Reipub. interest, ut uirtus & præclarè facta maximè spectentur honoribus mandandis. Cùm enim ipsa uirtus summum bonum sit: opes & aliæ res nō aliter censeantur bona, nisi quòd instrumenta sint uirtutum: certè uirtus ipsa maximè honore afficienda est. Friget enim, cum se debitis honoribus priuari: cū uerò homines socordes & ignauos sibi præferri uidet, tum aut studijs debilitatur ac languet, aut ad res nouandas impellitur. Itaq; quidam uiri principes, multis rebus gestis illustres, cum homines parum idoneos uiderent sibi quadam fortunæ cæcitate aut æquari, aut præferri, multa animaduersi sunt agitare noua in pectore suo: homines etiam inferiorum ordinum, iniquissimo animo dominationem illorum ferre. Ipsi uerò qui in magistratus leguntur, nulla singulari uirtute præditi, nullis rebus ge-

stis clari, quo modo se in suo munere tractare soleant, non est obscurum. Atq; utinam isti animum inducere possent, ueram uirtutis rationem cognoscere: fortasse minus cupidè appeterent honorem, quo minus dignos se esse scirent. Magnam etenim (quod etsi iam dictum, tamen sæpius dicendum erit) magnam inquam bonis moribus calamitatem ignorantia importauit. Quantus numerus est eorum, quos impotens ambitio, honorum'que contentio mirabiliter exercet? Quotusquisque autem horum est, qui sciat quid sit uerus honor, aut cur sit appetendus? Sunt quibus perpulchrum uideatur, sibi & assurgi ab alijs, & de uia cedi: se & uulgò admirationi esse, & cum honoris præfatione appellari: se & deduci, & reduci: denique & basilicæ spacijs, & quocunque loco sedeatur, se digniore sede honestari. Sed & hæc officia non tam animi inductione, aut uoluntate, quàm adulatione metu ue sæpe præstantur: & certè qui se illis uenditant, nequaquam sunt in uiris magnis habendi. quem admodum Parasitus inquit,

» *Est genus hominum qui esse primos se omnium rerum uolunt,*
» *Nec sunt tamen: hos consector.* —

Profectò magni & primarij uiri habendi sunt, qui multis uirtutibus ornati, mereri studeant tum de Repub. tum de religione: deniq; & de suis ciuibus, & de omni genere hominum. Honor autem uerus est, præclara hominum existimatio de uirtutibus eiusmodi, decq; optimis factis. Quî fit igitur, ut qui nihil certaminis posuerint in uirtute, de honore certare ausint? Quis enim prudens & intelligens existimabit bene de uirtute eorum, quos uidet illius esse expertes? Loquor enim de uirtute, quæ sudore & laboribus maximis comparatur: quę nostris rebus scienter & moderatè uti, quę ab alienis abstinere, quæ inopes ab iniurijs defendere, quę pro re iusta potentum odia & inimicitias suscipere, quæ patriæ laboranti subuenire, religioni periclitanti opitulari, ac pro ea & calamitates ferre & mortem ipsam oppetere iubet. Addamus & uirtutes cæteras, leniores quidem illas, ut uidentur: sed nihilo tamen minus quàm quę dictæ sunt, uiro honorato necessarias: tum libidinum intemperantiæ coercendæ, tum iracundiæ cohibendæ, tum luxui ac insolentiæ comprimendæ, tum cupiditatibus importunissimis superandis, alijsq; uitiorum monstris debellandis ac cõficiendis. Quibus quidẽ uitijs qui sint mãcipati, ij præferocium dominorũ imperijs seruire, iussaq; eorum dies noctesq; exequi cogũtur: usq; eò quidem, ut uix unquã quicquam laude ac libero homine dignũ facere possint, seruirtute improbissima uincti & oppressi. Qui uerò regnum eorum excusserunt, ac uirus ex suis uisceribus euellere studẽt, ipsaq; uirtute duce ad honorem aspirare contendunt, eos ueríssimum & iustissimum honorem consequi posse, magnos'que homines fore, &

eorum

eorum qui nũc sunt hominũ & qui futuri sunt iudicijs putabimus. Nam illa quidem capitis denudatio, poplitũ inflexio, de uia cessio, nequaquam sunt ueri honoris nomine appellanda: sed sunt potius signa quædam honorum, sæpe quidem ab hominibus uel coactis uel adulatoribus data: neq; secus honoris nomine digna, quàm homo pictus hominis nomine dignus habetur. Age nunc, sit ita in aliqua Repub. cuncti populo, nemine quidem excepto, persuasum (ut certè persuasum debet esse omnibus) uerum honorem, ut prius dixi, existimationem esse hominum rectam de alicuius uirtute, in multis & præclaris actionibus uersante. Sit in eadem illa Repub. Thersites, aut si quis est Thersite ignauior, cui & hoc de honore, quod cuncto populo, persuasum sit. An Thersites animum adijcere poterit ad honorem & munus imperatorium? Certè si sapit, nõ faciet: cùm quidem ipse rerum suarũ sibi probè cõscius, sciat quàm ad munus illud sit ineptus: neq; ignoret, pessimam de se existimationem esse cunctæ multitudinis. Sed fortè Thersites existimationem de se hominum tacitam contemnet: contentus erit uulgaribus honorũ insignibus, titulis, & reditibus. Quid igitur, ô noster Thersites, si illa iudicia de te hominum foràs eminerẽt, oculis'que & tuis & omnium aliorum cernerentur: quibus iudicijs te ignauissimum, stupidissimum, omnis prudentiæ expertem, omnes iudicarent: an non potius & titulos & insignia honorum, & reditus cõtemneres, potius'q; inter priuatos ignobilis & sine inuidia uiuere, quàm in luce hominũ, publico honore auctus, in summo odio uersari uelles? Quòd si uitam tibi acerbam putares in tantis populorum odijs, cur igitur & nunc non magis eligis ingloriam uitam? cùm quidem non minore in odio es apud omnes conscios ignauiæ tuæ, qui te tacitis cogitationibus condemnent: qui non amore, sed metu, tuo imperio sint subiecti: qui aduersum te capitale odium propter honorẽ, quem fœditate tua dehonestas, gerant. Nec debes putare, odium hoc obscurum & ieiunum perpetuò fore. illustrabitur aliquando: & quod nunc rebus secundis tuis obscuratur, id si quid aduersi tibi acciderit, tandem se efferet. Etenim ut in nobis multa malè affectorum membrorum uitia latent, corpore firmo & ualido, quæ eadem grauitate ualetudinis crudescunt, & dolores cõcitant: seu quid luxatum sit, seu conuulsum, seu ruptum: sic eorum qui sunt in summis honorum gradibus collocati, tantisper deformitates occultantur & dissimulantur, dum rebus secundis utuntur. Quod si fortuna illis aduersa fuerit & infesta, tum quidem uitia & prauitates eorum proferunt sese, & erumpunt: nec solum hominum sermonibus celebrantur, sed fœditate sua tetros & graues undiq; odores diffundunt. Ne igitur dubita, ô Thersites, quin & tua dedecora, quibus honorem quo fungeris maculasti, aliquando errumpant. Primùm

Demosthenica similitudo, Olynth. 2.

uocibus maledictis' que multorum in uulgus spargentur. & quemadmodum Midæ auriculæ à ministro, ex intimis uno, proditæ, & in arundinem (ut est in fabulis) in auras surgentem quasi impressæ sunt: ita tui, qui te nunc metuunt, populi, prodent tandem stultitiã tuam orbi, tuam ignauiã apud cunctos decantabunt. Quid te deinceps maneat, tu uideris: noti enim sunt exitus tyrannorum. Sed Therſiten missum faciamus: de ratione mandandi honores pergamus dicere. Video apud nos summos honores, quibus publica salus continetur, moribus ac institutis patrijs, soli nobilitati deferri. Rectè hoc quidem, ut apparet. Soli enim propemodum nobiles apud nos habent fixas possessiones, & opes bene fundatas: neq; in artibus sordidis uersantur, nec quæstus faciunt qui in odia hominum incurrant. Habent rationem cum terra, in qua colenda artes suas exercent: ex cuius fructibus faciunt quæstum. Ac Reipub. quidem conducit tales habere præfectos, quibus sit res familiaris bene constituta: ne si homines uel prorsus egentes, uel fluxas possessiones habentes, maximarum rerum curam sustinerent, inopia uel necessitate aliqua, Rem ipsam publicã quæstui, ut fit, habere cogerentur. Decet & illam nobilitatis rationẽ inprimis haberi, quòd ab ijs orti sunt, qui pro Repub. multa fortiter gesserunt, mortem' que pro eadem multi occumbere non dubitarunt. Etenim ita ferè fit, ut & filij similes esse uelint parentum ac maiorum suorũ: & Respublica speret se eosdẽ uirtutis fructus, quos à maioribus accepit, à posteritate quoq; percepturam. Verumenimuero omnes nobiles cogitare decet, non tam generi suo honores à Republica decerni, quàm generis sui uirtuti: à qua qui degenerent, eos quidem maioribus suis indignos prorsus esse & uideri. Sit igitur & hoc in moribus positum, ut in honore mãdando maximus habeatur respectus uirtutis. Non patiatur sibi Rex, uel cuius interest ea curare, fumosis tantùm maiorum imaginibus imponi: perspiciat ingenium naturam'q; eius quem honestandũ decreuit: audiatur eius uox uel in Senatu, uel in iudicijs: fiat periculũ eius consiliorũ: cognoscantur eius facta aut militiæ, aut domi. Etenim qui ab omni re eiusmodi imparatus sit & ingenij & doctrinæ, qui laboris honesti sit ignarus & impatiens, qui maximam temporis partem ludendo, conuiuia exercẽdo, traducere consueuit, haud scio quid tandem præclari in magistratu efficiet. Quòd si quis inertiam auxerit nequitia, an non illi magistratus daret occasionem, licentia uti pro legibus, contumelia pro iusta animaduersione? Quomodo uerò talis homines retineret in officio? quomodo bonum malum'q; discerneret, nisi libidine? Hi sunt, qui bonos uiros, fortes & prudentes, habent inuisos: quos uel tacentes, de se male sentire putẽt: eos'q; pluris ab hominibus fieri uideant, digniores' que iudicari magistratu quàm seipsos. Igitur

studia

ſtudia & actiones ſunt cognoſcendæ eius, cui magiſtratus eſt deferendus. Extent merita eius uel in Rempub. uel in religionē: deniq; habeantur uirtutis & induſtrię eius ſingularia documenta. Hoc enim modo non tam ſtemmata à proauis demiſſa, quàm uirtutes maximę illis conſociatę, honoribus meritis honeſtabuntur. Sed quoniam multi nobilitatē generis prius inſpiciendam putant honoribus deferendis, quàm uirtutem, coarguendus eſt hic error: atq; ita ſtatuendum, ueram nobilitatem non tam in maiorum claritate, aut ſtemmatū uetuſtate poſitā eſſe, quàm in uirtute. Quis enim non uidet, neminē eſſe eundem quod maiores ſuos? & ut poſſeſsiones, ita parentes extra nos eſſe, non in nobis? Sicut ergo opes meæ meliores ſunt tuis, ſiquidem ego ditior ſum te: ita parentes mei meliores ſunt tuis, ſiquidem mei plus ſunt de Rep. meriti quàm tui. At ut diuitiæ me bonum non reddunt, ita nec maiorum nobilitas nobilem. Quemadmodum Vlyſſes, ille ducum Græciæ clariſsimus, in ea contentione, quam cum Aiace, exercitu Græcorum ſpectante, de armis Achillis habuit, inquit:

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra uoco. —

Tam igitur ſanguis nobilium maiorum tuorum reddit te nobilem, q̄ ſanguis patrū fabrorum efficit filios fabros, & athletarū athletas, & medicorum medicos. Quòd ſi nec medici ex medicis, nec fabri ex fabris, nec ex athletis athletæ naſcuntur: fas ſit quæſo rebus ſimilibus ſimilia tribuere, nosq; ſine ullo metu ita concludere, ut dicamus, ex nobilibus quoq; nobiles naſci nō oportere. Sæpe enim diſſimiles ſunt filij parentū. Nam & ex bonis mali, & ex malis nonnunquam boni naſcuntur: ut non immeritò ſcripſerit Satyricus,

Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Aeacidæ ſimilis, Vulcaniáq; arma capeſſas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Et P. Scipio (Romanis enim exemplis utimur libenter) qui ex uirtute primus Africanus appellatus eſt: & Q. Maximus ille, qui cunctando reſtituit rem: & M. Cicero, qui ob conſeruatam Rempub. pater patrię nominatus eſt, patribus & maioribus ſuis maximo ornamēto fuere. At horū filij, quàm altæ uirtutis patrū degeneres? q̄ multis turpitudinum maculis deformes? Quis noſtrūm non nouit Cōſtantinum illum Iuani filium, ducem clariſsimum, in armis & victorijs illuſtriſsimum? Quo mortuo, ſucceſſerat Elias filius in nomen & opes paternas: at non item in uirtutem illam bellicam, quæ pater ſuus toti orbi maximè erat conſpicuus. Quis eſt igitur qui putet, nobilitatē maiorum ad poſteros ſanguinis cōmunione deriuari oportere? Nam de ſtemmatis quod iactant, omnino & illa ſunt ueluti teſtes uirtutis maiorum noſtrorū, rerumq; ab illis geſtarū. Vi-

ctoriæ quoq; & triumphi domestici nostri, exempla sunt ac incitamenta, ad præclara maiorum facinora nos stimulantia. Ea uerò talia sunt, ut in rerum quas cum alijs communes habemus paritate, nihil per se nobis precij addant. Nisi fortè scyphis duobus ligneis, hoc est materiæ & formæ eiusdem in medio positis, accedit uni eorum plus põderis ex inscriptione aut imagine aliqua singulari, quæ alteri scypho adiecta non sit. Quod ut apud idiotas locum habere possit, certè apud eos qui res penitus nouerunt, nõ habebit. Quid igitur istis ipsis stemmatis efficitur, quàm necessitas nobis imponitur imitandæ nobilitatis maiorum nostrorum: uirtutibus, quibus illi insignes titulos, claraq; familiæ cognomina fecere, colendis & exercendis? Nisi enim hoc à nobis factum fuerit, tantum abest ut parentum nostrorum similes simus, ut & filij degeneres iudicemur: & omnibus ijs, qui domestici eiusmodi exemplis tãquam calcaribus carent, peiores & ignobiliores. Profectò uirtus ipsa talis est, ut neque propagatione naturæ, neq; ulla transmissione, ad hæredes peruenire queat. Nam cùm parentes de bonis ferè omnibus testamento cauere possint, uirtutem tamẽ ipsam posteris aliter prodere non possunt, nisi illi actionibus & sudore eam sibi comparauerint. Quibus enim magis placet ocium & mollicies, qui rebus alienis dignitate uirtutis studeant, qui se, parentes, & amicos dedecorant flagitijs suis: ij quidem sciant, se à nobilitate maiorum degenerasse, nihil eis prodesse imagines uetustas, nihil auorum & proauorum præclarè facta. Quemadmodum enim cæco nihil prodest lumẽ solis, utcunque illum circunfuderit: nihil surdo soni, quantumuis dulces: ita nihil prodest tibi claritas generis, nominis que antiquitas, nisi uirtute sis præditus, & industria. Sed nostra nobilitas magnam partẽ peruersis opinionibus infecta est. uidẽt enim maiorem familiæ & imaginum in Repub. quàm rerum aliarum rationem haberi. ideo permulti eorum parũ soliciti sunt, ut se moribus, doctrina, rebus præclarè gestis nobilitent: laboris sunt impatientes, iactibus talorum & Baccho longas consumunt noctes: nec quicquam magis studẽt, quàm ut gemmis, argento & auro niteant, uestitu splendeant, ministrorum cateruis cincti incedãt. Itaq; quod olim ab Aristotele philosophorum acutissimo de nobilibus dictum est, id nostra ętate uerissimè usurpari posse uidetur. is enim, cum ueterem nobilitatem in uirtute ac copijs rerum positã esse affirmasset, subdidit, nobiles bonosq; uiros nusquam centum reperiri: locupletum autem ubique magnum numerum esse. De quibus quidem locupletibus, qui copijs rerum subnixi ad honores contendant, quid dicam? cum constet, Respub. olim (ut in historijs Romanis proditum est) à uiris tenui cum re, præclarè gestas: ut Valerio Publicola, Menenio Agrippa, Attilio Regulo, Qu. Aelio, Cn. Scipione, & compluribus alijs

Politic. 5.

ciuibus

ciuibus Romanis. Quorum, aliorum filiæ ob parentum pauperta- *Valer. lib. 4. de pauper-*
tem ex ærario dotatæ & elocatæ sunt: aliorum uxoribus & liberis, *tate.*
cùm ipsi rebus externis occupati essent, alimenta à ciuitate præbita:
nonnullorum mors sepulturæ honore caruisset, nisi pecunia publi-
ca collata fuisset. At, qui illi, & quanti uiri? quantarum rerum glo-
ria clari? Omnino per illos Respub. aucta & cõseruata est: quæ po
stea opibus Pompeij & Cæsaris collapsa erat, & corruit. Iam de po-
tentia ipsa idem dicendum esse uidetur. Nam ea, seu diuitias seu ge-
neris nobilitatẽ concomitetur, uirtute remota, quid est aliud quàm
gladius in manu furentis? Vtinam non tam essent multa exempla
eius rei. sed omnes Respub. omniaq; ętatum omnium tempora, ex-
perta sunt mala infinita, ab hominibus potentia sine uirtute prædi-
tis. Quid igitur supereſt, quàm ut industria, uirtute, & præclaris a-
ctionibus, qui se alijs præferri cupiant, hoc sibi uindicent? Illi enim
maximè bonis moribus nocent, qui in petitione honorum nulla re
magis quàm stemmatum antiquitate, ministrorum comitatu, ue-
stium splendore, epularum profusione, & alijs operibus tum gene-
ris tum diuitiarum sese uenditant. Pręstigiæ sunt istę & captiones,
non causæ honore dignę. Laudatur Scipio Africanus, qui cùm om
nibus & corporis & fortunæ bonis esset cumulatus: tamen non of-
fundebat oculis ciuium nebulas istas natalium, opum, potẽtiæ: qui-
bus multi student illustres fieri, & magnifici. Nulla re petendis ho-
noribus niti uolebat, præter solam uirtutem. Sed hoc Scipioni fa-
ctu facile erat, qui uirtutibus maximis ornatus fuerit: alijs nõ item,
qui uirtuti suæ desperantes, præsidia quærant alia honorum adipi-
scendorum. Atq; haud scio an honores petere ius fasq; sit. Necq; 2
enim si id Romæ licebat, ubi magistratus erant annui: propterea a-
pud nos licet, ubi sunt perpetui. Cogebantur enim qui Romæ gu-
bernabant Remp. anno exacto & magistratu abire, & rationem ge-
sti magistratus reddere: nam & repetundarum accusabantur, & in
exilium agebantur, & modis alijs puniebantur. Itaq; dabatur uni-
cuiq; ciuium potestas magistratus petendi: quòd unumquenq; in
magistratu cogitare oportuerit, tales alios qui annis uertentibus, a-
lius post alium successuri essent, in eum fore, qualem se ipse in illos
gessisset. Apud nos autẽ, ubi permulti magistratus & sacri & pro-
fani non nisi uita hominis finiuntur, uix puto aliquem ambitiosis lo
cum relinquendum esse: hoc est, ijs qui inferant se ipsi ad honores,
& quasi intrudant uel petendo, uel aliquos pro se precatores sub-
ornando. Videntur enim tales non Reipublicæ, sed sui commodi
causa petere. quod absq; nefanda & pernicioſa labe ciuitatis exiſte-
re nequit: præsertim cùm qui administrant, metu omni & existima-
tionis hominum, & inquisitionis accusatorum, uacui sint. Facilimè
profectò tales ad omnem animi libidinem impellũtur. Miserrima

est

est (ut Plato dicit,& Cicero refert) ambitio,honorumq; cõtentio: & rectè quidem. nõ enim nautarum est,ac gubernatorum, eos qui uehendi sint,petere ut se uehi sinant: sed contrà potius, qui nauigatione uolunt mare trãsmittere, ij fidem & operam nautarum implorant & expoſcunt. Et quamuis Paulus CHRISTI apostolus dicat, bonum opus ab eo appeti qui episcopatũ appetat: quod de episcopatu dictum,ad functiones alias transferri potest: uerùm non est idem appetere,& sese ingerere. Debet quidẽ uir bonus, & doctus, & ad res gerendas multis uirtutibus instructus, appetere ut quàm maximè prosit mortalium generi: ut qui sciat,nõ se sibi natum esse, sed amicis,patriæ,& religioni. Nihil etiam impedit,quo minus idẽ declaret ijs qui tenent Rempub. se cupere ipsi Reipublicæ seruire: hancq; uoluntatem suam aperiat, si fortè magistratũ aliquem ei demandare uelint.Non est hoc ambitiosi: sed eius qui uelit rectè consultum Reipublicæ. Certè multorum uirtutes ignorantur, qui toti se contulerunt ad otium & solitudinem:multorum uoluntates sunt obscuræ, qui in lucem ac oculos hominum nunquam prodierunt. Qui utcunq; boni sunt, ac uirtute & doctrina ornati: tamen quia à negotijs se remouerunt, fit ut hominũ indignorum imperia cogantur ferre: hanc que iustam persoluant pœnam Reipub.quam relinquant ac deserant. Qui igitur dignus reputabitur honore, is ad Rempub.accedere debet. Si id recuset,crimine non carebit: nisi fortè infirmitatis conscientia id renuit. Nam qui uel pigritia, uel laboris uitandi causa,uel propter priuata studia, ad Rempub.etiam uocatus, non accedet: is tam erit in uitio,quàm patriæ, salutisq; communis desertor. Cùm enim omnes omnium charitates patria una complectatur, omnia præ illa posthabenda sunt, omnesq; labores animo magno & elato pro illa suscipiendi. Idq; usque eò, ut si Reipublicæ necessitas urgeat, non sit indignum bono & prudente uiro,ultrò sese ingerere ad eam administrandam,atq; ad pericula pro ea appetenda. Cato iunior, amicis hortantibus uti tribunatum peteret: respondit,id se parum decere,tempore Reipub.non necessario. Postea cum Metellum hominem turbulentum petentem uideret, ipse quoq; candidatus in campum descendit, ut suo tribunatu Metelli insolentiæ obsisteret. Idem ut Crassi & Pompeij designatorum consulum potentiam frangeret, præturam urbanã sibi mandari acriter contendit. Etsi autem nihil insolenter,nihil præter mores factum fuisset, si spontè se ambitioni dedisset: tamẽ cum magnitudine quadam animi despiceret,quos mirantur alij, honores, non aliter se ad petendum adduci passus est, quàm Reipub. necessitate coactus. Petijt igitur & tribunatum,& præturam: hoc est,petijt sibi occasionem uirtutis exercendæ dari, ad furores turbulentorum compescendos,ad libidinem potentium comprimendam. Et Cato

igitur

igitur rectè fecit: & qui simili studio uel petierint, uel uoluntatem suam principi declarauerint, non minus rectè facient. Cæterùm eum honestare, qui uel opum augendarum, uel potestatis adipiscendæ, uel splendoris ostentandi gratia magistratum sitiat atq; petat: aut solis petitoribus ad honores aditum aperire, nõ est rectum, nec commodum Reipublicæ. Sed quomodo cognoscendum, quo quis animo petat? Ego uerò uideo id, nisi coniecturis, cognosci nõ posse: quas & ipsas sæpe falsas existere, non ignoro. Sed tamen cautionis est, ad omnia animum aduertere, quæ nos dirigant ad ueritatem: ambitioni uerò apertæ, ac petitioni improbæ annuere, iniustitiæ. Semper enim nescio quo modo ad famam sordida existimata est eiusmodi petitio. neque uerò id tantùm petitori: sed ei etiam, qui honorum potestatẽ habens, petitoribus eiusmodi subscribat. Non enim petitores isti uacant suspicione corrumpendi pecunia, & eos quorũ utantur opera petẽdo, & eos quorum in manibus res est. Sed Rex, & penes quos honorum est potestas, facilè petitorum improbitatem coercebunt, si in uulgus fuerit cognitum, in nullam dignationem eum peruenturum, qui ad honores petitionibus obrepere uelit. Pulcherrimus autem mos fuerit, si Rex, & ij in quorum uoluntate res posita est, sponte sua ad honores euocent homines dignos, qui multa habeant adiumenta rerum gerendarum. Sic enim natura comparatum est, ut qua re, quóue homine opus habeamus, eum libẽter ipsi quæramus. Neq; est ferè quisquã, qui quærat eos quibus sit ipse necessarius, nisi id facit utilitatis suæ causa. Quòd si unusquisq; rebus ad uitam necessarijs acquirendis, non eas emit quæ à uenditore cõmendentur, sed quas ipse iudicauit bonas & sibi commodas esse: certè etiam quorum dominatu Respublica tenetur, honoribus mandandis diligenter uidebunt, cui nam rectè Resp. committi possit. Sic autem & iurè dignitas illa appellabitur, quæ digno uiro, multisq; dotibus rerum gerendarũ ornato tribuetur: & homines ipsi legitimè uocati uidebuntur, cùm quidem ad quem modum hodie, suo uel amicorũ rogatu, consequuntur honores, non tam ad illos uocantur, quàm obtruduntur. Quòd si uitiosus est magistratus, cùm precibus impetratur: an non multo uitiosior est, cũ pecunia cõtenditur? Fieri enim non potest, ut qui per largitionem adepti sunt honores, non uelint ex eis quæstum facere. Neq; uerò tantùm hoc suo peccato nocẽt Reip. sed etiam imitationem pernicioſi exẽpli alijs hominibus produnt. Nemo enim libenter studet uirtuti, cùm diuitias maiore in precio & honore, quàm illam ipsam uirtutem, fieri uidet: nimiaq; illa admiratio diuitiarũ, ad multa scelera homines impellit. Neque sperandum est, ut cuius rei exordia malè instituta sunt, ex ea aliquid boni unquam proueniat.

Quamuis autem hoc uulgò laudi ducatur, cùm unus aliquis ge- 4

rit plures magiſtratus: tamen multis uidetur hoc ipſum dignum reprehenſione. Vnus enim uni muneri uix ſufficere poteſt: diuerſis muneribus prorſus non poteſt. Itaque etiam qui plures magiſtratus adepti ſunt, ij cùm officia illorum exequi nō poſsint, plures pro ſe ſubſtituunt uicarios. Quid igitur impedit, quo minus illis pluribus deferantur ſinguli magiſtratus, quos nemo unus ſine uicarijs pro dignitate gerere poſsit? Quòd ſi parum decet, unum plures gerere magiſtratus: multo minus decebit, ut aliquis cæteris neglectis, ſupra modum augeatur imperij dignitate. Inſolentiores enim redduntur, qui ultra cæteros fortunam ſibi ſentiunt benigniorem. id quod ętas noſtra uidit in nouo quodam homine. Ipſi quidē certè qui ambiunt plures honores, non tam id Reipub. quàm commodi ſui cauſa facere uidentur. Et quemadmodum qui cibis uarijs, potionibuſq; ſeſe onerant, magis debilitant quàm confirmant ſtomachi uires: ita qui honoribus ſe complent multis & uarijs, uel eis utuntur tanquam crudis, minimeq; concoctis, ſi officiū ſuum negligant: uel frangunt uires ſuas, ſi muneri & officio nuſquam deeſſe ue
5 lint. Rectè mandari honores, qui uirtuti mandentur, oſtēſum eſt: ſed quia uirtutes ſunt uariæ, itaq; uidendum eſt, quæ uirtutes cui honori reſpondeant. Vt enim in exemplo à cibis ſumpto perſiſtamus, non ijdem cibi omni corpori competunt: & qui uni corpori ſalubres ſunt, illi ijdem alteri ſunt noxij. deinde, non omni corpori ueſtes æquales adduntur: ſed unicuique pro quantitate. ita acriter uidēdum, quæ uirtutes cui muneri aptæ eſſe poſsint. Plus Thomicij & Choienij uirtus ad munera urbana ualebat: Euſtachius & Lancicorunius in armis clari erant: Conſtantinus & Laſcius, &
6 conſilijs dandis, & armis tractandis fœlices erant. Itaque hæc monarchis uidenda ſunt: eiſque honores mandandi, qui per ſe fungi muneribus, qui ipſi uidere & res tractare poſsint: non qui tanquam cæci, aut manibus carentes, alienis ſemper oculis credere, alienisque manibus omnia agere cogantur. Odioſum eſt profectò hoc genus hominum, qui cùm ab omni re ingenij, doctrinæ & facultatis imparati ſint, tamen cæco quodā mentis impetu honoribus inhiant: quos magnificis titulis, amplis reditibus, ac alijs inſignibus metiuntur: putantque ſe hac ratione eis dignos, quòd habeant quoſdam, quorum opera utantur ad res gerendas. & addunt ſimilitudinē, ſe illis uti quemadmodū fabri utuntur malleo & inſtrumētis alijs, ne manus eorum incommoda ignis ſentiant. O ſimilitudinem diſsimilimam. Quis enim ignorat, fabrū uti inſtrumentis ſuis pro arbitrio: ita quidem, ut niſi agat faber, conquieſcant prorſus inſtrumenta? contrà autem, qui ipſi rerum omnium imperiti ſunt, an non potius inſtrumenta ſunt eorum à quibus reguntur? Mihi quidem non diſsimiliter facere uidentur, atque ſi pedes uidere in

animum

animum inducerent, munereq; oculorũ fungi: sed cùm id non possint, oculorum quidem opera uidendo uti uellent: ipsi uerò honore uidendi, & res omnes aspectu cernendi gaudere, ipsumq; oculorum locum occupare. Atqui honestius est uos, ô nostri pedes, uestro ambulandi officio contentos, oculis & locum, & suum uidendi opus, & eius operis gloriam relinquere. Etenim si uidere uultis, si audire, si olfacere, si omnium membrorum partes explere, corporis distinctio & harmonia pereat necesse est, totumque corpus nihil aliud quàm pedes erunt: sin membrorum aliorum gloriam tantùm uobis tribui, cùm ipsi nihil præterquàm ambulare possitis, sanè q̃ ridẽdos uos membris alijs præbetis. Præclarè Cicero: Ad rem, inquit, gerendam qui accedit, caueat ne id modò consideret quàm res illa honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem. Præclarè & Paulus uarietate donorum, quibus membra corporis unius prędita sunt, commẽdata, atq; ea ad corpus uel Reipub. uel ecclesiæ accommodata, præcipit, ut quisq; cogitet quantum sibi à Deo datum sit: mensuram sui doni expendat, ut ipsum rectè excolat & exornet: nec muneribus sibi natura negatis inuadendis, confusionem & turbationem in rebus humanis efficere contendat. Qui rationes ueri honoris rectè cconsiderauerit, haud facilè rapietur ad studium honorum, quibus curas & solicitudines uarias adiunctas esse nõ ignorauerit. Verùm multi uident quid expetant: causas ueras, quamobrem id faciant, parum animaduertunt. non abs re fuerit, ut ne id impunè illis fiat, publicè nomina eorum proponi: potestatemq; fieri cuiuis exponendi, quid in eo, qui sit honestandus, uel qui de honore contendat, desideret. Hunc morem in Rep. Veneta obseruari, Caspar Contarenus testatur, de Ducis electione sic inter cætera inquiens: *Si quis existimauerit eum ciuem, qui eligẽdus sit, minus idoneum, qui tam magnam dignitatem sustineat, aut ob quampiam aliam causam non forè è Rep. eum Ducem esse, consurgit: ac primò modestè præfatus, ingenuè profert, quid de eo ciue sentiat: & quãobrem putet non esse in rem patriæ, eum ducem fieri. Cum is finem fecerit, Senatus renunciatũ adhibet: ac statim à seniore ei omnia repetuntur, quæ ei obiecta fuerint, authore tamen suppresso: nam sacramento antea omnes perpetuo se obstrinxerunt silentio. Refellit ille obiecta, ut libuerit. Deinde recedit è curia. Quod si prior, aut alius quispiam, nouis rationibus adhuc arguere, & accusare hominẽ uelit, potestatem habet. Nouis criminationibus rursus accersitus ille respondet. Sicq; uicissim res tractatur, donec accusatoribus nihil amplius relictum sit. Tum demum in suffragia itur.* Hęc Contarenus, in Ducis Venetiarũ electione obseruari ait, quæ de alijs quoq; magistratibus, perpetuis præsertim, quæ cum uita hominis terminentur, intelligi possunt. Similem morem ab Alexãdro Seuero im-

Casp. Contar. de Venetorũ Repub. lib. 2.

Aelius Lampr. in uita Alexan. Seueri.

peratore Romano obseruatum esse, Aelius Lampridius prodidit his uerbis: Vbi aliquos uoluisset uel rectore prouinciæ dare, uel præpositos facere, uel procuratores, id est rationales ordinare, nomina eorum proponebat: hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probaret, subiret pœnam capitis. Dicebatq; graue esse, cum id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunę hominum committerentur, & capita. Ex quibus uerbis historici obseruare licet, uetere m Christianorum morem in electionibus ministrorum Ecclesiæ fuisse, ut qui eligendus esset, eius nominum publicè proponeretur, si quid forte esset in eo quod eum Ecclesiæ ministerio indignum faceret: illumq; morem Alexandrum Seuerum ad electiones magistratuum ciuilium transtulisse. Ex his igitur quę dicta sunt, perspicuum est, maximam esse Reipub. pestē, si inter bonos & malos fiat discrimen nullum: multo etiam maiorem, si mutato rerum ordine boni negligantur, mali in precio habeantur. & quemadmodum Cato inquit, si pisciculi quàm boues pluris æstimentur. Planum est & illud, hòc minorem in Repub. uirtutis ac bonorum rationem haberi, quo maior est admiratio generis ac diuitiarum. Nihil igitur salutarius est Rebuspub. (ut Socrates apud Platonem inquit) quàm potestatis sapientiæq; coniunctio: nihilq; rectè & ordine ab eo fieri potest, qui cum potestate existens, non omne suum studium, curam, diligentiam, cogitationem in doctrina & sapientia posuerit. Et hæc quidem hactenus.

CAPUT XIX.

1. *De honoribus, in quos parentibus filij uel alij hæredes legitimè succedant: uel qui testamento ad aliquem perueniant.* 2. *Et hîc de educatione filiorum uirorum heroum:* 3. *Et de humanitate subditis præstanda:* 4. *Et de eo, num liceat domino, ut aliquid adimat subdito suo?*

ED præter eos honores, qui uel à Repub. uel à Regibus, uel ab alijs qui sedent ad gubernacula deferuntur, sunt alij quidam, in quos filij succedunt parentibus mortuis: quorū cùm illi hæredes sint, imperant ijs populis qui subiecti erant parentibus. quod quidem imperium perseuerum est: cùm non liceat apud nos colono, quantumuis iniuria affecto, queri de domino suo. Sunt autem quidam domini adeò immanes, ut non aliter utantur colonis quàm pecudibus. Ideo & illud in mores inducendū esset, ut statis temporibus seu censores, seu quiuis alij magistratus, inquirerēt in eiusmodi dominos omnes: imò & in alios præfectos, quemadmodū se gerant suis hominibus imperando. Certè illis non debet esse impunè, si quid crudeliter, auarè, uel contra quàm deceat gesserint.

gesserint. Quòd si inter est Reipub. ne quis malè utatur re uel sua, uel aliena: quanto magis, ne abutatur hominibus? quibus certè nemo præesse deberet, nisi se Reipublicæ probaret: nisi se alijs bene paruisse, ac magistratus dicto audientem fuisse, ostenderet. Nemo admittitur ad artem aliquam publicè exercendam, nisi & à magistris primùm eam didicisset, & specimen eius dedisset: quanto minus admittendi sunt ad imperium, qui documenta nulla dederunt, se aliquando bene paruisse. Verissimè enim illud dicitur, Qui bene imperaturus est, bene paruerit aliquando necesse est.

Negat Aelius Spartianus, quẽquam magnorum uirorum bonum & utilem filium reliquisse Reipublicę, quòd aut sine liberis interierint, aut tales habuerint, ut melius fuerit humanis rebus sine liberis decedere. Nihil Romulum, nihil Numam Pompilium, quod Reipub. utile esse posset: nihil Camillum, Scipiones, Catones, qui magni fuerunt: nihil Homerum, Demosthenem, Vergiliũ, Salustium, Terentium, Plautum. Quid Cæsarem, quid Tulliũ, quibus melius fuerat liberos non habere? Quid Augustum, qui ne adoptiuũ quidem bonũ filium habuit: cùm illi eligẽdi potestas esset ex omnibus? Verè hæc quidẽ Spartianus: quemadmodũ & Homerus dicit, paucos filios parentum esse similes, plures peiores, pauciss imos meliores. Ergo & id cogitent uiri magni, qui populis multis imperant: curẽt filios suos rectè educari & instituì, ne pestes post se relinquãt rebus humanis: assuefaciant eos & agere quæ necesse sit, & tolerare quæ oporteat, & malos fugere, & bonos amare, & seniores honorare: æqualibus humanos, iunioribus placabiles se reddere: magistratui obtemperare: ijsq; artibus eos imbuant, quibus tum ad humanitatem informẽtur, tum ad rectè imperandũ sint instructi: atq; etiam illud sæpissimè eis inculcent, inter patrẽ & bonum principẽ nihil interesse debere. Referebat aliquando super mensam, fortissimus & illustrissimus heros IOANNES TARNOVIVS, exercituum Polonorũ imperator, se, cùm in Italiam iter faceret per Bauariam, ad ædes uiri cuiusdam nobilis, ut ibi de uia fessus (nox enim appetebat) quiesceret, diuertere uoluisse. qui quidem nobilis cum uxorem tum haberet parturientem, ac dominum mulieribus, quæ illi (ut fit) opem ferebant, refertam, rogauit imperatorem ut in ædes coloni cuiusdam sui diuerteret: se enim ibi ea quæ in penu suo essent, illi suppeditaturum. & imperatore quidem annuẽte, accedit nobilis ille colonum suum: ac pileo honoris causa deposito, rogat imperatori diuersorium. aderant tum nobiles quidam Poloni, imperatoris familiares, qui ut commoditates diuersorij uiderẽt, Bauarum comitabantur. At illi irasci & fremere, rem'que indignã dicere, ut colonus à domino uel honoraretur, uel rogaretur: qui potius eijci domo deberet, si quid domino imperanti denegaret.

Et Tarnouius quidem in eum ſermonem delapſus erat, cùm mentio fieret de eo tributo, quod colonis omni ferè anno tum imperabatur: déq; oneribus, quæ illis magna & uaria imponuntur. atq; etiã laudata Bauari humanitate, ſubinferebat, Non alio loco habendos eſſe colonos, cùm munus ſuum penſumq; abſoluiſſent, quàm uicinorum. O uocem prudentiſsimo imperatore dignam. Fieri nõ poteſt, ut rectè exercitibus imperare ſciat, qui hominibus ſibi ſubditis rectè imperare neſcit: & qui regẽdo hoc hominum genere humili & imbecillo eſt inſolens, hunc deficient animi populis gubernandis ſuperbis & rebellibus. Fereq; fit, ut animo parum forti res magnas aggrediantur, qui ſe ſuperbos & crudeles hominibus infimæ conditionis præbẽt. Noſtra uerò tempora & bellicas res & urbanas, pari fortitudine & prudentia à Tarnouio adminiſtratas uiderunt. uiderũt prælia, oppugnationes, & triumphos: experta ſunt artes pacis cum dignitate tuendæ, & conſeruandæ. Vt mirum non ſit, à tanta uirtute, tantaq; prudentia uocem illam clementiæ, æquitatis, & humanitatis plenam eſſe profectam. Quòd ſi crudelitate & ſuperbia peccat, qui immoderato imperio in populos ſuos utatur: quanto magis peccare putandus eſt, qui eos pellat ſedibus ſuis, ac tanquam prælio uictis inſultet inquiens, Hæc mea ſunt, ueteres migrate coloni? Multi autem ad faciendam hanc iniuriam accedunt opinione illa, ſua eſſe omnia quæ ſint ſuorum populorũ. Sed hic error minimè eſt ferendus. Quis enim unus homo ſufficiat ſexcentenis agri iugeribus colendis? Sed initio rerum ita factum eſt. ueniebat multitudo hominum in arua uacua: atq; ea quę prius communia erant, occupatione faciebant ſua: deligebantq; ſibi aliquem unum, ingenio & uiribus præſtantem, qui eos cõſilijs gubernaret, lites inter eos componeret, & ab externo hoſte defenderet. cui etiã ob eam rem maiorem agri modum aſsignabant. Quòd ſi fortè aliquis unus tales fundos reperit, qui coli apti eſſent, aut ſi cui fortè donabantur, tamẽ multos adiungebat ſibi alios, qui cum eo unà colerent: itaq; agros inter eos diuidebat. Ideo & Ioſua, qui à morte Moſis populo domi imperabat, cùm trans Iordanem reges multos & populos bello ſuperaſſet, eorumq; terras occupaſſet, iuſſus à Deo, ut terram, quam illis hæreditariam dederat, pro rata parte inter tribus uniuerſas partiretur: ita quidem id executus eſt, ut ſingulis tribubus ſingulas poſſeſsiones aſsignaret: nihil in eis poſſeſsionibus, quæ cuiq; ſorte obtigiſſent, faciendo ſibi proprium & ſuum. Verùm Iſraelitæ ipſi, ex Dei præcepto, poſſeſsionem illi in medio ſuarum dederunt, quæ illi erat propria. Ezechiel etiam propheta teſtatur, Deum ita terram populo diuidi iuſsiſſe, ut principi quidẽ agri ſpacium peramplum, ſed non totum attribueretur. nam & ſacerdotibus, & ſingulis tribubus, ſingulas terræ portiones certis

Ioſuæ 12.

Ezech. ult.

termi-

terminis circumscribi & definiri mãdat. Qua quidem re significat, non tantùm alios omnes, sed & principem, suis portionibus contentos esse debere: suos agros exercere & arare, alienos non inuadere & occupare. Cur enim illi qui agros distributos quisq; pro sua parte colunt, non iure optimo dicere possint, agrum cultum, propriũ esse & suum? non minus certè quàm ille, qui uel consensu omnium electus est dux & dominus, uel alios sibi adiunxit ad ratas terrę portiones colendas, dicit, suum proprium esse quod illi obtigit. Neque enim ille uel à multitudine accipere, uel sibi sumere in uniuersos potuit quicquam aliud, quàm imperium & principatum. Prædia quidem ea sola domini esse, quæ illi propria tradita essent, uel quæ illi obtigissent, illud argumento est, quòd in mercando, uendendo, aut tradendo, dominum tantùm à se transferre, non alicuius subditi res proprias auferre queat. Et qui dominatum ab eo acquirit, non res emat populorum, sed & prædia quæ possidebat is qui prius imperabat, & ipsum dominatum: cuius ratione nihil à populis exigere iure possit aliud, quàm uel tributa, uel operas debitas. Quid quòd ipsi etiã uictores, eadem prorsus æquitate uictis imperitasse leguntur? quos & uita donabãt, & possessionibus omnibus gaudere uolebant. quemadmodũ Cyrus ad Assyrios uictos, & in fidẽ receptos loquitur: Bene, inquiens, facitis uiri, quòd mihi parueritis. nihil enim mali deinceps patiemini, nisi quòd non idem qui prius, uobis imperabit. easdem, quas prius, ædes inhabitabitis: eandẽ regionem coletis: earundem uxorũ utemini contubernio: uestrisq; filijs, sicuti nunc, imperabitis. Si quis uobis iniuriam inferet, nos pro uobis pugnabimus. Humanissimè hæc quidem Cyrus. Quo igitur iure faciunt, qui nec ui, nec armis, sed uel hæreditate, uel donatione, uel exẽplo bonis acquisitis abutũtur? qui malis artibus homines mulctant: possessiones subditorũ uel depascunt, uel eripiunt: colonos pellunt, prędiaq; illorum occupant? Hoc non fecit Cyrus Persa Assyrijs, quanto minus decet facere Christianum dominum Christianis subditis? Apud Germanos quidem, & Christianos ferè omnes, serui nulli uisuntur. Leges etiam Mahometanæ uetant, quempiam religionis eiusdem, seruorum in numero haberi. Christiani, quorũ religionem execrantur, illis seruiunt. Nos uerò, qui ueram in Deũ religionẽ amplexi sumus, nihil pudet, nostræ religionis seruos habere. Non dico, quin aliquis iusta causa in seruitutem damnari possit: quemadmodũ Noa Chanaam filium seruituti addixit, ob peccatum. Sed dico de hac seruitute usitata, qua in subditos domini utũtur, nullo illorum delicto: fundos & possessiones eis dum libet eripiendo: eosq; etiam, quod in nonnullis fit prouincijs, tanquam bestias uendendo. Et habet quidem ea res, præter alia, illam iniquitatem: uolunt enim domini sibi liberum esse, quando libeat, agros auferre

Xenoph. de pædia Cyri lib. 4.

auferre colono: non uolunt autem liberum esse colono, agrum relinquere quando uelit, imò cùm de colono retinendo agitur, adeò illum uendicare studeant, ac proprium facere, & mancipio, & usu ac fructu, ut ne liberis quidem eius faciant potestatem abeundi. Deus conditor orbis, tanta benignitate est, ut uictum ad satietatem omnibus suppeditet, non tantùm locupletibus, sed & tenuibus. Verùm diuites isti, ut abdomini & libidini suæ satisfaciant, omnia sibi usurpare audent: clamant se dominos orbis, omnia hominum sibi subiectorum bona arbitrio suo stare, cadere'que: inutiliũ uerò subditorum, uel inuitorum, facultates dato precio, in suum se usum cõuertere posse. eum enim inutilem subditum interpretantur, cuius bona in usus suos meliores conuertere queãt. O' suauem interpretationem. Quomodo ergo tu ipse, ô bone uir, utilis es Reipub. qui tantulum terræ ciui tuo eripiendo, ex ore illi cibum rapias? ad egestatem eum redigas? ac ferè illi sanguinem emungas? Ex hac uerò tenuiũ oppressione & afflictione, si nihil putas ad Rempub. incommodi peruenire, uehementer erras. Velim autem, qui eiusmodi agros ereptum eunt, secum considerent pœnã quam Achab rex depẽdit, propterea quòd uineam uel emere à Nabotho, subiecto sibi, uel commutare uellet. Quod etsi non iniquum uideri posset (est enim & emptio & cõmutatio moribus & legibus permissa) uerùm quia inuito Nabotho fiebat, ideo & Rex miserè interijt: & uxor, & liberi, & cõsiliarij eius omnes sunt interẽpti. Id quod & in sacra Regum historia est proditũ, & à nobis in Philalethe copiosè tractatũ.

CAPUT XX.

Ne mulieres publicis se muneribus immisceant.

ILLVD etiam efficiendum, ne mulieres ad Remp. admittantur: quas Deus potestati uirorum subiecit, Paulus etiã in cœtibus docere prohibuit. Quãtum enim mulieres incõmodare possint rebus humanis, & Eua illa pulcherrima & prudentissima omnium satis declarauit, cuius consilium exitium humano generi attulit: & Pilati Iudæorum præsidis uxor, quę & ipsa consilio suo salutem orbis uoluit impedire. Et quidem illæ erãt summo loco, & spectatissimæ fœminæ: sed tamen fœminæ erant, hoc est animalia imbecilla, & quæ errori ac transgressioni (ut Paulus testatur) magis sunt obnoxia. Pudeat igitur eos, qui cum se publicis honoribus dignos esse iudicẽt, nihil unquam agant nisi ex præscripto mulierũ. Quasi uerò aliquid interfit, mulieres'ne magistratus gerant: an magistratus gerentes, à mulieribus gubernẽtur: cùm idem utrunque consequatur. Certè mulieres ad colum natæ sunt: & qui Venerem finxit testitudinem calcantem, rerum domesticarum curam, non Reipublicæ, illis committendam esse significauit.

Insti-

Institutis etiam Romanis interdictum est mulieribus, omni publica administratione. De mulieribus satis. De honoribus etiam, & magistratibus, quantum potuimus, diximus.

CAPVT XXI.

De subditorum officio.

QVONIAM autem Reipublicæ interest, non tantùm rectores esse in officio, sed & eos qui reguntur: ideo hi quoq; diligenter & bona fide exequãtur munus suum. Multi sunt quos uitia magistratuum offendunt, ut non pro eo ac debent, eos obseruent, eorumq; mandatis obtemperent. Verùm omnibus generatim & uniuersè ab Apostolis Christi præcipitur, ut potestatibus supereminẽtibus subditi sint. eas enim à Deo ordinatas esse: & qui eis resistat, eum diuinæ ordinationi resistere. Et obseruantiam quidem præfectis debitã ita ornant, ut & preces publicas pro eis fieri iubeant: & nõ tantùm bonis & humanis dominis, sed & discolis, hoc est asperis & difficilibus, obtemperare præcipiant: & id quidẽ non tantum propter iram, sed & propter conscientiam oportere fieri, docent. Quibus elogijs hoc munus ornari magis potuit? Videntur nobis potestatem inquirendi in uitia magistratus adimere, qui iubent obedire etiam discolo præfecto: præciperéq;, ut uitia eorum æquis animis toleremus, & ad Dei iudicium reijciamus, cui placet peccata populi sui castigare principũ asperitate. Ac nihil quidem rebus humanis optabilius esset, quàm si principes essent uera pietate, prudentia, & uirtute imperandi præditi. Tales enim principes essent illi ipsi philosophi, quibus imperantibus beatas fore Resp. prædixit Plato. Verũtamen ferẽdi sunt, & uenerandi, qualescunq; tandẽ sint, Dei ipsius causa: qui & hypocritas facit regnare propter peccata populi, & in furore suo dat reges, ut testantur Oseas propheta, & Elius in eo sermone quem ad Iobum traditur habuisse. Si quid iniquius in nos agãt, Deo permittendum est. Deus enim ille, qui mundi huius compages quatit cum uult, puniet & regum & præsidum iniquitatem, tempore suo. Subditorum uerò est, iussa eorum capessere: in omnibus ijs quibus dignitas Reipub. ac religionis non uioletur, obtemperare: contra omnes & hostes externos, & ciues seditiosos, ei adhærere. Neq; enim harmonia hæc, & quasi compositio Reipub. diu cõsisteret, nisi subditi in officio essent, uociq; & uoluntati præsidum obsecundarent. Et id quidem de ijs dictum est, qui in Repub. nullum interueniendi ius habeant. Nam de consiliarijs, & ijs ordinibus qui ius illud habent, dictum est suprà: qui prodere Rempub. uiderentur, si pro officio non resisterent principis uoluntati, aliquid quod non deceat molienti: siq; in commune non prouiderẽt, ne quid Resp. detrimẽti

Osee 13. *Iob. 34.*

accipiat. Hæc de personis tam eorũ qui præsunt, q̃ qui ditioni illorum sunt subiecti. Nunc de moribus alijs emendandis dicamus.

CAPUT XXII.

De luxu. 1. *in uestibus:* 2. *cibis ac potionibus:* 3. *re Venerea.*

QVONIAM autẽ, qui ambitiõe laborant, plericꝫ in nimiũ luxũ effusi uiuũt, hacꝫ ratione magnificos se fieri uolũt: intelligendũ est, maximã ex ea re labẽ moribus illatã esse. Et in uestitũ quidẽ mollicie ac uarietate quãta uanitas insit, nulla oratione satis exprimi potest. Cùm em̃ illæ necessitatis causa, ut uel frigus atꝫ æstũ arceant, uel tegant partes corporis pudendas, inuentę sint: homines uani & ambitiosi uel pro facultatũ, uel pro generis ac honorũ ratione, cùm ad fauorẽ hominũ conciliandũ, tum ad decus & honestatẽ eas conuertunt, & ex earũ splendore se magnos uideri optant, nõ quidẽ sine magna iudicij prauitate. Honorẽ enim soli uirtuti debitũ, ad lanã transferre, indumẽtaꝫ sua magis q̃ seipsos ornare studẽt. Neꝫ id dico, ꝙ neglectũ & immundiciẽ in uestitu non improbem: sed ut modus seruetur, luxus & nimiũ illud ornatus studium excludatur. Nam & sumptu maximo cõstat, & uanitatem animi arguit: quemadmodum ille inquit, *Uestitu nimio indulges, nimium ineptus es.* Varietas tum formarũ tum colorũ in uestitu, quid aliud q̃ morum uarietatẽ prodit, & morũ inconstantiã? Neꝫ uerò mõstrositate caret, dũ in una domo ac familia alij uestiunt se Germanicè, alij Italicè, alij Turcicè: nõ secus q̃ si in diuersissimis partibus mũdi nati essent. Illud etiã magis monstrosum, dũ qui manè Italico usus est cucullo, idem uesperi incedit Turcicã indutus uestẽ, pileum acuminatũ, calceos rubros & incuruos cũ soleis ferratis. In plumas maximè pecunię impẽdunt utilitate nulla, iactura maxima. In his ornatus si quæratur à pueris, ignoscendũ est ætati: uiris certè res est indigna. Illud haud scio an obsit bonis moribus ꝙ passim utunt torquibus aureis fortes iuxtà & ignaui: cũ quidẽ hoc ornamentũ fortiũ uirorum esse uideat. Carthagini quidẽ, cùm illa Resp. stetit, nemini annulorũ ornatũ ferre licebat, q̃ qui in prælijs aduersus hostẽ se fortiter gessisset: ac ꝙ numero expeditionũ, in quib. militasset, annulos gestabat. Hodie talia sunt tẽpora, ut nõ annulis modò, sed torquibus etiã uulgò homines utant: neꝫ id ꝓbi tantũ, sed lenones quoꝫ scorta, rabulę, & fœneratores. Multi parũ honorati sibi uident, nisi fulgeãt aurea torque: quam quo quisꝫ preciosiorẽ habet, pluraꝫ uolumina facientẽ, aut etiã longius dependentẽ, hoc se honestiorẽ ferè existimat, clariorẽ, ac quouis honore digniorẽ. At id nõ fit sine diuitiarũ ostẽtationis nota, ac grãdis barbariei significatione. Romani ueteres, contẽptu q̃ usu auri fœliciores fuisse traduntur à rerũ scriptoribus: aurumꝫ habentibus imperare maluerunt, quàm auri splendore

1

Arist. Polit. 7.

dore ſeſe uenditare. At poſtquam diuitiæ honori, uaſa cælata, argentum & aurum gloriæ apud illos eſſe cœperunt: ſimul etiam uera dignitas in ſuperbiam, libertas in licentiam uerſa eſt. Quod ne apud nos accidat, uirtute potius quàm auro decus quærendum eſt. Aetas quidem prima decentius hoc genere ornamentorum uteretur, tanquam uirtutis illicijs: uirilem uerò ætatem conſcientia benefactorum magis, quàm ullis fortunæ inſignibus, conuenit delectari. Si autem ſint qui recta conſcientia non contenti, his quaſi tibicinibus gaudere uelint: operæprecium tamen fuerit, ut hæc ſint non diuitiarum, nec generis, multo minus uitiorum, ſed uirtutis ſolius in magnis & arduis rebus perſpectæ ornamenta. Quemadmodum enim aurum ſuperat pondere & nobilitate metalla omnia, ita uirtutis inſignia ſplendore ſuo cuncta alia debẽt obſcurare. Quòd ſi inania ſunt ſymbola, quæ rebus non reſpondent ſuis: uirtute præditum eſſe oportet, qui ſymbolum illius gerat. Alioquin ſpectatorum oculis imponit, malo exemplo nocet Reipublicę, bonorum uoluntates offendit: qui non poſſunt non dolere, ornamenta ſua communia cum ijs fieri, qui ea nondum actionibus uirtutis meruerunt. Virtutis inquam, illius ſudore comparatæ, magnarum rerum adminiſtratione illuſtratæ, ocio infeſtæ, omni dedecori inimicę. Cum ea enim quoniam res nullæ de dignitate contendere debent, nefas ſit, etiam ornamenta illi propria cum alijs communicare ſeu naturæ ſeu fortunæ bonis. Qui autem eiuſmodi uirtute ornati erunt, eos ornatu decenti, alios excitandi cauſa, uti nihil impedit. Hæc de ornatu. Cibi & potus nimia uoratio indigna eſt homine: ſed in primis ijs, qui perſonam magiſtratus tuentur. Corpus uarijs morbis obnoxium reddit: ipſum hominem ad ſeria negotia ineptum, deinde petulantem & contumelioſum, & tanquam effrænem equum, à uia recta aberrantem. Vini quidem natura eſt illa, ut homines primùm alacriores reddat: deinde plus potum, ſpei maioris, ac præclarius de ſe ſentientes: pòſt largius ſumptum, cõfidentiores, ad quiduis & dicendum & faciẽdum promptiores, prorſuſq; impotes ſui. Quemadmodum ille in Comœdia bene potus exclamat: Vicit uinum, quod bibi. Fumi enim aſcendentes in caput, miſcent & perturbant omnia, hominemq; alieni prorſus iuris faciunt. Tunc arcana, fideiq; tuæ commiſſa effunduntur. Tunc multa dicuntur, quorum te, cum ad rationem redieris, pœniteat: quæ uel tibi noceant, uel alijs, non rarò etiam amicis, & toti prouinciæ. Tunc amici & inimici, uxoris & ſororis diſcrimen habetur nullum. Tunc lites uigent, uerbera, laceratio, mutilatio, cædes. Quid mirũ? amiſſa enim mente, ſubmerſa ratione, ſubmergũtur ſimul facultates omnes honeſtè agendi: emergit autem agmen illud cæcarum & indomitarum cupiditatum. Bruta animãtia ſuperant nos ſobrietate: quæ nihil prę-

2

ter necessitatem & naturæ præscriptionẽ bibere didicerint. Quo magis dolendum est, uitium hoc adeò in Christianis Rebuspub. inualuisse, ut nemo illi mederi possit. omnes ferè ebrietati dant operam, & principes, & populares, & sacri & profani homines. Sunt qui pridie quàm conuiuia ineant, medicinis ad aluum exonerandã utantur, ut in locum quasi uacuum plus cibi potionumq; ingerant. Vulgò etiã homines non pudet à mensa excernendi causa secedere, ac mox conuiuia repetere, seque denuò cibo potu ue replere. Non dissimiliter Rosomago animanti, quod (ut Matthias Miechouita, doctus medicus & astrologus in Sarmatia Europea tradit) cadauere reperto ingentis magnitudinis, intantùm uorat, ut extẽdatur & infletur tanquam tympanum: repertisq; arboribus duabus robustis, & sibi oppidò quàm uicinis, ui se medium inter eas infert: ac dum per angustias perrumpere conatur, uiolẽter comesa uiolẽtius per anum egerit: deinde mox ad cadauer recurrit, nec se uorando implere, ac per uices comesa extrudere desinit, donec totum cadauer absumat. Et facit quidem animal illud præter morem reliquorum animantum, quæ ad satietatem duntaxat cibo potuq; utantur, non ad crapulam. Sed ut in multis animantibus natura uirtutes certas expresit, ut homines ad *imitandum* excitaret: ita multis uitia sua indidit, quorum turpitudinis conspectu, animãtia ratione prædita ab imitando deterrerentur. Quid autem dissimile ab hoc animante faciunt homines, & qui appetitus excitandi causa, medicinis extrudunt ea quæ nouis cibis potibusq; locum occupabant: & qui nullo pudore secedendo, egerendo, aut etiam uomendo, redeunt mox ad crapulam? Neq; uerò solùm ipsi potant, sed alios quoque languentes ad bibendum prouocant, poculis cum eis certãt: ac pro sanitate alicuius bibentes, seipsos insanos faciunt. Non minus uerè quàm salsè Cyrus apud regem Astyagen narrat, se aliquando cognouisse in quodam conuiuio, uenena mixta fuisse poculis, & con-
» uiuis præbita. ac rationem dicti ab Astyage rogatus: Quòd, inquit,
» uidebam uos omnes qui bibebatis, neq; mentis fuisse neq; corporis
» compotes: & quæ pueri facere prohibemur, hæc uos faciebatis. om
» nes clamabatis simul: quisque de rebus suis magnificè loquebatur,
» nemine interim alium audiente. & cùm saltare uelletis, nemo ue-
» strûm non modò ad numerum saltare, sed ne erigi quidem poterat:
» eratisq; obliti omnino, & tu quòd rex esses, & alij quòd sibi impe-
» rares. Hanc causam ueneni poculis mixti adferebat Cyrus puer, certè nequaquam puerilem. Mutantur enim de nimio potu homines, non secus quàm Circeis poculis, in uarias formas: & quemadmodũ Virgilius canit, in uultus ac terga ferarum. Sed in his hominum moribus parum hæc proficiunt, quæcunq; dicuntur in hoc uitium. Itaq; præcidamus, quasi in desperatione, hunc locum, uerbis prophetæ

phetæ ita exclamantis: Væ qui manè cõsurgitis, ut sectemini ebrie- «
tatem: & potatis usq; ad uesperam, ut uino æstuetis. Cithara, tym «
panum, & tibia in conuiuijs uestris. Vsus Veneris homini Chri- 3
stiano extra torũ matrimonij sanctũ, in uniuersum prohibitus est. Quòd si uiarum obsessores, grassatores, ferendi non sunt in Rebus publicis: multo minus pudicitiæ hominum attentatores, & oppugnatores. Oppugnant omnes pudicitiam, qui oculis hominũ obijciunt fœdas picturas, qui aures obscœnis colloquijs replent, qui obtrudunt animis et cogitationibus hominum libros & cantilenas de peruersis amoribus, de furoribus, blanditijs, periurijs, & id genus insanis amatorum artibus. Quot enim inde animis hominum immittuntur & insident titillationes, quot ignes, quot furiæ? Hinc & rudis puerorum ætas discit, quod per annos assequi non posset: & alacris, adolescentum quasi calcaribus admotis excitatur: & senum, frigescentibus membris, segnior irritatur & exardescit. Hæc sunt quæ uiam aperiunt scortatoribus: hæc puellas & matronas reddunt obsequẽtes amatoribus: hinc stupra & adulteria, hinc abductio uirginum uiduarumq;, hinc cõiugia inuitis amicis & parentibus, hinc partus occulti & suppositicij: quorum alij strangulantur, alij publicis in locis exponuntur, nonnulli ueris hæredibus connumerantur. Hinc puellæ inelocabiles, hinc infinita domus dedecora: quæ cùm à uicinia tota sentiuntur, ipsi patrisfamiliâs uel occultantur, uel omnium postremò patefiunt. Si qua ad hunc modum educata traditur nuptui, quàm malè inter eam & maritum cõuenit? quàm sæpe & rixas exercent, & diuortium machinantur? Si quid inde nascitur, quot probris & conuicijs exponitur? nec mirum. Nemo enim sciens, nisi improbus, malã ducit: & ex mala matre, uix bona proles nasci potest. Et sunt qui prolis suę iam annis prouectę, prauos mores detestẽtur, insectentur, & si dijs placet, in uitam meliorem traducere satagunt. Rectè id quidem: sed nimium serò. Seminibus enim ueneno infectis, fieri non potest, quin culmi, trunci, rami, fruges que ex illis prodeuntes, sint noxiæ & mortiferæ. Tot instrumenta ac irritamenta impudicitiæ ac libidinis passim obijciuntur iuuentuti, quæ in oculos, aures, & animos eorum illabuntur, eos que occupant, ut instar prodigij sit, aliquem puram mentẽ, bonum honestumq; propositũ, rectos mores retinere posse. Picturæ & statuæ lasciuę, sermones & cantilenæ obscœnitatis plenæ, cõsuetudines cum fœdis & impuris hominibus, ioci, lepôres, facetiæ blandulæ, quam ætatem, quem sexum non contaminant? quem nõ ad omnis spurcitiei præcipitium inducunt? Hę sunt iucundę illecebræ, hæc fomenta dulcia, hæ suauitates delectabiles: quę sensus hominũ deliniunt, corpora inflammant, cogitationes occupant, mentes fascinant, uoluntatem imperio & ditioni suæ subiugant. Hæc

primis ab annis interdicenda erant pueritiæ & iuuentuti: hæc omni ætati, sexui, & ordini uitanda: hæc ex ciuitatibus & Rebuspub. unà cum authoribus exterminãda. Quod & Aristoteles in libris de Rep. faciendum censet: & Augustus Cęsar executus est, pulso in exilium Ouidio Sulmonensi, ob amatorium carmẽ. Quanto magis magistratum Christianũ oportet in eos seuerè animaduertere, qui fœdis picturis, carminibus inhonestis, gestibus, incestibus, & saltationibus ad impudicitiã & fœditatem compositis, alijsq; irritamentis, omnes ad Venerem instruunt, mores honestos corrumpũt, disciplinamq; ciuitatis quantum in ipsis est euertunt? Etenim his neglectis, ac impunè fieri permissis, frustra querimur de corruptis aliquorum moribus. Fieri enim non potest (quod Christus testatur) ut uuæ de spinis, aut de tribulis ficus colligantur. In multis ciuitatibus lupanaria sunt publicè constituta: ubi miseræ mulieres se omnibus peruulgarent, ac libidines omnium impunè & petulãter uersarentur. Quod etsi moribus ferè usitatum est, tamen uideat magistratus, num sit è Repub. talem locũ esse, ubi pudor prostituatur, ac ludibrio habeatur. Turpe id, & haud scio an idem sit, quod greges furum & turbas homicidarum publicè ferre. Ab eodem, illo præpotenti Deo, & homicidia, & furta, & scortationes prohibitæ sunt. Et tamen sunt, qui nescio lege an moribus, an uerò utroq;, statis tẽporibus census ab eis exigant, quę corpore faciant meretriciũ quæstum: imitãtes Vespasianũ illum, qui cùm ex lotio uectigal caperet, atq; ob id à filio reprehenderetur, pecuniam collectã naribus illius admouit: atq; ita respõdit, —*Lucri bonus est odor ex re Qualibet.*— Nisi quòd Vespasianus quæstum faciebat ex re nequaquam à Deo prohibita: à meretricibus uerò non secus exigitur census, quàm si à furibus aut homicidis exigeretur. Cœlestia quidem præcepta, omnibus qui libidinem frænare non possint, iubent ut uxorem ducãt, ac intra limites legitimi tori se cohibeant. De gregibus uerò meretricum publicè fouendis, tam nihil est in diuinis literis, quàm nihil de furum, homicidarum, aut aliorum scelestorum collegijs.

Aristot. Polit. 7.

CAPUT XXIII.

I. Tria pestifera uitia, ambitio, luxus & auaricia, inter se cõparantur. II. De superbia & gloriæ appetitione longissima tractatio additur. 1. Superbiæ definitio. 2. diuisio. 3. effectus. III. Remedia petuntur ab extenuatione rerum tum fluxarũ, ut sunt 1. corporis, 2. & fortunæ bona: 3. tum futilium, 4. tum cum uitio coniunctarum: 5. tum etiam animi. IIII. Ad finem quæstio excutitur, An & quatenus appetitio gloriæ in homine Christiano sit probanda.

ABSOLVIMVS tractatum de luxu ciborum, uestium, ac rei Venereæ. Dicamus de prodigalitate, & uitijs coniunctis. Qui enim homines licenter & libidinosè uiuũt, eos multa effundere, & ambitiosè largiri oportet. Quo

I

malo

malo laborantes, fieri non potest quin etiam in auariciam delabantur. Impelluntur enim, cupiditate inflammati, ad res alienas per fas & nefas rapiendas: ut ne sibi desit, quod profundant. Quod cùm in omnibus est detestãdum, tum in principibus & magistratibus, qui facultatem habent magnam aliena eripiendi. Præclarè hoc à uiris prudentibus animaduersum est, ambitionem & luxuriam, huicq; contrariam auaritiã, causas esse quę maximas Resp. labefactẽt. Ambitione rapiuntur homines ad honores: nec quicquã pensi habent quà sit eundum, sed quò. Luxuria est impudicitię & omnium lasciuiarum mater: imò & ipsius auaritiæ. Quę tandem & audaciam gignit, & rapacitatẽ, & infinita pecunię aucupia excogitat. Ex quibus magnum scelerum agmen erumpat necesse est. Quo magis uiris bonis, qui Rempub. plus quàm sua commoda ament, hæc uitia fugienda sunt. Non minus superbiam, quæ ambitionem ferè comitatur, uitandam esse, sanctissimus uir Paulus præcipit his uerbis: *Noli altum sapere, sed time. qui stat, uideat ne cadat.* Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit, ac in errorem conĵcit. Qui quidem error quantam suggerat materiam multis uitĵs, ostendendum est. Nam quid superbia est aliud, quàm (ut scripsit Augustinus) propriæ, eiusdem'que peruersæ excellentiæ amor? Quàm uerò amor iste in hominibus uarius sit, ac propè infinitus, haud facile est explicare. Alius enim excellere uult forma, alius uiribus corporis, alius doctrina, alius ingenĵ acumine. Est qui genus suum in primis admiretur, & stẽmata ostentet, & seriem amicorum longam numeret. Nonnulli excellentiam suam uenditant opibus, & copia rerum: ideo & ministrorum alunt cateruas, & lautitias mensæ adornant, & abacos instruunt, & supellectilem conquirunt uariam, & uestimenta pretiosa, & ædificia magno constantia, & res alias, quæ raræ essent uel materia, uel artificio. Sed non solum ex ĵs rebus quæ similitudinem quandam habent honesti, præstantia quæritur: sed exalĵs quoq; uel futilibus ac inanibus, uel in uitio positis. Incedendo, sedẽdo, stando, ludendo, caput demittendo, genua flectendo, componimus nos ad eum gestum, quo alios & delectemus, & antecellamus. Veste, calceo, pileo, gladio, cingulo, gemma nitente, lapillo insigni, & omni ornatu singulari & procul allato, admirandi esse uolumus. Fraudem, impostura m, potationem nimiam, crapulam, prostibula, flagitia Veneris, & omnem intemperantiam, laudi nobis ducimus. Vim alĵs inferre, aliena rapere, hominem occidere, sacra & profana uiolare, glorioſum putamus. Habent enim ista suos admiratores, & laudatores: qui facinora quauis indigna non secus commemorent, quàm insignes uictorias. Fit igitur, ut stultitia humana in illis omnibus affectet eminentiã. Iam tanta inest insolentia huic eminẽdi cupiditati, ut plericq; simulẽt sibi ineſſe,

II

« « « «

I

2

ineſſe, quod ipſis uel prorſus non inſit, uel minus multò inſit quàm uelint uideri: non tam ſcilicet ſoliciti quales ſint, quàm quales appa
3 reant. Quæ quidem eminendi affectatio eiuſmodi eſt ex omni genere, ut qui ſe imperio illius dedidit, eum omnibus honorum ſignificationibus inhiare oporteat: auram famæ popularis undiquaque aucupari, ad uulgi opinionem uiuere, actionesq; ſuas ad oſtẽtationem magis quàm ad ueritatem accommodare, imò & tacitis aliorũ cogitationibus ſeruire: & uerba, nutus, geſtusq; eorum, à quibus excipiantur, obſeruare. Surrexit, an ſedit: fuit nudo, an aperto capite: flexit genua, nec ne: locum quem dedit, dextrum, an ſiniſtrũ: toruo, an placido ocello aſpexit: uultu ſereno, an turbido extitit? Ex his enim tam leuibus ac futilibus, argumenta uel obſeruantiæ, uel contemptus colliguntur: ſæpeq; amicitiæ uel cõfirmantur, uel rumpuntur. Scilicet quales cauſæ, tales effectus. Qui uitio hoc infecti ſunt, illi ferè ſunt eiuſmodi, ut ſibi uideantur optimi, aut certè tales ab alijs uideri uelint. itaq; alios contemnunt, minoris ue æſtimant, quos ſibi impares eſſe ſciant: alijs inuident, quos uel pares uel ſuperiores exiſtiment. eorum quæ pulchra ſunt, deformant, honeſta maculant, laudanda uituperant: omniaq; in malã partem interpretando, uel notis turpitudinis palàm inurunt, uel ſi minus queãt in ſiniſtram ſuſpicionem adducunt. Si quis ſtudio aduerſandi contradicat, factam ſibi iniuriam arbitrantur. Hinc iræ, contentiones, iniuriæ: quas impotenter ac ſummo iure perſequi neceſſe habent,
III ne uel parum fortes, uel nimium contempti reputentur. Cùm igitur ſuperbiæ uitium tot ſecum malorum adferat monſtra, cumq; ex ignoratione noſtri potiſsimum naſcatur & creſcat, omnis qui illud ex corde ſuo uelit extirpatũ, curet quàm maximè, ut, quod Pythius
1 Apollo præcepiſſe fertur, NOSCAT SEIPSVM. Omnes naſcimur eodem modo, ijſdem ex principijs: omnes referimus ortum noſtri ad eoſdem generis humani primos parentes: omnes gloriamur patre uno cœleſti, quemadmodum & Poeta ethnicus ſenſit, cũ dixit,

Deniq; cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi,
Omnibus ille idem pater eſt. —

Imbecillitas naturæ, educatio, uitæ curſus, progreſſus ætatũ, mors denique ipſa, pares nos facit omnes. Quiſque igitur cognoſcat originem & naturam ſuam omnẽ, quàm fragilis ſit, quàm morbis multis, calamitatibus, & morti ipſi ſubiecta. facultates item acuires omnes & animi & corporis, quàm in muneribus ſuis ſint tardæ, ſtupidæ, uariæ, inter ſe pugnantes, parumq; diuturnæ. Vires corporis ætatis progreſſu acciduntur, & ſunt communes cum pecudibus: & quantumuis increſcant, permultarum beluarum uiribus pares eſſe
2 non poſſunt. Conſideret & ea unuſquiſq;, quæ extrà poſita ſunt, ut opes, potentiam: quæ & ipſa incerta ſunt, caduca, inſtabilia. Sæpe exiguo

exiguo momẽto pereunt, quę longis temporũ interuallis & laboribus maximis parta erant, & acquisita. Huc adde generis nobilitatẽ, hoc est stemmata & uirtutes maiorum: quę nisi ab hæredibus excolantur, summo illis sunt dedecori, tanquã ignauis & degeneribus. Videmus etiam quorundam nobilitatẽ egestate, possessionum'ue angustia uel interire, uel locum suum non retinere: quemadmodũ caduca omnia morbo & uetustate pereunt, nec dignitatem retinẽt pristinam. Quod argumento est, nobilitatem non prorsus generi, sed etiam possessionum amplitudini tribui. Sed utut tribuatur generi, quid tandem illa aliud est, ut præclarè inquit Ludouicus Vi- «
ues, quàm nascendi sors & opinio: sæpe quidem latrocinijs quęsita, «
non uirtute? Quòd si à uirtute nata sit, stultum tamẽ est gloriari te parentem habuisse bonum, cùm sis ipse malus, ac turpitudine tua dedecores generis pulchritudinem. Sin à bonis prognatus, similẽ te parentum præbeas, actionibusq; uirtutis te uerè nobilem declares, ipsa uirtus nec tuis nec patrijs actis te superbire sinet: aut alios, qui impares tibi essent, despicere. Nam ignobilitatem contemnere quid aliud est, quàm Deum nascendi authorẽ tacitè reprehendere, «
inquit idem ille Viues, uir doctissimus. Eódem pertinent honores & gloria, quæ & indignissimis sæpe hominibus contingunt: & nõ raro fauore magis, aut etiam temeritate principis, quàm certa rationis expensione tribuuntur: & certè sunt in aliorum existimatione de nobis ac arbitrio magis posita, quàm in uirtute nostra: quemadmodum Aristoteles dixit, honorẽ nõ in honorato esse, sed in honorante. Itaq; nonnunquam parua rumoris aura ita commutantur, ut qui in honore & gloria erant, inglorij sint & inhonorati. Causa igitur non est, cur res, quas dixi, tanti putemus, ut animos nobis faciant. De pileo, lapillo, gestu, incessu, & id genus nugis qui superbiunt, uanitatem suam produnt: qui uerò de sceleratè factis, illi im- 4
probitatem & extremam nequitiam testantur: non contenti scilicet deliquisse, nisi duplici scelere se coinquinent. Quid igitur est, in 5
quo excellentia sit appetenda? quid nisi uirtus: quæ solidior sit, & possessori gloriam & dignitatem adferat? Sed uirtus in homine imperfecta est, neque ulli homini uniuersa tributa. Quis clementia, quis fortitudine, quis temperantia tanta præditus est, ut non quandoq; de uia deflectat? Deinde quis unus uirtutibus uniuersis ex æquo gaudet? Celebratur Hercules ob fortitudinẽ singularẽ: sed eũ à rebus alienis parum abstinuisse, arator ille queritur, cuius boues abstulerat. Clementia C. Cæsaris in cœlum fertur: sed idem caluus mœchus à suo milite prædicatur. Multi humanitatem & iustitiam studiosè colũt: sed ijdẽ affectionibus suis per omnia modum imponere non possunt. Nonnulli liberalitate & magnificentia clari sunt, in quibus fortem & magnum animum desideres. Sunt qui ex ea

parte iusti uidentur, quatenus iniuriam inferant nemini: sed illi ñdē non propulsant, cum possint, illatam ab alijs: ducti nimirum uel pigritia, uel metu, uel alia causa. Sed ne plura: Nemo post natos homines uisus est, in quo uirtutes omnes ex æquo resplenderent, imò in quo aliqua una perfecta cerneretur: cùm quidem nulla perfectè haberi possit, quin aliæ unà cōmistæ sint, & complicitæ. Paulus quidem apostolus, cùm de facultatibus, quibus ministros ecclesiæ prędotes esse oporteat, disserit, affirmat, uoluisse Deum hanc uarietatem extare in suo populo, ut alij alijs dotibus præeminerent, atq; ista eorum uarietas ad totius corporis harmoniam ac decorum conduceret: id'que exemplo membrorum corporis humani illustrat, quorum singula habent suas functiones. Quid est igitur, ô bone, in quo te alicui prędotiori præferendum, atq; hoc nomine illum contemnendum putes? Etenim si quid præ alijs inesse tibi præ te feras, subterfugere non potes, quin te alij uicissim contēnant ob eas uirtutes quibus te superant, aut quibus prædoti sunt, tu uerò cares. fiatq; similiter, ut si pedes contēnerent oculos, ambulandi facultate destitutos: & oculi manus, uidere non ualentes: & deinceps unumquodlibet membrū despectui haberet aliud, quod sit eius muneris expers: unde tandem existeret totius corporis solutio, aut certè infirma ualetudo: quod scilicet firmum & robustum esse nequeat, mēbris dissidentibus. Quid quòd multorum dotes latent: illæ præsertim, quæ in animo positę, unà cū ipso animo ab hominum conspectu remotę sunt? ut non immeritò Paulus ab inani gloria ad demissionem & modestiam nos reuocās, iubeat, ut quisq; alium existimet se superiorem. Iam si nihil est contemptione dignum, præter delictum: tamen cum nos quoque ipsi exortes non simus omnis culpæ, est causa cur alios commiseremur, non contemnamus: nisi fortè nos quoq; contemni uolumus, ob ea quæ in nobis sunt putida, turpia, detestanda. Ipse Paulus legem Christi non aliter ait impleri posse, quàm si inuicem alij aliorum onera portemus. Et Seruator noster, exemplo sui uult, ut aliorum infirmitates toleremus, eisq;, quoad licet, medicinā faciamus: neque sanis opus esse medico, sed ægrotantibus. Quid multa? Profectò hominis est stulti, & se parum cognoscentis, elatū erga alios gerere animum: quo, tanquā fenestra, aperto, se illis inuicem despiciendū ac irridendum præbeat: cùm quidē nulla uirtute alios antecellamus, quin eadem alij nos antecellant. Contrà prudētis esse iudicatur, modestè de se sentire: de alijs uerò illam cogitationem habere, ut etiam si non prorsus uideantur uacare culpa, tamen eos quoque suis dotibus instructos esse, minoribus fortasse illis, sed quæ in Ecclesia ac Republica sint magno usui. Verùm sint tuæ istæ facultates quantumuis excellentes, quid tandem earum habes, quod non accepisti? Si accepisti, cur gloriaris, quasi non

Philip. 2.
August. in 83. q. q. 71.
Gal. 6.
Matth. 9.

non acceperis? Nihil datum est tibi à Deo ut efferaris animo, alios' que contemnas, aut paruiducas, imò tibi præcipitur, ne insolenter te geras: sed qui stare tibi uideris, uideas ne in profundum malorũ ruas: utq; humiles te sub potenti manu Dei, qui deponat potentes de sedibus, & exaltet humiles. Quid tu, inquiet aliquis, omnes' ne IIII uituperandos putes, qui excellentiam ac principatũ appetant qualibet in re? Minimè uerò: sed & res considerandas puto, in quibus excellendi appetitio uersetur: & ipsam illam appetitionem consilio & recta ratione gubernandam statuo. Neque enim qui iustè fortiter, liberaliter factis, intelligentia item rerum, ac uirtutibus alijs cæteros anteire studeat, damnandus est: sed qui uel in rebus, quas suprà memorauimus, fluxis, leuibus, ac uanitatem præ se ferẽtibus, aut etiam cum uitio coniunctis, laudem expetat: uel cùm uirtutes ipsas colat, non propter ipsas id faciat, sed propter captanda diuersa hominum studia, aut etiam duntaxat propter laudem consequendam. Cum tali quidem appetitione coniungi solet inflatio, ac tumor animi, &, quod suprà diximus, aliorum contemptus, qui rationem superbiæ complet: ac sine eo superbia naturam suam uix retinet. quod in definitione ab Augustino tradita omissum est: sed adijci debet, ut sit hæc numeris omnibus absoluta definitio. Superbia est, peruersa excellẽdi qualibet in re cupiditas, cum tumore animi, ac studio contemnendi alios coniuncta. Qui uerò rebus ipsis studebit magis quàm hominũ opinioni, in idq; magis incumbet qualis sit, quàm qualis uideatur: hunc quidem rectam uirtutis uiam insistentem, nec alienæ, sed suæ actionis præmia ambientem, & principatum & gloriam appetere nihil prohibebit. Hoc enim à Paulo illo, quem ego authorem uehemẽter sequor, proditum est, cùm ita scripsit: Opus autem suum probet unusquisq; & tunc in seipso tã- « tùm gloriam habebit, & non in alio. Quid enim gloria est, quàm, « ut M. Cicero dicit, consentiens laus bonorum, incorrupta uox bene iudicantium de excellente uirtute? Non igitur speciem uirtutis « existere oportet in ijs qui gloriã appetant: sed uirtutem ipsam. Cui primùm conscientia nostra testimonium tribuat, nos non res alienas, nec operum alienorũ præmia ambire: sed & onera nostra portare, & nostris actionibus decus quærere uelle. Deinde si comprobatio accedat bonorum uirorum, ac iudicium incorruptum rectè sentientium, ut hoc publicæ uocis testimonio & nos constantiores simus ad uirtutem colendã, & alij exemplo nostro excitentur: hacq; ueluti luce coram hominibus lucente, glorificetur Pater noster ille qui in cœlis est: minimè est contemnendum. Verumenimuerò hominem uera uirtute præditum, eo animo esse oportet, ut etiam si nulla gloria subsequatur, imò etiam si ob uirtutem & inuisus sit, & malo afficiatur: tamen ne unquam ab ea deficiat, in solaq; rectè facti

conſciẽtia (hominibus uel inuidẽtibus, uel negligẽtibus ipſius uirtutẽ) conquieſcat. Quæ profectò laus eſt apud Deum, iudicẽ illum æquiſsimum, & remuneratorem benigniſsimũ, maxima. Quemad
2. Cor. 1. modum ille idem Paulus teſtatur, inquiens: Gloria noſtra hæc eſt,
» teſtimoniũ conſcientiæ noſtrę. Etenim ſi quis non contentus conſcientiæ ſuæ teſtimonio, nihil agere uelit, niſi ſpectetur, & in ore habeatur ab hominibus, uideat ne gloriam hominum quærens, eam quæ à Deo eſt amittat. Certè enim precium iam ſuum accepiſſe putandus erit, uentoſæ gloriæ inſeruiendo. Neque eſt quod ſperet ſe prẽmium cœleſtis illius mercedis accepturũ, Chriſto ipſo authore,
» qui ita dicit: Cùm elemoſynam prẽſtatis, cùm Deum oratis, cùm ie-
» iunatis, ne id faciatis corã hominibus, quò ſpectemini ab illis. alio-
» qui hoc ipſum merces erit ueſtro operi: præmium quidem apud
» patrem ueſtrum qui in cœlis eſt, non habebitis. Non igitur operemur unico ſtudio hominibus placendi: ſed quia, quod facimus, & rectum eſt, & à Deo præceptum. operaq́ noſtra referamus non ad inanem iactantiam, quod uanitatis eſt: nec ad quæſtum, quod eſt cauponantium: ſed uel ad hominũ commoditatem, uel ad Dei laudem, cui certè acceptum referri oportet omne id quod in nobis boni eſt. Hoc uerò cõſtituto, ſi laus & teſtimonium proborum & prudentum hominũ accedat operi noſtro, non eſt contemnendũ: modò id fiat ad illum finem, quem Chriſtus ipſe oſtendit, VT glorificetur pater cœleſtis, bonorũ omnium author: utq́ quaſi luce noſtra
Rom. 14. et 12. alij accendantur ad bona opera. Quod & Paulus uult, dum iubet,
» ut prouidè paremus honeſta in conſpectu omnium hominũ. Nam
» negligere (inquit Orator) quid de ſe quiſq́ ſentiat, non ſolùm arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. Paulus quoq́ uult epiſcopũ bonum habere teſtimonium, etiam ab ijs qui foris ſunt. quod quid
Phil. 4. aliud eſt, quàm gloria? Hortatur etiam omnes, ut ea cogitent quæ uirtutis ſunt, & quę laudis. Nobis enim (inquit Auguſtinus) neceſſaria eſt uita noſtra: alijs uerò fama noſtra. fama uerò quorſum referenda eſt, quàm ad laudẽ? Hactenus igitur gloriæ appetitus probandus nobis uidetur, ut uirtute nitatur, eamq́ ſequatur tanquam umbra corpus. Hunc qui improbet, quid aliud cupit, quàm ut ne tales uideamur, quales ſimus? deinde ut, qui uident rectè facta noſtra, uel nihil iudicent de illis, uel peruerſè iudicent? Rerum quidẽ
» naturam hoc peruertere eſſet, non rectè præcipere. Gloria & ho-
» nor, inquit Paulus, omni operanti bonum. Quæ igitur gloria ab opere bono, atq́ adeò à uirtute ipſa proficiſcatur, ea nõ improbatur: Ergo neq́ eius cupiditas improbanda. Quæ aliunde, & ipſa flagitioſa eſt, & eius appetitio criminoſa. Nec enim rei malę deſideratio bona eſſe poteſt, ſed & pernicioſa, & uituperatione digna. Hæc de ſuperbia, & gloriæ cupiditate.

Ex

CAPVT XXIIII.

1. *De uerborum uanitate, in appellando, assentando, & formales epistolas scribendo.* 2. *De peruersitate in temerè iurando.* 3. *& in mendacijs colaphorepellendis.* 4. *De orationibus funebribus.*

XStultitia etiam seu ambitionis seu superbiæ, existit illa cupiditas blandimentorum in appellationibus & colloquijs, dum homines honorati sine uerbis quasi solennibus cõpellari nolunt: & quemadmodum honore & copia rerum cæteris antecellunt, ita plurali appellatiõe & uerbis sesquipedalibus in primis gaudẽt. Sed quid de uiris honoratis loquor? Vix est aliquis uel parium, uel inferiorum nobis, qui æquis auribus se simpliciter appellari uelit. Vsum pronominis TV prorsus amisimus. Ad unum ita oratio accommodanda est, quasi cum multis loquendum sit. *Alij mutatione numeri contenti non sunt*, nisi & persona *mutetur. itaq;* cum appellandi sunt, totus sermo fingendus est quasi cum tertia, uel de tertia persona loquamur. Hinc illa turba magnificentiarum, spectabilitatum, illustritatum, & id genus epithetorum. Ridiculus sanè mos, nec nisi ex ignorantia ueri honoris profectus. Alexander Seuerus nõ aliter ad se epistolas, quàm ad priuatũ, scribi uoluit: adhibito tantùm titulo Imperatoris. Salutabatur etiã minimè ambitiosè, his quidem uerbis, Aue Alexander. Si quis è salutantibus blandius eum alloquutus esset, quasi adulator ridebatur. Hodie, quia & res, & iudicium de rebus magna ex parte amisimus, ineptulas quasq; uenerabilitates & honorabilitates captamus: indigneq; ferimus, si quis planè & simpliciter nos alloquatur. iucũdius nobis est auditu, cùm quis alloquitur Celsitudinem, excellentiam, præstantiam, magnificentiam, reuerentiam, maiestatem, sanctitatem, nobilitatem, generositatem, egregietatem, & reuerendissimã dominationẽ nostram. Detersa est magna ex parte barbaria seculi huius nostri, & uerborum & sententiarum. Facilè & hic mos detergeretur, nisi plericq; quibus cum agimus, horum epithetõn omissione contumelia se affici existimarent. Sed illi uerba nõ rebus ipsis, sed suis opinionibus, quas in fortunæ nimia indulgentia imbiberunt, putãt seruire oportere. Ad blandas & assentatorias appellationes accedit mos ille, sermonẽ omnem dignationibus refercendi: nos & nostra seruitia (sic enim loquimur) cuilibet commendandi: ac sine ullo discrimine ad unumquemq; operas nostras deferendi. Cum his coniuncti sunt illi gestus, ad simulationem & dissimulationem compositi, gesticulatio, capitis denudatio, honoris ostentatio in eos quos uel contemnas, uel odio habeas: omnia simijs magis apta quàm hominibus, quorum externã speciem minimè decet ab interna animi sententia discrepare. Hi mores ex ineptijs aulicis

magna ex parte profecti sunt, uiris indigni. Nam & significationes omnes ueræ beneuolentię tollunt, & discrimen bene ac malè nobis cupientium confundunt, & insulsam quandam uanitatem uitæ hominum inferunt. Tales auliciſmi effecerunt, ut uix aliquis ueritatẽ, de rebus sibi uel noxijs uel commodis, ab alio amicè dici audiat. in conuicijs quidem ab irato audire potest: quod signum est, alium alij minimè amicum esse. Sed & titulorum illa epitheta, & hæ fictæ seruitiorum commendationes, & omnes assentationes, à turgidis hominibus, & omnem auram popularem captantibus excogitatæ
2 sunt. Illud singulari uanitate & peruersitate non uacat, cùm uulgus hominũ nihil loqui nouit, nisi tertio cuicę uerbo propemodũ addito iureiurando: quod tamen impunè fit omnibus. Et qui sine iureiurando nihil loqui didicerunt, ij si mendacij insimulentur, supra modum offenduntur, quamuis mendacij sint rei. Quasi uerò, qui uolens sciensq; mentitur, uel tacentibus ignarisue hominibus, non mendacij à conscientia suaipsius conuincatur: cuius morsus uiris bonis grauiores esse debent, quàm ullæ mẽdaciorum obiecta-
3 tiones. Sed his offensionibus non efficacius remediũ fuerit, quàm si uoluntate & consuetudine te assuefeceris ueritati dicendæ: nullum' que uitium turpius duxeris mendacio. Pugnat enim & contra naturam, res omnes, ut cuiusq; conditio fert, producentem: & contra Deum ipsum, ueritatis patrem, quemadmodum diabolus mendacij est pater. Atq; haud scio an intemperantes, fures, uiolatores hominum, adeò officiant bonis moribus, atq; mendaces: qui & in uita & in sermone uanitatem soleant adhibere: cum quibus nulla nec in rebus cõtrahendis, nec in sermonibus conferendis possit esse communicatio: qui alij sint reipsa, quàm sese ostentent: qui aliud loquantur, quàm sentiant: qui in id studeant, ut fallant eos cum quibus agunt. Profectò qui ad eum modum affecti sunt, fieri non potest quin leuissimo momento peierent: & qui ut fallant alios, animo suo imperare possunt, ij ut iureiurando confirment quod dixerunt, facile exorari poterunt. Danda igitur unicuiq; opera est, ut in uita ac moribus suis, in sermone ac rebus agendis, nihil ficti insit, nihil uani, nihil fucati, nihil quod ueritatis fines excedat, nihil quod spectatores auditoresq; fallat ac decipiat. Itaq; si mendaciunculis fueris aspersus, hoc si merito tuo accidat, teipsum accusato: nec in eum qui te mẽdacij insimulauerit, sed in teipsum qui falsum dixeris,
3 culpam conferto. Omnino absurdum est, cuius os & lingua à mẽdacio dicendo non abhorret, eius aures à uerbo mendacij audiẽdo abhorrere. M. Cicero in oratione pro Cœlio, apud iudices populi Romani dixit, se non moueri ijs accusationibus, quę perspicuè falsæ essent. Et ad C. Antonium imperatorem scripsit, se nõ uelle eo uerbo in ullum uti, quod ille in ipsum falsò conferret. Et ad Appium

Pul-

Pulchrũ imperatorem, eum mẽdacijs leuiſsimorum hominum eſſe oneratum. Non abhorrebant aures Romanæ à uerbis falſi & mendacij. Volebant uerba conformia eſſe rebus: cũ quibus ſi illa conuenirent, uera: ſin minus, falſa eſſe dicebant. Hodie uerò, & qui falſum dicunt, & qui aliorum mendacijs ſcientes ac prudentes aures accommodant, adeò uerbo mendacij offenduntur, ut ſi mortiferũ uulnus acciperent: quod ſi mox non ulciſcantur, de fama & exiſtimatione ſua actum putent. Niſi fortè qui rem aliter, quàm narrata eſt, habere ſe dicat, honorem auribus præfatus eſt. Hac enim prę fatione animi eorum, quibus res aliter ſe habere, quàm ipſi dixiſſent, exponitur, ab ira auertuntur. Interea nugas comminiſcũtur de diſcrimine non ueritatis & falſitatis obiectæ: & de eo qui prior, quique poſterior id cõuicij dixerit: & de bonitate diſputatur, uter melior: utroque rixantium, ore ſuo impudenter ſe efferente, Melior ſum te, Imò ego te. Ad ferrum deinde prouocatur. Sed mox ira incrudeſcit: qua uel prætextus ignauiæ inueniatur, uel militari glorię ſatisfiat. Indignus es, qui manum mecum cõſeras. Imò ego dignior te. Tot thraſoniſmi ab iſtis proferuntur, cùm de imaginibus uetuſtis, tum de nugis alijs ineptiſsimis, ut & aures patientiſsimas eſſe oporteat, quę illis audiẽdis ſeſe admoueant: & hominẽ ſolutiſsimũ, qui confutandis illis ac diluendis animum adijciat. Diſputant de ſtemmatis nobilitatis, qui ſæpe à re longiſsimè abſunt. Diſcrimen ſtatuunt inter falſitatem, & non ueritatem: quaſi non res attẽdenda ſit, ſed ſonus aerem uerberans. Certè & qui falſum dicit, & qui non uerum, rem aliter, quam ſe habeat, uerbis exponit. Sed quid hoc ad iſtos, qui ſyllabas tantùm uocum numerant, res non expendunt? Quòd uerò ex conuicio prius iacto præſtantiam iactant uel animi, uel nobilitatis ueræ (ſic enim loquuntur) dupliciter peccant: dum & de crimine admiſſo gloriantur, & in quo magis deliquerũt, in eo celebritatem maiorem quærunt. An qui laceſsiuit, clarius nomen ſibi fecit, quàm qui laceſsitus eſt? an qui prior in maleficio deprehẽditur, magis nobilitabitur, cẽ qui poſterius? Sed hæc, ut dixi, nihil ad iſtos uiros magnificos, qui cenſuras & ueluti regulas habent alias uel domi ſuę natas, uel in peregrinationib. militię ergò ſuſceptis, uel in exercitationibus eiuſdẽ generis quæſitas, & ſingulari cum laude inuentas. quas tanti faciunt, ut & philoſophi, & iuriſperiti, & omnes ratione utentes eis cedere cogantur. Nos ergo omiſſis iſtis, ad propoſitum redeamus. Nihil profectò humanę uitę accõmodatius eſt, quàm ut ueritati ſemper ſtudeas, & in ſermone, & in moribus, & in omni uita. Si merito tuo ſeu mendax, ſeu non uerus audis, in te culpam conferto: ſin immeritò, purgato te uel teſtibus, uel alia ratione. nam id quidem rectius fuerit, quàm colaphum infligere, mendacium immerito tuo tibi obijcienti. Quidam inſimulatus

mulatus furti, falsò id in se conferri dixit: at qui dicebat contrà, co-
laphum illi incussit. Res ad arbitros delata, ita inter eos composita
est, ut uterque ab altero erratorum suorum ueniam precarentur: al-
ter, quòd & furti crimen & pugnum impegerit: alter, quòd quasi
conuicium dixerit. Ridiculè hæc quidem omnia. Quasi uerò uel
iste labem furti eluerit, uerbum mendacij iactando: uel ille falsi cri-
men effugerit, alapam incutiendo. Cur uerò non potius res agitur
iure & æquitate? cur & à mendacij & à furti crimine, nõ potius pur-
gat se quisque uel testibus, uel alijs legitimis rationibus? Non de-
bes existimare te à crimine, cuius insimulatus es, liberum fore, uel si
eum qui te insimulauit occideris. Sunt legitimæ rationes, quibus ho
mines de criminibus obiectis purgare se debent. His quãdiu usus
non fueris, tamdiu & culpæ criminisq; in te collati reus, & cõuicijs
hominum expositus uideberis. Horum igitur rationes aliæ usur-
pandæ sunt: & mos ille ad singula ferè uerba iurandi, è medio tol-
4 lendus. Mos item eorum, qui funebres orationes habendo, ope-
ram omnem ponant in uirtutibus mortui laudandis, nullam in ui-
tijs uituperandis, haud scio an sit improbandus. Ego quidem ita e-
xistimo (sic enim olim scripsimus ad amicum quendam) in hoc ge-
nere orationum non tantùm ea proponenda esse auditoribus, quæ
imitanda sint: sed ea etiam, quæ uitanda. Virtutis enim est hoc to-
tum, uitiosa fugere, præclara autem aliorum facta imitando conse-
ctari. Id' que in primis eorum, qui in locum mortuorum succedant,
interest: ea cognouisse, quæ in illis qui ante se erant, desiderent bo-
ni & docti uiri: quæ damnent, quæ laudent. Profectò enim cùm
laudari uideant omnia in illis, nihil uituperari, putant suos etiã mo-
res, sua facta omnia, quantumuis dãnanda, laudari oportere. Quam
illorum opinionem quæ tandem mala consequantur, nõ est necesse
commemorare. Illud uerò minimè probandum est, ad scriben-
dam huiusmodi orationem, exemplũ à panegyricis sumendum esse.
Etenim hi scribuntur uiuis & præsentibus, de quorum ingenijs exi-
stimamus bene: ut habeant uel regulam ac normam, uel tanquam
calcaria, extimulantia ad uirtutem. Mortuos autem si tantummo-
do laudes, nec ea attingas quæ uituperanda sint, quid facis aliud,
quàm spem inijcis uiuis, ut res suas, quãuis laude indignas, putent
ob diuitias & facultates in cœlum efferri posse? Hac autem ratione
& diuites ac locupletes segniores redduntur, ad illam uirtuti indu-
striæ ac labori debitam laudem: & hominũ animi offensiores fiunt,
dum in rebus permultis uituperabilibus laudem omnia uident oc-
cupasse: & ipsi literati unà cum literis in suspicionem ueniunt leui-
tatis & adulationis: amissaq; semel opinione sententiæ liberè & ue-
rè dicendæ, prodesse non possunt, etiam cum uelint, generi homi-
num doctrina sua. Et hæc de sermone.

Adda-

CAPVT XXV.

De singularibus certaminibus.

DDAMVS de singularibus certaminibus, quibus cędes quamlibet ob causam quærãtur: quæ & ipsa in Repub. legibus cõstituta, prohibẽda sunt: certè ab hominibus ratione parum utentibus, & à Christo prorsus alienis, excogitata uidentur. Quid enim est quod ratio humana dijudicare, citra sanguinis effusionem, nõ possit? Omnes ambiguæ res uel testibus uel iureiurando discernuntur: ex his & ratio humana, & sacra oracula, iudiciorũ exitum pendere uolunt. Causaris tibi factam ab aliquo iniuriam, eamq; sine duello abs te repelli nõ posse. Quin opem potius magistratus, cui & iudicia & gladius datus est, imploras? Bella inter nationes, non ijsdem legibus uiuentes, tunc suscipiuntur, cùm res repetitæ non redduntur. Tu uerò, qui in eadem Republica cum eo qui iniuriam intulit uiuis, ijsdem legibus cum eo subes, leges posthabẽdas existimas gladijs? Et sunt homines præferoces, qui parum fortes sibi uidentur, nisi iniurias pertinacissimè insectẽtur: aut si id nequeant, ad singulare certamen, eum qui læsisset, prouocent: generosi & excelsi animi esse putantes, existimationem suã iniurijs ulciscendis tueri. Sed hæc sunt plena uanitatis, fastus, ambitionis. Omnino uera animi magnitudo, in contemnendis magis quàm persequendis iniurijs consistit: ac in placabilitate potius, q̃ in ferocitate. Quod non tantùm à Christo, & eius Apostolis est traditum, cùm nos iubent benedicere maledicentibus, benefacere malefacientibus, diligere inimicos: sed etiam ab ipsis philosophis, qui uiro magnanimo informando, uolunt eum ut ab iniurijs faciendis esse remotum, ita à persequendis abhorrentem: & ut pro re magna & iusta pericula capitis adeuntem, ita pro leui & iniusta eadem fugientem. contrà quam uulgò fiat à multis, qui gloriolæ causa pro rebus leuiculis occasiones aucupentur periculorum: ac pro uerbulo nullius momenti, ferro decernere contendant. Sed hi tandem iusto Dei iudicio uel uulnera ab ijs accipiunt, quibus cum congressi sunt: uel uitam amittunt, quam alijs eripere conabãtur: uel omnem existimationem deinceps perdunt, quam ineptis orationibus putabant colligendam. Cùm igitur non tantum Christiana religio, quæ profectò sola maximi esse debet apud hominem Christianum, sed & philosophorum dogmata magnanimitatem statuant in contemnendis iniurijs: quis est, qui stultæ multitudinis opiniones contrarias pluris faciet? An plus tribuemus hominibus sine uirtute, sine iudicio? qui iniurijs alios afficere, imbellibus gladios intentare, homines ob leues causas & res exiguas interficere didicerunt? Horum facta & totam uitam, cùm omnium uituperatione dignam esse

Arist. Ethic. 4.

censeamus, cur iudicium eorum de fortitudine & uera magnanimitate plurimi facimus? Atqui cauendum nobis est, ne dum malorum peruersitati plus seruiendum putamus, eorum similes efficiamur: quibus displicere, opinionique eorum, ac potius errori mentis & uerbis & factis contraire, solidā gloriā consectari fuerit. Velim autem mihi respondeant, qui ultionem, fortitudinis ac magnanimitatis nomine ornare audent, quid de contemptione iniuriarum statuendum putent? Etenim si ferina ista rabies tanti fit, ut ei uirtutis nomē imponatur: quid igitur est lenitas, quid placabilitas, quid animi remissio? Omnino si qui ulciscendo se benefacit, malefaciat oportet qui negligit ulcisci: cuius contrarium ostendimus nō tantùm ex Christianis institutis, sed etiam ex philosophorum decretis. Iam quod uirtutis non est, quî fortitudinis esse potest? Virtutis porro quî erit, quod à mediocritatis illa regula rectæ rationis remotum est? Cùm igitur, qui carnificina exercenda iniurias ultum eunt, à mediocritate iure ac legibus præscripta discesserunt: à uirtute etiam, atque adeò fortitudine ipsa alienos esse fatendum est. Et tamen non tantum qui iniuria extimulati sunt, affectui suo indulgendum putant, se ulciscendo: sed alij quoque idipsum & sentiunt, & loquuntur, ad quos nulla iniuria peruenit: qui hominibus iam incitatis & furentibus, addunt pondus iudicij & authoritatis suæ. Accedunt & magni ac pij, si dijs placet, theologi, qui eos ipsos ad effundendum proximi sanguinem ruentes, sacra cœna communicandos putant. O religionem irreligiosissimam. Nemo utitur hac cœna dignè, nisi qui cum proximo redijt in gratiam: qui non tantùm amicos, sed & inimicos amat: qui eos pascit esurientes, potat sitientes. Tu symbolum hoc Christianæ charitatis usurpas tunc, cùm appetis sanguinem proximi, cùm iugulum eius petis, cùm eum proculcatum & perditum optas? Quid igitur, an non putas te pro Christo diabolum, homicidarum omnium parentem, in cor tuum (quod de Iuda in re simili proditū est) sumpturum? Legibus quidem pontificijs singularia certamina interdicta esse constat: nec satis scio, an aliquibus legibus probentur. Et tamen locum illis esse in bellis legitimis, non est dubium: ubi cùm ius sit totis exercitibus inter se confligere, licebit etiam aliquibus singulariter pugnare. Tunc enim res est hostibus, non ciuibus, nec cōmilitonibus inter se. Ad hunc modū, ut est in historia Romana, Horatij tres cū tribus Curiatijs conflixerunt: & Manlius cum Gallo. In sacra etiam historia de Dauide Hebræo & Goliath Philistæo refertur, eos exercitibus inspectantibus ea lege depugnasse, ut ex alterutrius uictoria, toti exercitui uictoria parta fuisset. Neque indignum esset, ut hodie principes, amplas ditiones sitientes, contentiones suas de regnis & prouincijs monomachia finirent: atque hoc modo uictor rerum potiretur,

2.q.5.ca. Monomachiam.

retur, potius quàm innumeris hominum cædibus, calamitatibusq; infinitis regna quærantur. Extra uero tempus belli, legibus pugnandum est, non armis. Nisi fortè accidat tempus, ut res dirimi nullo modo possit sine armorum præsidio: ut cum testes iurati in iudicio contraria affirmant. Sed nos in præsentia disputamus de ijs, qui spretis legibus, uel solius gloriæ causa, uel dirimendæ controuersiæ gratia, ad arma recurrendum putant, alios que ad singulare certamen prouocant. Qui utcunque iustam se habere causam existimant: tamen quia legibus ualere iussis, hoc est, Dei & naturæ ordinatione contempta, Marti se committunt, experiri coguntur Dei iusticiam, eos punientis. Qui enim Dei ordinationi resistit, damnationem sibi acquirit, authore Paulo. Neque uerò, qui prouocatur, crimine uacat: si non ad alia remedia, hoc est ad leges communes confugiat, à quibus petat opem, & dijudicationem controuersiæ ancipitis. Quòd si prouocatus, necessitate cogitur se defendere, excusationem habere potest lege naturæ, uim ui repellere permittente. Iam si de uita & sanguine temerè pugnantes improbandi: non minus certè illi quoq; seu reges, seu principes, seu quiuis alij magistratus, qui & ius ad eum modum decertandi permittant, & locum huic spectaculo cõcedant: sintq; ipsi cùm spectatores tum iudices, aut certè fautores certaminis. Quid enim hoc aliud est, quam à studijs pacis homines ad arma auocare: suum magistratui gladium præripere: legum communium ac iudiciorũ maiestatem minuere: religioni Dei immortalis impiè & ambitiosè derogare? Igitur controuersijs & discordijs componendis, inimicitijs tollendis, legibus potius ac iudicijs utẽdum est quàm armis. ad hæc enim non nisi inter populos diuersos ueniendum est: cùm ea quæ iurè ad nos pertineant, iurè repeti non possunt. ad illa inter homines eiusdem Reipub. semper recurrẽdum: nec gladio, magistratus iniussu, unquam utendum. Atq; utinam in mores illud recipiatur, ut homines qui offensiones inter se uolunt tolli, exponant fideliter quisque pro se, qua re offenderit proximum.

CAPVT XXVI.

De reconcilianda gratia.

TVDEBANT Petrus cum Paulo, ex iniurijs, quas mutuò sibi fecerant, in gratiam redire: atq; ad hãc rem multorum præstantium uirorum opera uti non dubitabant. Narrat prior Petrus, quàm atrocem acceperit iniuriam à Paulo, ac culpam in eum transfert. cõtrà Paulus, non minoribus se à Petro iniurijs affectum, ac culpam in eo ait esse omnem. uterque sua in alterum peccata dissimulant, aut certè extenuant: uterq; alterum sontem & iniuriæ acceptæ reum peragere conantur. Quid igitur Pe-

tre, & tu Paule? quid agitis? uultis inimicitias inter uos tolli, fontes & causas inimicitiarum uerè indicare non uultis? Quod igitur remedium, & quo pacto apponetur morbo huic, quem uterque dissimulatis? Iacobus Hierosolymitarum episcopus iubet, ut confiteamur inuicem peccata nostra, & oremus pro nobis mutuò Dominum, ut sanemur. atq; hæc illa est uerè Christiana confessio delicti, dum non tantùm apud Deum agnoscimus peccatum: sed & apud fratrem ingenuè fatemur, qua illum re offenderimus: & ut Deus nobis ignoscat, meritasq; à nobis pœnas auferat, alius pro alio precamur. Facilius & Deũ & homines placamus hoc modo, quàm simulando aut dissimulando. Ideo Christus ipse iubet nos, ut si munus aliquod Deo uelimus offerre, ac recordati fuerimus fratrem à nobis offensum esse, relicto in præsens munere Deo offerendo, accedamus primùm fratrem, ac eum nobis reconciliemus. Planè igitur Christus docet, non posse nos Deum placare, nisi fratrem primùm placauerimus. Quòd si simulatores & dissimulatores peccãt, quid illi, qui falso culpam suam in alium conijciunt, peccatum peccato accumulantes? quod certè de alterutro dici necesse est, dũ contrarijs narrationibus utuntur. Tu uerò Petre, & tu Paule, boni uiri uultis uideri, & tamen contraria affirmare audetis: nec cogitationes arbitrorum, quibus rem permisistis, timetis? Quid igitur ætas uestra uobis boni attulit, quid rerum usus, si tantùm animo uestro imperare non possitis, ut ueritate utamini uterq; aduersus utrunq; amicitia reconcilianda? ô ætatem miseram uestram: ô usum rerum multo miseriorem, qui ad malum uos prudentes faciat, ad bonum inertes & ignauos. Frustra uobis boni mores ob oculos ponuntur: frustra bonorum uirorum iudicia recitantur: frustra Iacobina & Christiana præcepta in medium afferuntur. Ira, odium, & cupiditas nocendi, præcipites uos dederunt in hanc amentiam, & mentis cæcitatem: quæ nisi depellantur, grandiora secum scelera pertrahãt necesse est. Sed sunt qui non tam sua quàm Reipub. causa ab aliquo dissentiendo, simul etiam ab eo beneuolentiam abalienent omnem. Etsi autem nihil nobis Repub. charius debeat esse, pro qua & inimicitias & calamitates, & mortem ipsam perferre nemo bonus recusauerit: tamen stomachari, aut odium capere illius, qui suo iudicio eam gubernandam putet, non est rectũ, nec utile ipsimet Reipublicæ. Primùm enim qui aliter sentit, fieri potest ut rectius te sentiat. Deinde ut erret: tamen si ex animo dicit quod putat Reipublicæ cõuenire, error illius dignior est uenia quàm odio. Tanta est interdum & rerum uarietas, & temporum: ut mirum non sit, de ijs tot hominũ sensus esse, ut est in prouerbio, quot capita. Philosophorum cuipiam acrius contẽdenti, sapientem errare non posse, obiecta auis est alius generis atq; ille peteret, cumq; eam ille comedisset,

disset, existimãs minimè suppositiciam esse, erroris redargutus est. Sæpe animis hominum auiculæ eiusmodi pro ueris offeruntur. Et te ipsum errare posse, minimè absurdum est: & alterius errore dolere, perhumanum: odisse uerò, aut oppugnare eum qui errare uidea tur, pręferocis est, & imbecillitatem humanam parum agnoscentis. Tot lapsibus, erroribus, & uitijs obnoxia est humana uita, ut nisi in multis conniueamus, ac errata nobis mutuò condonemus, non diu hæc societas & coniunctio hominum inter ipsos duraret. Iam illud quoq; in nonnullis animaduersum est, non tam errorem alienum, quem prætexere solent, quàm æmulationem esse, quæ eos ad dissidendum instiget. Grauis sanè animi commotio, nec cuiuis homini apta & congruens. Et quemadmodum teredines non in quouis, sed pręcipuè in dulci ligno nascuntur: ita æmulatio magis peculiaris est ijs qui altissimis sint animis, et glorię percupidis. Quę quidem æmulatio si ratione dirigetur, erit tanquam calcar ad uirtutem & honestas actiones, quasi exemplis propositis stimulans: sin à recta ratione fuerit auersa, uitiosissima sit oportet, & riualitati (ut dicit Cicero) persimilis. Quid enim uitiosius, quàm te cruciari alieno bono, quòd tibi uel natura, uel pigritia tua negauit? Hunc uerò cruciatum inuidia sequitur: ex qua nascitur odium. fitq; tandem, iuxta uetus Hesiodi uerbum, ut figulus figulo indignetur: omniaq; in eo quem uel æquare uel superare nequeat, damnet, irrideat, omni artificio calumnietur, & maledicat. Quamobrem uitia hæc & noscenda, & fugienda sunt: nemini inuidendum: dona à Deo immortali alijs concessa, digna ueneratione prosequenda: simultates cùm nostra, tum Reipublicæ causa deponendæ: culpaq; omnis benignè alijs ignoscenda: atq; etiam gratia reconcilianda præstandũ, ut ne id obscurè fiat, ac dissimulanter. Sunt enim quidam ad offendendum alios ualde prompti: ad placandum uel tardi, uel prorsus negligentes. Si qua necessitas cogat eos ad reconciliationem: tamen turpe sibi existimant, si id prę se ferant. Irrepere malunt ad concordiam, quàm palàm ingredi. Itaque & semotis arbitris, & quasi non dedita opera, rem agi uolunt: cumq; quod agunt, profiteri nolint, quid aliud quàm illudunt & ei quem offenderunt, & actionibus humanis: quas claras esse conuenit, cùm offensiones publicæ fuerunt? Verè illud à Poeta scriptum est,

Qui simulat uerbis, nec corde est uerus amicus.

Itaq; tales occultæ reconciliationes ex offensionibus palàm factis, non solent esse diuturnę: plerunq; etiã in turbas & tumultus erumpunt. Esto igitur uirtutis primus gradus, neminẽ offendere: secundus, animum eius, quem fortè offendisses, reconciliare. Qui priore gradu non substitit, studeat in altero subsistere: id'que uultu, gestu, & uoce testari, se & facti pœnitere, & cum eo qui sit offensus, in

gratiam redire cupere. Ex hoc enim ſecundo gradu nemo deſcẽdere queat, quin cadẽdum illi ſit grauiſsimè. Nam & ira in eum quem non placaueris, ſubſequetur, & ſtudium malefaciendi. Ita hoc malum indies magis ac magis ardebit: ſcintillaq; principiò non extincta, pariet magnum incẽdium, materia illi ſuppetente. Ergo homini Chriſtiano curandum, ut ſit cum omnibus in gratia: offenſiones bona fide deponat: ſuorum erratorum candidè & ſuppliciter ueniam petat. Non enim aditus patêre poteſt ad patrem cœleſtem ei, qui ſe alijs præbeat uel ſuperbum illis reconciliandis, uel inexorabilem cúlpa eis condonanda. Sed ſunt permulti eo ingenio, ut ex re quamlibet leui, facilè capiãt magnas offenſiones. Ex uerbulo, quo ſe perſtrictos putent: etiamſi id qui dixit, aliter multo uellet acceptũ. ex ſibilo, ex ſtertendo, ex dentium contactu, ex unguis arroſione, ex oris apertione, diſtortione, corrugatione, ex aſpectu attentiore, ex conniuentia, ex neglectu uel pileo deponendo, uel alloquendo, uel manũ porrigendo. denicq; ex omni nutu & geſtu, quo ſuſpicentur ſui contemptum ſignificari. Sed eiuſmodi ſuſpicionibus quiſq; ſuum prodit ingenium, ex quo ſcilicet mores aliorum exiſtimet. Ita enim ferè fit, ut qualis quiſq; ſit, tales alios eſſe ſuſpicetur. Talibus uerò quid precandum magis, quàm ut mens eis ſana ſit in corpore ſano? Omnino animi morbi periculoſiores ſunt corporis morbis, & ſæpe illi ſunt cauſæ iſtorum. Sanet igitur quiſque mentem ſuam ægrotantem, nec pro rebus umbras ac tanquam ſomnia metuat: nec more ſophiſtarum, pro cauſa id quod non eſt cauſa ponat. Tales ſumus plericq; omnes, ut in rebus multis cæcutiamus, erremus, labamur. Quòd ſi alij acrioribus oculis lapſus noſtros contueri uellent, haud facilè unus reperiretur, qui in amicitia nobiſcũ perpetuò permaneret. Iam ſi æquum putamus nobis condonari errata noſtra, cur non ipſi etiam conniuemus in erratis aliorum? Cur offenſiones leuiſsimas, minimè ferendas putemus, qui toties alios offendamus? ſi tamen offenſiones ſunt, quas ſæpe errore quodam mentis fingimus ipſi. Sed ut etiam eſſent, tamen Chriſtiani hominis eſt alijs ignoſcere: ſi quidem ſibi à patre cœleſti uelit ignoſci. Iam quis nõ uidet extremo ſupplicio dignos iſtos, qui non contenti ſe alijs culpam remittere nolle, inimicitias etiam per manus filijs, amicis, poſteritati ſuę tradere conantur? cumq; ipſi ueneno infecti ſint, totam progeniem eodem inficere conantur? Rationem habent nullam prolis ſuę: quæ, ipſis magiſtris, prius malè facere incipiat, quàm diſcrimen ullum boni ac mali habere: nullam amicorum, quorũ opera ad res diſsimillimas aduerſus alios utantur, quàm ſint illę quibus ipſi cum eis coniuncti ſint: hoc eſt amore, beneuolentia, concordia. nullam denicq; poſterorum, quos in eam malorum uoraginem dari nolunt præcipites, unde nec ſe nec illos extricare poterunt. Accedit

dit ad hęc mala ingens multorũ improbitas ac nequitia, qui uel excitent alantq; aliorum discordias, tum per se, tum per alios leuitatis suæ administros: uel excitatas sedare, cum possint, minimè uelint. Qui etsi ipsi quidem cum omnibus libenter sint in gratia: tamen in uiris bonis nullomodo habendi sunt, si quod in se nõ ferunt, id in alijs seu incitando, seu quouis modo fouendo, ferendum putent. Faciunt id uel commodi alicuius cõsequendi, uel incommodi uitandi causa: nonnunquã etiam occultæ cuiusdã tyrannidis amentia impulsi. Itaq; non aliter habendi sunt, quàm qui à furtis ac cædibus abstinentes, alios ad furta stimulent, ac homicidia. Qui autem uerę uirtutis sunt amatores, ipsi'que alios in nulla re offendere studeant, eos discordijs hominum ac dissensionibus delectari quomodo conuenit? An est uirtutis, quod tibi putes esse dedecori, id ęquis oculis in alijs aspicere? & cùm ipse sis parcus cibi & potus, ebrietatibus & uoracitatibus aliorum fauere? Quisque igitur quantum potest uel oratione, uel re, uel consilio, uel authoritate, uel precibus, uel imperio, annitatur discordes in concordiam reducere. Quod cùm omnibus faciendum est, tum haud scio cui'nam magis quàm uiris honoratis: qui sæpe possent uel solo nutu discordias multorum sedare, & concordiam constituere. Sed multi uel desidia, uel quòd nullam inde sperent utilitatem, uel etiam alia nequitia omittunt occasionem benefaciendi: homines sui amantes, & omni honore indigni. Neq; enim uerus honor est nisi ex uirtute, & meritis in genus mortalium. Mereatur igitur quisq; de genere humano, medeatur pro sua parte ægrotãtibus, odia hominum tollat, in gratiam eos reducat: neq; committat, ut quasi ædibus proximi ardere incipientibus, ipse ocio langueat: ne si grande incendium fuerit exortum, ad tuas quoq; ocio torpentis ędes ignis perueniat. Quòd si tibi ipsi nihil metuas, tamen periclitantibus opem non ferre cum possis, naufragis non opitulari, ex calamitatibus aliorum oculos pascere, hominis non est. Contrà, controuersias componere, amicitias stabilire, animos hominum ad amorem & beneuolentiam hortari & instituere, ab odio & maleuolentia abducere, an non humanitati maximè congruit? Cui quantum debeamus, natura communis omnium nos docet, si aduertamus. docet & ille magister ueræ uirtutis CHRISTVS IESVS, beatos pronuncians eos qui sint pacifici: hoc est, qui ipsi pacem amantes, inter alios pacem conciliare studeant. Multa sunt quæ homines ad pacem, concordiam, placabilitatem cohortentur. Pater cœlestis unus: omnium natura una: societas religionis: cõmunio legum, commerciorum, Reipublicę: ac in primis errores omniũ communes, quibus mutuò ignosci perhumanũ est. Omnia ferè hominum delicta uel ex ignorantia nascuntur, uel ex animi impotentia. Pueri & fatui, & qui illorum similes sunt, igno-

rantia

rantia peccant, ac stulticia. Quos affectiones premunt, eos quasi suis operibus tenent alligatos. Quod plerunq; fieri uidemus in hominibus à fortuna euectis: quorum alios potentia reddit impotes sui, alios ira eneruat, quosdam superbia frangit, ac imbecillos facit, denicq; alios aliæ concitationes transuersos agunt. His morbis infiniti ægrotant & infimi ordinis uiri, & medij, & summi: atq; adeò illi quoq;, qui populorum domitores uideri uolunt. Quid igitur aduersus tales agendum? Omnino id quod physici præcipiunt: ut cõtraria contrarijs rebus curemus, nemini impotenter irascendo, nemini inuidendo, odio prosequendo neminem, aduersus omnes se humaniter gerendo, gaudendo cum gaudentibus, flendo cum flentibus: quemadmodum à Paulo dictum est. Hæc si fecerimus, & supra uulgus hominum prudentiores, & affectuum turbinibus magis uacui uidebimur. Quid uerò magis decet hac prudentia, hacq; sanitate mentis præditos, quàm illorum ægrorum & mente captorum misereri? Quod & medici faciunt, conuicia & maledicta patienter ferendo à phreneticis, & mẽtis inopia laborantibus. Sin uerò nos sumus ij qui morbis illis noxiarum cupiditatũ uexemur, aut etiam furijs illarum agitemur: quid magis æquum est, quàm nos similium nostri misereri? nostri enim ipsorum misereri uidebimur, qui culpam aliorum nostrę similem commiserabimur. Hęc si quẽ ad placabilitatem, amorem, & concordiam parum excitent, audiat IESVM CHRISTVM, cœlestis sapientię magistrum, his uerbis præcipientem: Diligite inimicos uestros, benefacite ijs qui uos oderũt, orate pro ijs qui lædunt & infectantur: ut filij sitis patris uestri, qui & lucem lucere, & pluuiam cadere iubet super omnes, bonos & malos. Nam si eos tantùm dilexeritis, qui uos diligunt, quid præclari facietis? Non'ne & publicani id faciunt? Hæc enim est uia expeditissima ad ueniam peccatorum nostrorum perueniendi, remittere debitoribus debita sua, si nobis nostra remitti uolumus. Quid igitur ad hæc dicemus Christiani, qui sub uexillis filij Dei militamus? Nihil est quod nos non hortetur ad amorem & placabilitatem: & lex naturæ, & nostra commoditas, & patris illius exemplũ, quod primogenitus eius filius Seruator noster ob oculos nobis proponit. Miserum est omnino, nos in Christi schola natos, altos, & institutos, non uelle cognoscere professionem nostram. Quotidie oramus, ut nobis regnum Dei adueniat. Quod autem est regnum illud, nisi iustitiæ, pacis, concordiæ, & mutuæ dilectionis? Ipse CHRISTVS magister noster, ex hoc mundo ad patrem proficiscens, symbolum concordiæ & amoris mutui reliquit nobis, conuiuium & cœnam suam: ut quemadmodum communione corporis & sanguinis sui pares essemus, ita mutuam & parem cùm in nos ipsos, tum in ipsum conuiuatorem nostrũ uoluntatem haberemus.

Etiam

Etiam clara uoce pacẽ & amorẽ quaſi teſtamento nobis dedit: Pa- «
cem, inquiẽs, meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. In hoc «
cognoſcẽt omnes, quòd diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem habueritis «
inter uos mutuã. Ad placabilitatẽ item, & clementiã, his uerbis nos
hortatur: Si remiſeritis hominibus errata ſua, remittet & uobis pa «
ter cœleſtis: ſin minus, nec pater uobis remittet errata ueſtra. Quo «
igitur authore & magiſtro inflãmari magis poſſumus ad ignoſcẽti-
am, cõcordiam, amorẽ mutuum, quàm eo, qui nobis quotidie ipſe i-
gnoſcit, qui nos amat unicè: qui non aliunde diſcipulos ſuos magis
eſtimat, cẽꝫ ex mutuo amore? Quamobrem omnibus qui Chriſti di
ſcipuli uelint eſſe, enitendum eſt, ut lites, ſimultates & odia fugiant:
pacem autem & concordiam colant cum omnibus, foueant, & qui-
bus poterint modis augeant. Quod quidem ita quiſqꝫ facilè præ-
ſtabit, ſi dolorem ipſe ſuum minimè ultus erit. Si fortè te iniuria ab
aliquo laceſsitum putas, uel opera magiſtratus utere, quem Deus
miniſtrum dedit & flagitijs uindicandis, & rectè factis honorè af-
ficiendis: uel iniuria condonata, expugna malitiam aduerſarij boni-
tate tua. Sed uulgus peruerſo iudicio, ulciſcentes iniurias magnifa-
cit, eoſdemque fortes & magnanimos appellat. Contrà, patien-
tes contemnit, timidos & puſillanimes iudicat. Nobis uerò, qui cœ
leſti religione inſtituti ſumus, pluris faciendum eſt iudicium iudi-
cis illius æquiſsimi Dei, qui maledicenti iubet benedicere, malefa-
cienti benefacere: qui patientiam tanti ducit, ut in ea dicat nos poſ-
ſidere animas noſtras. Huius uirtutis exemplũ & in ſeipſo CHRI-
STVS IESVS mirificè exhibuit, & in hominibus multis, quos ean-
dem uiam inſiſtere iuſsit, qua ipſe præiuit. Quin etiam ſi philoſo-
phos conſulamus, multa ab eis audiemus de ira frænanda, de iniu-
rijs clementer & patienter ferendis. Quid enim eſt iniuriam ulci-
ſci, quàm improbitatem eius qui prior læſiſſet, imitari? At malum
imitari, quid eſt, quàm à bono diſcedere? Non decet te ægrotare,
quia ægrotat aduerſarius tuus: nec furere, quia ille furit. Quo-
modo enim morbus tuus ſanabit morbum illius? Quomodo
mens à ſanitate aliena tua, ad ſanitatem illum reducet? Profectò
imperitiſsimus eſt medicus, qui non aliter ægrotum ſanare uelit,
niſi primùm ægrotet ipſe.

CAPVT XXVII.

Congeries præceptorum, & concluſio primi libri de moribus.

IXIS igitur, ſimultatibus, & odijs minimè eſt aſ-
ſueſcendum: quieti autem, paci, concordiæ modis
omnibus ſtudendũ. Omnibus ſuus honos tribuen
dus. Necꝫ eſt putandum, aliquem alijs contemnẽ-
dis, ad hominum exiſtimationem dimanare poſſe.
Omnes enim amant, & plurimi eos faciunt, à qui-

bus alios uident magnifieri: contrà, contemptores aliorum uulgò odio habentur. Vnicuicp etiam in actionibus ſuis, ad uitæ genus in quo uerſetur, diligenter reſpiciendum: illud officijs debitis tuendū, & ornandum, nec in munera aliena ſe ingerendum. Nam & confuſio perturbatioq; ordinum ſequitur, dum homines inſerunt ſe negotijs nihil ad ſe pertinentibus: & propria munera deſerere cogun tur, aut certè negligentius ea curant, qui animis ad res alienas ſunt diſtractis: & ipſa Reſp. malè ſe habet, ubi quiſcp officio non contentus ſuo, turbat aliena per ambitionem: nō ſecus quàm corpus, cuius membra ſuis locis relictis, in aliorum membrorum loca commigra rent, eorumcp munus inuaderent, laborare neceſſe eſſet. Itacp bonis uiris & ambitio fugienda eſt, & amor nimius ſui ex animis eradicandus. Quod hoc facilius quiſcp aſſequetur, quo modeſtius de ſe ſenſerit ipſe: dotesque, quæ ſibi obtigiſſent, ſæpius recognouerit: ac etiam cum animo ſuo reputauerit, plura ſibi ad uitę perfectionem deeſſe, quàm adeſſe. Itacp neminem contemnendum eſſe: ſed uiribus & facultatibus noſtris, hominibus, quoad eius fieri poſsit, inſeruiendum. Non decet nos, qui fratrum cenſemur numero, nobis tantùm uiuere: ſed potius beneficia parentis noſtri inter nos cōmunicare, quæ ille uaria uarijs conceſsit: ut hac diſparitate, mutuaque communicatione, neceſsitudo germanitatis inter nos cōſeruaretur. Qui igitur diues eſt, liberalitate ſe fratrem eſſe pauperis oſtendat: qui ingenio, qui prudentia prædítus eſt, doctrinam & conſilia cum egentibus communicet: qui nobilitate, qui potentia ualet, conuertat authoritatem & uires ſuas innocentibus & humilibus tuendis. Humanitatem enim ij exuiſſe uidentur, iuscp fraternitatis abieciſſe, qui diuites, ſibi tantùm diuites ſunt: qui docti, qui prudentes, tantùm ſibi doctrina & prudentia ſua conſulunt. Vera enim humanitas ac fraternitas, rebus cum hominibus communicandis continetur: aut caſibus ijs, quibus omnes ſubiecti ſumus, recolendis ac commiſerandis. Omnino indignus eſt in ſuo periculo miſericordia aliorum, qui calamitoſorū non miſeretur: indignus eſt ope aliorum, qui periclitantibus non opitulatur: qui claudit aures precantibus, fores egentibus. Sedulò itacp agendum, ut quantum poſsimus, alijs commodemus: ut ne homines faſtidiamus, ne contemnamus: ut deponamus faſtum, ut nihil ſuperbè geramus, nihil inſolenter, nihil crudeliter. Horum enim uitiorum expulſione, in rerum ac fortunarum diſparitate, paritas animorum retinebitur: quæ maximè neceſſaria eſt paci & concordiæ retinendæ. Qui hanc paritatem conſeruare nolunt, primùm non obſcurè ſignificant, ſe patrem communē habere minimè uelle cum ijs quos pro fratribus habere recuſent. Abſurdum enim eſt, cum eo fraterna neceſsitudine nolle cohęrere, quo cum patrem eundem recognoſcas.

Deinde

Deinde ipsi sibi uates existunt, fore ut qui pares aliis esse nolint, tandem deprimantur. Hoc enim diuino decreto sancitum est, ut qui se extollit, humilietur: & qui se humiliat, exaltetur. Hæc noscenda sunt, altaq; mente reponenda, & tanquam diuina oracula recolenda: ad ea actiones nostræ omnes dirigendæ. Quamobrem nemo contemnendus est: omnes beneuolentia & officijs nostris prosequendi: secundæ & aduersæ res æquo animo ferendæ: consilia honesta, & cum uirtute coniuncta, semper sequenda: successus uerò à Deo præpotenti petendus & expectandus, ad cuius tribunal nos sisti oportet, ei'que ratio actionum nostrarum omnium, dictorum & cogitationum reddenda est. Et hæc quidem de moribus, qui cùm ad omnes homines, tum ad eos præcipuè qui sunt in magistratu, pertineant, dicta sint: non quin plura dici possint (amplissimus est enim hic dicendi locus, & à philosophis longè maximis uberrimè pertractatus) sed nobis propositum fuit de ijs disserere, quæ magis ante hominum oculos uersarentur. Quibus inuestigandis, seu quid consequuti sumus, seu minus, spero bonos uiros conatum nostrum non improbaturos: ut qui Reipublicæ consultum uelimus, nec inde commodi nostri rationem ullam ducamus.

Reliqua igitur persequamur.

ANDREAE FRICII MODREVII COMMENTARIORVM DE REPVBLICA EMENDANDA Liber II. qui est de Legibus.

CAPVT I.

Legem iniustis esse positam.

QVANTA bonorum morũ uis sit, quamque & publicæ & priuatæ res eis contineantur, ac sine eis nec homines priuati parère, nec magistratus rectè imperare possint, superiore libro satis, ut uidemur exposuimus. Nunc de legibus, quibus iudicia exerceantur, scribendum duximus. Ac illud quidem perspicuum est, si casta educatio, uerecundia, probitas, puri & sancti mores uigerent in aliqua Repub. in ea legibus minimè opus esset: non enim leges scribuntur bonis uiris, qui moderatione & moribus, nõ metu parent honestati. Verùm ea est hominũ peruersitas, ea impudẽtia & licentia malefaciẽdi, ut durissimis legibus opus sit, quibus gliscenti malitiæ contraeatur, exundanti licentiæ quasi obices opponantur, & effundenti sese improbitati fræna iniiciantur. Atq; hoc ita cõstituto, consequitur & illud: Legum plura-

litatem & ſeueritatem in aliqua Republica magno argumento eſſe prauę educationis hominum, infœlicis indolis, & malitię quotidie increſcentis. Cui cùm magiſtratus contrauenire ſtudet, cogitur leges ferre accuratius, ac pœnas ſubinde magis ac magis exacerbare. Dicamus igitur, quales oporteat leges eſſe, & quis earum finis.

CAPUT II.

Legum & morum diſcrimen. Leges maximè quidem ualent propter rationẽ: ſed tamen etiam propter authoritatem magiſtratus.

Clegum quidem & morum eadem ratio eſſe uidetur: prȩcipiuntur enim legibus mores boni, cõtrariȷ uetantur. Sed legibus adduntur præmia & pœnæ, ut ȷ̃s homines retineantur in officio, qui ſponte ſua boni & æqui parum ſint obſeruantes. Sunt igitur mores quaſi fontes & principia, è quibus leges manare ac deriuari debent. Omnino autem leges ipſæ ratione aliqua nitantur neceſſe eſt. Hæc enim quaſi anima legum iudicatur: hac homines bene morati & à peccando deterrẽtur, & in officio permanẽt, magis quàm uel pœnis, uel ullis præmȷ̃s. Eſt autẽ id munus uel prȩcipuum legum, ut non tantum pœnas proponant peccanti, ſed etiam perſuadeant peccare minimè licere. Quòd ſi quarum legum ratio nulla reddi poſsit (multarum enim rerum rationes abſtruſæ ſunt, nonnullarum etiam ferè nullæ) tamẽ illud efficiendum eſt, ut ne illæ cõtrariæ ſint rationi: talesq; ſola magiſtratus authoritate ualere debent. Sed quantum res ipſæ facultatis cõcedent, curandum eſt, ut non ſolum magiſtratus authoritas, ſed rationis etiam, ſi non neceſſariæ, ſaltem probabilis, cõmendatio, leges tueatur atq; ornet. Eſt enim ratio diuino munere hominibus data, ut ſit dux & magiſtra uitæ, actionumq; omniũ: quam qui abȷ̃ciunt, ȷ̃ homines dici non merentur. id enim abȷ̃ciunt, quo homo cæteris animantibus præſtat. Et quemadmodum radȷ̃s ſolis illuſtrantur omnia, deformiaq; à formoſis diſcernuntur: ita ratione conſilia humana, dicta & actiones omnes, ſintne cum honeſtate coniunctæ, an uerò cum turpitudine, explorantur.

CAPUT III.

1. *Legũ cautio ſit, ut omnia ad honeſtatẽ & cõmunem utilitatẽ conſtituãtur: ita quidem, ut præmia eadem ȷ̃ſdem uirtutibus, pœnæ etiam eædem ȷ̃ſdem ſceleribus proponantur.* 2. *Neq; uerò libertates ullæ tanti eſſe debent, ut eas aliquis ad impunitatem, aut pœnæ inæqualitatem, ſuis uitȷ̃s obtendat. Vera enim libertas in affectionibus animi peruerſis ac uitȷ̃s compeſcendis conſiſtit: non in licentia uel patrandi quod libeat, uel peccantes leuius puniendi.* 3. *Si qua diuerſitas pœnarum pro eodem flagitio retinenda eſt, ea tamen non ad laxanda fræna maliciæ, ſed ad contrahenda, referenda eſt. Itaque potentes, nobiles, & qui ſunt in magiſtratu, magis pu-*

gis puniantur, quàm imbelles, plebeij, priuati: magis item, qui in magistratum peccent, quàm qui in homines priuatos.

IT igitur prima legislatoris cura, ut ne quid à ratione, legibus ferendis, discedendum sibi putet: utq; leges omnes (quod ratio ipsa præcipit) tum ad honestatem referat, tum etiam ad communem utilitatem omnium. Vt enim medicina probatur, quæ uel toti medetur corpori: uel si parti medeatur, ita illam sanat, ut non obsit alteri: ita lex est probanda, quæ uirtutes easdem ijsdem præmijs afficiat: morbis item & uitijs ijsdem, eandem tum medicinam faciat, tum statuat pœnam. Quis per Deum immorralem libenter medicina utatur, qua ab epate feruorem repellat, uentriculo autem frigus inducat? Nemo opinor. Etenim frigente uentriculo, nulla concoctio ciborum futura est: inde uerò & epar, & reliqua membra laborare necesse fuerit. Qua igitur ratione lex probabitur, quæ non eodem modo toti cõducat Reipub. quæ eandem uirtutem non ijsdem præmijs ornet: nec idẽ scelus, eodem modo à diuersis commissum, ijsdem pœnis uindicet: sed alijs nimis indulgens, fræna laxet ad peccandum: alijs suprema supplicia constituens, potestatẽ adimat ab iniuria sese defendendi? Loquor enim, exempli causa, de lege, qua in alios sæuissimę, in alios læuissimæ pœnæ propter homicidium sunt constitutæ. Sed quod de una lege dictum est, de alijs etiam similibus intelligatur. Factũ est in quodam municipio, ut duo homines, alter plebeij, alter equestris ordinis, ambo diuites agri, & opibus pollentes, multis plagis & uulneribus affecerint hominem non ita diuitem, sed tamẽ equestri loco natum. Is ad uulnerarium deductus est. Verùm quia uulnera quædam erant lethalia, post unum & alterum mensem extinctus. Qui eum uel officij causa inuisebant, uel ad inspicienda uulnera ab iudice accedebant, quærebant *utrius percussorum factum in maius crimen uocaret?* Respõdebat, eum qui equestri loco erat, rixæ & pugnæ initium fecisse: sed in percutiendo utrunq; peræquè fuisse acrem: ut prorsus ignotum sibi esset, ab utro uulnera magis noxia acceperit. Tum illi rogando instabant, pro uulneribus quidem utrunq; percussorum esse puniendum: at si mors ex eis uulneribus sequeretur, alterutrum tantùm capitis iudicio arcessendum. Duos enim, ob unum homicidium, legibus nostris plecti prohiberi. Ad hæc respondit qui iacebat uulneribus onustus, se uitã prorsus desperare: uerùm in conscientia sua, quæ breui Dei iudicium subitura esset, constituere se non posse, in utrum culpa homicidij conferri debeat, cùm ab utriusq; uulneribus sibi pereundum sit. Igitur mortuo ex uulneribus eo homine, quæritur illico plebeius percussor: ad iudicem sistitur: accusatur: caput illius ceruicibus ab-

ſcinditur. Nam lex eſt,ut plebeius nobilem, qui cauſam nullã præbuiſſet ſe inuadẽdi,uel occidens,uel mutilans,uel ſæuo uulnere ſaucians,capite plectatur. Et hæc pœna eſt, quam plebeius percuſſor pro ſcelere iam pependit. Ille uerò qui eſt equeſtris ordinis, uiuit adhuc,& in luce hominum uerſatur. Aiunt,eum ex poſſeſsionibus ad iudicem citandum: & ad iuris Polonici formam, aut pro uulneribus, aut pro capite, pœnà pecuniaria mulctandum. Non'ne per Deum immortalem,cauſa hæc eiuſmodi eſt, quæ duas Reſpub. deſideret, huic duplici hominum generi? & tam quidem à ſe remotas,ut ex neutra in alteram ullus acceſſus fiat: neutra alterius ope indigeat: utriuſq; incolæ nec contrahant inter ſe,nec ſe noſcant: deinde nec aquam, nec aerem, nec ſolem habeant communem? Hoc enim quod apud nos uſurpatur, ut confuſè utrique homines in una Repub. uiuentes, eadem de cauſa alij plectantur, alij indulgentiſsimè habeantur, an non eſt monſtri ſimile? Non eſt ſperandus in Repub. in qua lex eiuſmodi dominatur,finis ille,propter quem hominum congregationes fiunt,ut ciues omnes tranquillè & beatè uiuere poſsint: in qua ille eſt dominus uitæ & mortis tuæ, tu uerò mortis metu damna & contumelias omnes ab eo ferre cogeris: in qua illi iocus eſt & ludus te occidiſſe,tibi uerò in fraude capitali ponitur ſi illum uel occideris, uel uulneraueris. Sed de hoc à nobis & aliàs copioſè dictum eſt, & adhuc idoneo loco diſſeretur. Hoc tantum hîc dicamus,illam legum cautionem eſſe propriam,& prouiſionem,ut à ciuibus conuenienter uirtuti uiuatur: utq; uindicandis ſceleribus nullus perſonarum reſpectus habeatur. Habẽt enim (ut in priore exemplo inſiſtamus) leges ſe tanquam medicina, in qua adhibenda nemo peritus medicus habet perſonarum delectũ. ſatis illi eſt, morbi genus, quo æger afficiatur, cognouiſſe: interea dominus ſit,an ſeruus,nobilis,an plebeius,qui curatione eget, non laborat. Ad eundem modum leges ſe habeant, ut facinora ſontium eodem modo puniant: utq; commodis, quieti & ſaluti omnium ex æquo conſulant. Cuius rei efficiendæ uix ratio commodior reperietur,quàm ſi ad regulam illam,qua,quod nobis fieri uelimus,id aliis facere iubemur,erũt directæ. Hæc enim eſt regula illa,quę quaſi de cœlo delapſa,naturæ impreſſa eſt: & à CHRISTO ſeruatore noſtro totidem uerbis expoſita,ad uitę noſtræ & actionum noſtrarum emendationẽ. Nam quòd quidam uel benemeritorum ſuorum, uel neſcio cuius libertatis rationem haberi uolunt legibus ferendis,utinam rectè intelligant quæ loquuntur. Etenim benemerita ſunt ea intelligenda, quibus uirtus alicuius illuſtratur beneficijs conferendis uel in Rempub. uel in res priuatorum. Talium quidẽ benemeritorum tantum abeſt ut rationem haberi nolimus à legiſlatore, ut ea maximis præmijs ornari cupiamus. Cæterùm ſi qui
2
merito-

meritorum nomine intelligãt cædẽ iniuſtè à ſe factam, ac ſe propterea minus puniri debere quia ſunt nobiles & clari origine, ij nimiũ abutuntur optima ſententia: eam à uirtute ad uitia, atq; à præclaris facinoribus ad ſuam carnificinam transferendo. De libertate autẽ quod dicunt, omnino uera libertas non in licentia agendi quod libeat, nec in nimia legum indulgentia in eos qui capitalia crimina admiſiſſent, conſiſtit: ſed cùm in cæcis ac temerarijs animi commotionibus coercẽdis, inq; imperio rationis, cuius ex præſcripto optimè uiuitur, et ſanctiſsimè: tum in certa uiuendi diſciplina, iuris æqua deſcriptione, cauſarũ parium ſine omni perſonarum reſpectu pari conditione: iudicandiq;, decernendi, & exequendi æquabilitate. Ecqui domini acerbiores ſunt, animi perturbationibus? quæ in hominibus, in quibus inualuerunt, uiresq; firmarunt, & mentem & iudicium frangunt, uincunt, & proſternunt. Nullum mancipium eſt maius, q; quod ſeruit tam importunis dominis, utcunq; illud abundet opibus ac honoribus. Ecquæ igitur maior libertas cogitari poteſt, q; uacare eorum imperio? Confer mihi cum hac libertate iactatores iſtos libertatis: qua plericq; non ſecusu tuntur, q; equi ſine frænis ac capiſtris in ſeſe ruentes, dentibusq; & calcibus inferentes & accipientes inuicẽ uulnera, ut tandem Reip. nullo uſui eſſe poſſint. Quid uerò iſtis equis optabilius eſſet, quàm frenis cohiberi, ne uel ſibi uel alijs malum darent? Quid item ſeſſori cõmodius, quàm lupatis in os tãtæ belluæ iniectis, eam pro ſuo arbitratu circumagere? Hæc quidem non intelliguntur à brutis: ideo nec optantur. Verùm hominibus qui ratione præditi ſunt, nihil dulcius, nihil iucundius eſſe deberet, q; frænis legum ſuas coercere cupiditates, in gyrumq; rectè gubernantiũ ſuas actiones cõuertere. Vincula hæc fortaſſe uideri poſſint: ſed talia omnino, quæ nos à temeritate, petulantia, crudelitate, & reliquis uitijs coerceant: aſſerant autem in prudentiam, modeſtiam, humanitatem, & uirtutum omnium munera. Nemo Deum exiſtimet libertatis eſſe expertem, propterea quòd peccare non poſsit: ita nemo ſe ideo minus liberum putet, ſi ei legibus ac pœnarum ſeueritate adimatur licentia peccandi. Fœdiſsima enim eſt illa, & generi humano pernicioſiſsima libertas, cùm quis frena permittat illegitimis cupiditatibus, rebus alienis inſidietur, fraudet, abiuret, rapiat, multa licenter & in capita & in fortunas imbecillium hominum agat: atque his & ſimilibus patratis, iactet genus & poſſeſsiones ſuas: quarum obtentu uel indulgentiſsimè puniatur, uel omnem pœnam effugiat:

Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.

Quòd ſi quid in eum ab alijs commiſſum ſit, id quidem ſeueriſsimè uindicandũ optet. Quis igitur non uidet, libertatẽ iſtam cum ſumma hominum imbecillium ſeruitute eſſe coniunctam? Atqui & ſer-

uitus

uitus & libertas immoderata odiosa est: moderatum uerò utrunq;, & ad diuturnitatem ualidum est, & ad hominum existimationem præclarum. Tradunt rerum scriptores, ut Persarum imperium nimia seruitute, ita Athenienſium immodica libertate interijsse. Apud nos plebs seruitute supra modum cõstringitur: equites nimis magna libertate lasciuiunt. Quid igitur boni sperandum, de hac rerum contrariarum extrema quadam usurpatione? Expendat secum, quisquis uult, mores istorum, in quorum animis priuilegia & libertatis tituli uires sumpserunt. Multi odio quodam hominum, alij naturali mentis feritate, nonnulli natura quidem boni & moderati, sed malorum consuetudine tanquam contagione infecti, committunt nefanda multa in homines inferiorum ordinum: eorũ uirtuti palàm inuidendo, optimè ab illis facta per calumniã summam' que malitiam deformando. Quid de illis dicam, qui libidinosè homicidia perpetrant? ab ea scilicet lege instigati, quæ & iniurias & cædes leuissimè puniendo, superiores faciat diuites pauperibus, equites plebeijs, hoc est, homines canibus: quemadmodum permulti libertatis istius uindices & sentiunt, & loquuntur. Quot igitur equites sunt, tot reges plebeiorum: imò quot potentiores, tot imbecilliorum reges. Nullus enim regum, imò nullus tyrannorum maiorem potestatẽ habere potest, atq; uitæ & necis alicuius: quam potestatem legibus nostris implicitè datam esse potentioribus, alio loco copiosius ostendimus. Nihil igitur pernicios̃ius est Reipub. quàm legum pœnarum'q; diuersitas, pro peccantium diuersitate. Vna enim atq; eadem uoce lex omnibus loqui debet: uno atq; eodem imperio omnibus præesse, tum iubendo, tum uetando: una & eadem ratione de commoditatibus, de'q; molestijs ac iniurijs omnium sancire ac consulere. Huiusmodi legibus qui seruiunt, uerè liberi putandi sunt: quemadmodum ille, ut diu liber esse posset, legũ seruum se esse optabat. Illa uerò libertas, quæ cum libidine agendi omnia quæ uelis coniuncta sit, uix in ulla barbaria locum habet: tantùm abest, ut digna sit Repub. optimè constituta. Pleræque leges ita sunt compositæ, ut utilitatibus potentum seruiant, imbelles seruitute premant: hos comprehendant & irretiant, ab illis tanquam telæ aranearum perrumpantur. Vt enim omittam legem homicidiariam, quorsum prorogationes illæ, nulla legitima causa, dierum ad iudicem iam dictorum? Quorsum illa de non comprehendendis hominibus, quantumuis facinorosis, quia possessores sint fundorum multorum? Quasi uerò cum talibus agatur de possessionibus bonorum, non de facinoribus quæ commisissent. Hæc & similia, quæ alijs locis à nobis dicentur, an legum nomine digna sint, iu-
3 dicent sapientes. Quod si ijsdem legibus Respub. gubernãda est, ijsdem etiã pœnis delinquentes puniẽdi. Nihil enim minus legibus con-

conuenit, quàm illud discrimen pœnarum, ob idem crimen ab alijs & alijs perpetratũ: cùm quidem, si res ad uiuum resecetur, grauius puniendi essent, qui in altiore dignitatis gradu constituti peccent, q̃ qui in inferiore. Plato iubet ciuem suum seuerius ob furtũ mulctari, quàm seruum, aut peregrinum: propterea quod ille in optima Rep. institutus, tantum scelus admiserit: isti fortasse parum bene ad uirtutem eruditi, procliuiores sint ad peccandũ. Quanto magis qui ita nati, educati, animo & corpore facti uideri uolunt, ut alijs re omni præstent, magis puniendi sunt peccantes, quàm qui inopia laborent rerum omnium & animi & corporis & fortunæ? Quod contrà fit ab istis nostris, qui ideo minus in se animaduertẽdũ putẽt ob scelus quodlibet, quia sint nobiles. Quasi uerò sua nobilitas concreta esset ex peccandi licentia, importunitate, & impunitate scelerum. Atqui hoc non ueram nobilitatem fuerit ostentare, sed labem quandam, maculam & pestem ciuitatis: ad quam à nostris finibus propellendam, omnibus uerè nobilibus, quantum in unoquoq; uiriũ sit & facultatum, opera danda esset. Igitur si qua pœnarum diuersitas statuenda sit, grauius puniãtur qui altiorem dignitatis gradum tenent, quàm qui inferiorem: seuerius diuites, quàm pauperes: nobiles, q̃ plebeij: qui in magistratu sunt, quàm priuati. Illi enim maioribus & animi & fortunæ dotibus prædíti, plures causas habẽt à peccando retrahentes: itaq; crimen eorum grauius est. Quod etsi satis est ad pœnam acriorem constituendã: tamen illa quoq; accedit causa, quòd quo quisque maior est qui peccat, hoc & crimen eius conspectius est, & plures imitatores habere solet. Hominum humilium quia uita obscura est, crimina etiam obscuriora sunt, nec adeò proposita alijs ad imitandũ. Sic igitur hunc locum concludi posse existimem, ut omnibus in eadem Rep. manentibus, eorundem criminum reis, eædem pœnæ constituantur. Si qua diuersitas ob crimen idem statuenda est, ea certè non ad potentũ licentiam amplificandã, sed ad iniurias à tenuibus propulsandas referenda est. Cùm enim officium legum sit, iniurijs obuiam ire: non aliter certè id consequentur, quàm si pauperũ uiolatores acrius puniantur, quàm diuitum. Neq; enim potentes sunt adeò opportuni iniurijs, atq; humiles: itaq; etiã quę his inferuntur, seuerius uindicandæ sunt, quàm quæ illis. Illa uerò diuersitas, cùm plebeiorum interfectores decem marcis numorum, nobilium uel centum marcis uel morte mulctantur, à tyrannide excogitata est, non à prudente legislatore. itaq; ex optima Repub. ejcienda est, & ex omni memoria hominum exterminanda. Video & illam dissimilitudinem multis probari, cùm in alios, quorum licentia non facilè coerceretur, seuiores pœnę constituuntur: in alios mitiores, qui leui momento in officio possint contineri. Equidem tales diuersitates tam moribus quàm legibus

populorum comprobantur. Res etiam ipsa testatur, homines à fortuna euectos, & in aliquo dignitatis gradu locatos, magis moueri, si quid de sua existimatione detractum iri existimẽt, quàm infimos & sordidos: qui nisi mortem, uel carcerem, uel aliud graue malum impẽdere sibi scirent, in omne genus sceleris ruerent. Cæterùm illam uarietatem, quam summa licentia consequuta est, qua multi feruntur ad peccandum præcipites, qualem nimirum in lege homicidiaria comprehendi constat, quis sanus non improbet? Quis sanus item non probet, si quod fortuna hominibus detraxit, id leges sarciant, uiolatumq; pauperem grauius puniant quàm diuitem, magistratum delinquentem quàm priuatum, nobilem flagitiosum quàm plebeium? Placet & illud, ut qui in magistratũ peccet, maiore supplicio afficiatur, quàm qui in priuatum.

CAPUT IIII.

Cautiones aliæ legum.

HIS causis diuersitatis pœnarum exceptis, nescio an sit alia admittenda. Debent autem leges quenque in officio continere: facultatem nocendi præcidere: audaciam improborum coercere: innocentiam cuiusq; tutam omni ex parte reddere: quieti & dignitati bonorum uirorum maximè cõsulere: lites, discordias, & controuersias, quoad eius fieri possit, tollere: statum Reip. tranquillum stabilire ac tueri.

CAPUT V.

Varietas & distinctio legum.

SEQVITVR, ut deinceps de legum uarietate differamus. Neque est quod aliquis expectet à me, tanquam legislatore, legum exactam descriptionem. non est hoc facultatis meæ: & indiget temporis ac diligentiæ maioris. Satis mihi functus uidebor officio, si quasi indices legum quarundam proposuero, aut etiam leges nonnullas attigero. Optandum autem esset, ut qui ingenio, doctrina, & experientia ualent, ad rem tantam animum adiicerent: qua quidem optimus Reipublicæ status maximè continetur. Leges igitur aliæ ex natura ortæ sunt: aliæ moribus ac populorum institutis comprobatæ: quędam etiam diuinæ. De diuinis nunc loqui omittamus. Quæ ex natura ortæ sunt, eæ à philosophis diligẽter sunt explicatæ, qui de uirtutibus & officijs scripserunt. Ad has uerò utrasque leges & naturæ & diuinas, instituta populorum si probanda sint, accedere oportet. Quo enim longius ab eis discrepabunt, tanquam à suis fontibus, hoc minus nomine legum digna putabuntur.

Pri-

CAPVT VI.

Leges de magistratibus.

PRimùm igitur leges sanciantur de magistratibus 1
mandandis, quibus, & quarum rerum ergò mandandi sunt. Virtutis & doctrinæ rationem in primis haberi oportet: & ad quas quisq; res aptus est. Qui peritiam habent rei militaris, Palatinorũ munere honestentur: sunt enim illi, moribus nostris, duces in bello, sui quisque municipij. Qui iuris dicundi facultate prædíti sunt, sint iudices. In municipiorum & arcium præfectos eligantur, qui paci domesticæ, iustitiæq; inter homines conseruandæ, operam nauare possint. Qui ualent sententia dicenda, in Senatum cooptentur. Omnino mores eius qui deligendus sit, inspici oportet: an priuatus sciebat parêre, an iudicatum faciebat, an obseruabat magistratum. Qui his uirtutibus destituitur, non est spes ut bene imperare possit. Qui eñ bene imperaturus est, is bene aliquãdo paruerit necesse est. Qui uel per se uel per alios petũt, à magi- 2
stratu excludantur: nõ enim Reipub. sed sua causa ambire uidẽtur. *w. de origine iuris. L. necessarium. §. primus diuus Augustus.*
Optimè Hadrianus imperator, petenti uiro prætorio ut sibi de iure liceret respõdere, rescripsit, Hoc non peti, sed concedi solere: significans, multa esse quæ honestè concedantur, non tamen honestè petantur. Nam illud de uno dictũ, de alijs intelligendũ est. Quod 3
si improbè ambientibus, magistratus negandi, quanto magis emen tibus? Neque enim fieri potest, ut qui negotiatione aliquid consequuti sint, non uelint in eo facere quæstum. Sunt qui principi nihil numerent, sed tamen numerant petitoribus magistratus adipiscendi causa. Sed hi quoq; eodem in uitio esse putandi sunt. Ferè enim in quo quis fecit damnum, in eo quærit lucrum. Omnino autem honorum contentio omnis legibus coercenda est. Videmus enim, quàm instar sæui tyranni uexet & torqueat eum, in cuius animo inualuit: quàm eum impellat ad agenda & patienda multa inepta, sordida, seruilia, ut ad id aliquando, quod cupit, perueniat. Pulcherrimum certamen inter ciues fuerit, de uirtute ac industria: ut qui genere clari sint, omni studio cõtendant, ne ab infimis, luce uirtutis, & honestarum actionum, obscurentur: qui uerò nullo maiorum splendore commendentur, uirtute propria cõnitantur se illustres reddere: de omnibusq; mereri studeãt tum priuatim, tum publicè. Ergo ambitio legibus prohibenda est: & uirtuti perspectæ, industriæ, factisq; que præclaris honores deferendi. qua de re plura à nobis primo libro dicta sunt. Necessarium est & illud, ut nemo 4
in magistratum alicuius municipij eligatur, nisi qui illic habeat fixũ domicilium, & possessiones bene fundatas: ne si alibi manendum sit ei, alibi officio satisfaciendum, negligentior sit in suo munere.

Hoc non tantùm de magiſtratibus ius dicẽtibus, ſed omnibus præfectis qui imperandi habeant poteſtatem, intelligendum eſt. Apud nos multi regis benignitate aucti ſunt beneficijs ſummis, in ijs quidem municipijs quorum ciues non ſunt. Hi etſi tolerandi ſunt in ſuo munere: tamen præfectos habere deberent ciues illorum municipiorum, quorũ ſunt beneficiarij. Quos enim ex remotioribus municipijs accerſunt, ſolent eſſe nimium rapaces: utpote qui non inter ſuos imperent, ſed & de migrando in ſua cogitent, nec quicquam penſi habeant quam de ſe exiſtimationẽ relinquant, apud eos quos nulla neceſsitudine deuinctos teneant. Quod cùm aliæ prouinciæ, tum ea Pruſsia, quàm dux Pruſsiæ nunc gubernat, olim experta eſt: cùm illic ſocietas Marianorum rerum potiretur. Mittebantur enim ex media Germania comites imperij: qui inter homines non ſuos, duriſsimum imperium exercebant. Fraus eſt legis, ſi quis iugera aliquot agri, uel poſſeſsiunculam aliquam emat in municipio aliquo, magiſtratus illic adipiſcendi cauſa. Itaq; curandum eſt, ut nemo in magiſtratu municipij ſit, niſi qui magnam poſſeſsionum partem illic habeat: atq; ibi frequentius maneat, nec à municipio ſuo diu abeſſe poſsit: niſi fortè aliquod municipium præfectũ idoneum ob inopiam ciuem ſuum habere nequit, ut aliunde ſit accerſendus. Verumtamen non eſt improbandus mos Hiſpanicus, quẽ certis in municipijs patriæ ſuę ſeruari, narrauit Petrus Royſius Maureus, uir clariſsimus, & ob ſingularem doctrinam ac iuris prudentiam inter eos qui cauſas iudiciarias cognoſcunt, à rege relatus. Mos inquã ille, ut nemo in eo municipio iudicet, ex quo ortus eſt. Cùm enim ſanguinis communio, neceſsitudines, amicitiæ, inimicitiæ, uel inter uiuos contractæ, uel à maioribus quaſi per manus acceptæ, multorum hominum mentes à recto aberrare faciant: citius iudex inter eos ius rectè dicet, inter quos amicitias uel inimicitias habeat nullas. Itaq; non immeritò oratores tetrarchiæ Mazouiæ nobiliſsimæ quodam in cõuentu poſtularunt, ut ſuarum cauſarum cognitio non ſolis domeſticis permitteretur, ſed extranei iudices & alienigenæ eos iudicarent. Hic mos ſi reciperetur, tempus quoq;, quãdiu aliquis iudicis officio fungi deberet, præſcribendum eſſet: ut officio defunctus, ad ſua redire poſſet. Illud quoq; legibus Romanis cauetur, ut eiuſmodi iudices poſt depoſitam adminiſtrationem quinquaginta dies reſideant: ut interea fiat legitima cognitio, num quem iniuſtè condemnarunt: ac pro modo delicti puniantur, ablata etiam nequiter in quadruplum per eos reſtituantur: ut duplum ſpoliatus accipiat, duplum theſauro Reipublicæ addicatur.

C. de aſſeſſoribus. L. conſiliarios.

5 Sufficit uni unus magiſtratus: aut ſi plures, certè nõ diſcrepantes. Quomodo enim aliquis unus poteſt eſſe præfectus plurium municipiorum, cum duobus in locis ſimul eſſe non poſsit? intereſt autẽ

uniuſ-

uniuſcuiuſque prouinciæ, ut ſuum ſemper ſibi habeat præfectum. Sed ante omnia regis electio præſcribatur: quis eligendus, à quibus, quibus rationibus. In lege diuina ſic ſcriptum eſt: Si ſtatueritis uobis creare regem, more aliarum uobis finitimarum gentium, eum creatote quem Deus uobis elegerit, uidelicet de ueſtra conſanguinitate: necꝫ uobis licebit, hominem uobis præficere extraneum, & alienigenam. In his uerbis conſiderare licet, Deum, qui aliorum magiſtratuum electionem populo commiſerit, ſibi ſoli regis electionem reſeruaſſe. Facilè enim migrat regia poteſtas in tyrannidem, niſi uiro perfectæ uirtutis cõmittatur. Itaqꝫ Deus populum illum prius à ducibus & iudicibus gubernari uoluit. Pòſt uerò regẽ illis improbè petentibus, non ſine indignatione conceſsit, inquiens ad Samuelem, eorum cauſam agentem: Obtempera populo poſtulanti: non enim te, ſed me abijciunt, ne ſint ſub regno meo. Etſi enim regia poteſtas maximè in terris diuinam poteſtatem repręſentat: tamen quia illa plena & ſuprema eſt, facilè ob impunitatem ad inſolentiam imperij delabi ſolet. Itaqꝫ improbitate petitorũ extortam à ſe ſignificare uidetur Deus, potius quàm iuſta ratione impetratam. Præcepit etiam, ut ea ad neminem niſi ſe conſulto deferretur. Simul addidit, ne alicui alienigenæ mandaretur: quòd eiuſmodi homines non eo modo erga nationes alias ſolent eſſe affecti, quo in ſuas. Itaqꝫ prudenter apud Gallos, & quaſdam nationes alias, aliquot familiæ uetuſtiſsimæ ſelectæ ſunt, ad quas regius honor, ſtirpe regia deficiente, deferretur. Sic enim & extraneis pręripitur anſa ambiendi imperia nationũ diuerſarum: & domeſticis metæ quędam conſtituuntur, intra quas ſe cõtineant regibus eligendis. Non incommodum autem fuerit, eas in eligendo rationes uſurpare, quæ à nobis in Epiſcoporum electionibus præſcribuntur. Iam ut cauſas tyrannidis Deus præcideret, facultates regum non uult eſſe immoderatas, ſic inquiens: Rex ne multos equos, ne multas uxores, neue argenti auriꝫ multum habeto. Cumꝫ ſine ope diuina ſingulari, nemo hac poteſtate rectè fungi poſsit, iubet ut rex ſemper legẽ Dei ob oculos habeat, de ea noctes diesꝫ cogitans, ut ne cõtra ſuos populos animo inſoleſcat, neue de diſciplina ad dexteram aut ſiniſtram deflectat. Igitur de ratione eligendi regis, legibus præſcribatur: & quod eius officium, de uxore item eius, & de dote, quibus in fundis ſit collocanda: & de filiorum eius educatione, diligenter præcipiendum, qui ſcilicet patris hęreditatem olim cernere uelint. Væ terræ, ut ait diuinus uates, cuius rex puer eſt. Nihil autem refert, ætate ſit puer, an moribus. Ergo legibus ſanciatur, de regũ filijs educandis: & nutrices, & magiſtri, & ſtudiorum ſocij, & colluſores, publico ſenatus conſilio eis addantur. hominum laſciuorum, ſcurrarum, ebrioſorum, adulatorum turba procul ab eis pellatur:

6

Deut. 17.

1. Reg. 8.

ne tanquam fontem publicum (ut inquit ille) unde omnes bibere cogantur, inficiant ueneno suo, principis tenerũ animum, unde tan
7 dem infinita hominum multitudo inficiatur. Describantur etiam legibus officia singulorum magistratuum, quid illis agendum, quatenus, quomodo. Et actio gesti magistratus quotannis publicè illis intendenda: & pœnæ seueriſsimæ, si quid in officio deliquiſſent, constituendæ. Et hîc legem pecuniarum repetundarum comprehendo. Et hæc quidem de ijs, qui sint cum potestate.

CAPUT VII.

Leges de personarum priuatarum discrimine.

POST hæc de priuatis personis agendum, ac earum uarietate: quę sui, quę alieni sint iuris. quod sit ius eiusmodi: & quomodo uel acquiratur, uel soluatur. Et hîc de potestate patria, & herili: quam uel pater in filium habeat, uel dominus tum in seruum, tum in colonum, tum in quemuis hominẽ sibi subiectum: de ea item, quam maritus in uxorem. Itaq; & de nuptijs leges ponendæ, & de diuortijs, & de manumiſsionibus, & de patria potestate soluenda. Post hæc, de pupillis, atq; adeò tutoribus & curatoribus. Ad hæc, etiam de discrimine plebeiorum & nobilium: id'que tum eorum quibus est nobilitas natiua, tum quibus donata. Qui uirtute clari sunt, ac magnis in Rempublicã meritis illustres, ij quamuis ignobilibus orti sint parentibus, pro nobilibus habendi sunt. Res enim ipsa, uel hominibus inuitis, nobilitat eos. Contra rerum uerò naturam pugnare, hominum est stolidorum & malorum de quo aliàs à nobis latius diſseretur. Confusio illa nobilium cum militibus, nescio an sit improbanda. Profectò milites non nascuntur, etiam si nobiles nascantur. Et quemadmodum aliud est esse in uiris doctis, aliud in filijs doctorum: ita aliud est esse militem, quàm filium militis. Militaris honor partim meritis acquiritur in Remp. partim certis ceremonijs: quorũ uerba solẽnia memorantur Lepſſy rycerz niz Panoſſá. quibus significatur, potiorem cõditionem esse militis quàm ingenui. Tales honores à regibus conceduntur etiam ijs, qui nobiles nati sint: non est igitur idem, nasci nobilem, & esse militaris ordinis. Multa legibus conceduntur militi, quæ negantur alijs hominibus. Itaq; discrimen constituendũ est militũ & nobiliũ: nec uulgo nobiliũ, titulus militis tribuẽdus, quẽ nunquã meriti sint.

CAPUT VIII.

Leges de dominio, & de rerum discrimine.

SEQVITVR iam tractatio illa de dominio, ac de rerũ discrimine. Varij autem recensentur modi dominij acquirendi, partim gentium, partim ciuili iure introducti & recepti. deinde alij quibus bonorũ uniuersitas, alij quibus

bus res singulæ acquiruntur. In prioribus numeratur aditio hæreditatis seu testamento, seu ab intestato nobis relictæ: ex posterioribus sunt, usucapio, præscriptio, legatum, & fideicommissum. Hîc etiam & de directo, & de utili dominio agitur: illud habent domini fundi, seu feudi: hoc clientes, & uasalli. item de quasi dominio, & de iure in re: quæ affinia dominij censentur. Hæc & alia huc pertinentia, copiosissimè à iurisperitis pertractantur.

CAPUT IX.

Leges de contractibus & obligationibus.

POSTEA sequantur leges de contractibus, ex quibus obligationes nascuntur: quæ quidem pars latissimè patet. Vix est enim aliqua hominum inter ipsos actio, quæ non emptione, uenditione, permutatione, donatione, conductione, locatione, stipulatiõe, fideiussione, mutuo, commodato, deposito, pignore, & id genus alijs contineatur.

CAPUT X.

Leges de iniurijs quæ uerbis fiunt, aut re. 1. Curandum ut humiles homines sint quàm minimè opportuni iniurijs: utq; cuilibet potestas sit accusandi eos, qui iniuria aliquem affecissent. 2. Leges scribendæ in conuiciatores & percussores. 3. item in uiolentos, in adulteros, in fures. 4. item in homicidas. 5. item in reos maiestatis. 6. item in fœneratores, ambitiosos.

ITAM de iniurijs constituendum est, de ijs quæ tum uerbis tum re fiunt: omnes quidem pro natura uel peccati uel peccantium, damnis, ignominijs, uinculis, uerberibus, exilijs, seruitute aut morte uindicãdæ sunt. Ac illud diligenter curandum, ut homines humiliores sint quamminimè iniurijs opportuni. Multi & nobilium & diuitum præcipites feruntur ad iniurias plebeijs inopibusq; inferendas. illi si pecunia multentur, nihilo fiũt meliores: ideo uel carcere dierum plurium coercendi sunt, uel alicuius ignominiæ nota afficiẽdi. Nemo existimet ullum, quantumuis tenuem hominem, talem esse, ut iniuriam inultam impunitamq; non iniquissimo animo ferat. Quod etsi in præsens necessitate celare cogatur: tamen uerendum, ne odium inueteratum temporibus ad perniciem Reipub. erumpat: præsertim cùm omnis hæc natio tenuium, contemptu sui ac impunitate, uideat se iniurijs expositam esse. Quocirca consulendum est, ne impunitate iniuriarum odium & furor tenuium alatur & inueteraſcat: atque etiam, ut quo quisque ditior ac maior dignitate existit, hoc acerbioribus, aut certè iustis & debitis pœnis ab iniurijs deterreatur. Solon Salaminius rogatus, quanam ratione effici posset ut quamminimum iniuriarũ inter homines existeret: Si, inquit, qui iniuriam passi non sunt, perinde

inde doleant, atq; hi qui passi sunt. Salubre prorsus responsum, & prudente legislatore dignum. Cùm enim natura ita comparatum sit, ut nemo hominum in solitudine uiuere possit, ne si copijs quidē rerum omnium affluēret: fit, ut in societate hac ciuili, communicationeq; sermonum, consiliorum, ac operum, tanquam membra in corpore uno Reipub. omnes libentissimè acquiescamus. Quis igitur non existimet, cùm membrum corporis huius læsum fuerit, se quoq; læsum iri? quis uiolato uno ciue, non uidet leges uiolatas esse quæ toti seruiant Reipublicæ? Sic igitur Solon homines ab iniurijs arcendos putabat, ut omnibus faceret, quibus uoluntas & facultas foret, potestatē reum accusandi, & iniuriam iudicio persequendi. Assuefaciebat nimirum omnes in eadem Repub. manentes, rebus quidem bonis ciuis sui lætari, malis autem angi & laborare. At nunc, dum aliquo uiolato omnes animo sunt ocioso, nonnulli etiā aliena calamitate gaudent, impunitas nimia multos reddit deteriores, & ad iniurias audaciores. Omnium autem maximè decet nos, qui cœlesti doctrina imbuti sumus, præceptum magistri nostri mēte uolutare: quo iubemur, ut ne faciamus alijs quod nobis fieri nolumus. Tales nos igitur aduersus alios præstemus, quales illos erga nos fieri uelimus. Si iniuriam ab alio ferre molestum tibi est, & qui fecit scelestus tibi uidetur: idē de te quoq; iudices, te, si fortè in aliū iniurioſus esse pergas, & sceleratum esse, & dignum qui pœnam sceleris soluas. Hoc præceptum si altius insederit animis nostris, ab in-

2 iurijs nos deterrere poterit. Conuicia, quibus ordo aliquis totus proscindatur, grauiora sunt, quàm quæ fiunt homini priuato: quæ si literis cōsignentur, instar famosi libelli habenda sunt. Vt eorum, qui nuper stylo non tam atramento quàm ueneno tincto, publicè scripserūt, plebeium sanguinem nunquam amicum esse nobilitati. Et hoc igitur legibus prohibeatur, & de alijs conuiciorum generibus, de maledictis, pulsationibus, mutilationibus, & omni turpitu-

3 dine qua uita cuiusquam uioletur, leges scribātur. Omnis uis iniusta seu rebus seu personis illata, nescio an alia pœna iustius, atque capitali uindicetur. Adulteria, furta, periuria, talia sunt crimina, quæ nemo non putet acerrimis pœnis esse uindicanda. Sed tamen furtorum pœna usitata moderanda uidetur, ne minimarum etiam rerum fures uita priuentur. Lege quidem Romanorum ueteri fures manifesti quadruplo, non manifesti duplo: diuina uerò, pro rerum furto ablatarum uarietate alij quintuplo, alij quadruplo, alij duplo puniebantur. Qui soluendo non erant, uel seruitijs eius, cui res sustulissent, addicebantur: uel ijs uendebantur, qui ex huiusmodi mercibus facerent quæstum. At dices, rem hanc crudelitatis plenam fuisse, hominibus uendendis mercaturam exercere. Verum quidem: sed et hoc nihilo est mitius, uitā homini pro rebus fortuitis eripere.

Instit. de obli. quæ ex del. nascuntur.

eripere. Atqui lege diuina disertè edicitur, Si fur non habet unde reddat, ipse uenundetur. His enim modis damnū resarciebatur, seu dupli restitutione, seu addictione, aut uenditione furis. Hodie nec ad eū cui res ablata est, quicquā redit: & fures sunt nihilo rariores. Interea & Resp. commodis priuatur, quę ex dānatis prouenire possent, uel in bellis, uel in laboribus domesticis: et ipsi fures nihilo meliores, in furcam mox tolluntur: fortè emendatiores futuri, si uita eis qualiscunqꝫ proferretur. Nunc quidem uniuersa Christianorū Respub. fures suspendio punit: quam pœnam à Friderico Tertio imperatore Romano primùm excogitatam accepimus. Eandem, à maioribus nostris in hac Repub. usurpatam. Mirum uerò, qui emolumēto illo uel ex solutione, uel ex furis addictione neglecto, in capitalem pœnam consenserunt: eosdem pœna eadem in homicidis reiecta, ad quæstum ex cædibus amicorū faciendū, animum inducere potuisse. Quasi pluris faciendas putauerint res fortuitas, uitis hominum: plusqꝫ eis perditum fuerit rerum ablatione, qꝫ amicorum interfectione. Exod. 22.

Nos uerò pœnā capitalem homicidio conuenientissimā esse, eandemqꝫ cum diuinis, humanis, & naturę legibus maximè cōgruere, Orationibus editis quatuor demōstrauimus: ac etiam in illis ostendimus pœnarum uarietatem, pro causis uariis homicidiorum. Qui hominem occidit, aut id fecit consultò & cogitatò: ut qui hoc scelus meditatum quasi domo extulit, atqꝫ ob id uel uiam eius quem occidere constituit impediuit, uel occasiones captauit omnes occidendi. Aut non consultò, sed repentino aliquo motu: ut accidit in rixis & colloquiis mutuis, inter eos natis, quorum neuter alterum prius odisset. Tertium genus est, quod cōmittitur ab aliquo defendendi sui causa: ut cùm quis ab insequente in eas loci angustias adducatur, unde incolumis euadere non posset, nisi occiso persequutore: huiusmodi homicidium necessarium esse uidetur. Quartum genus homicidij est fortuitum, quod repentino aliquo casu & quasi temerè accidit: præter uoluntatem omnem, & cogitationē eius, à quo patratum est. Primum homicidium uocemus deliberatum & cogitatum, alterum repentinum, tertium necessarium, quartum imprudens & fortuitum. Priora duo capitalia sunt, posteriora minimè: nullum uerò horum pecunia uindicatum est. de quo, quoniam testimonia multa in Orationibus copiosè exposuimus, ideo satis sit in præsentia quædam attigisse ex oraculis diuinis, quæ sic ad uerbum habent. Num. 35. Ne ab eo qui reus est sanguinis, precium accipitote: sed statim morte plectitor. Genesis 9. Qui hominis sanguinem effuderit, ipsius quoque sanguis funditor. Quod à Christo sic dictum est: Omnes qui gladio utātur, gladio peribunt: Matthæi 26. Exodi 21. Qui hominem ita percusserit ut moriatur, capite plectitor. Ei autem qui non tetendit in- 4

» sidias,sed Deus illum destinauit in manus eius,statuam locū in quē
confugiat. Et hoc quidem homicidium fortuitò & sine consilio pa-
» tratum,fusius describitur Deut.19.his uerbis:Qui proximū per im-
» prudentiam percusserit,quem antea non oderit:ut si quis in syluam
» lignatum profectus,manum ad succidendum arborem admouerit,
» ferrumq; è capulo elapsum in proximum inciderit,atq; eum feriens
» necauerit, is ad aliquod oppidorum ad id delectorum confugito,
» & uitæ suæ consulito:ne fortè uindex sanguinis,dum feruet animo,
» insequens homicidam,si uia sit longior, eum comprehendat, & ui-
» ta priuet: qui tamen mortem non commeruerit,eo quòd non est o-
» dio prosequutus hominem qui occisus est. proinde certa oppida
» perfugij deliguntor,& separantor. De eo porrò qui aliquē defen
dendi sui causa occidat,non est explicatè (quod sciam) in Bibliis sa-
cris: sed lex est naturæ inscripta,& in Lascio copiosè exposita,Vim
» ui repellere licere. Qui uerò (pergit summus legislator edicere,
» Exodi 21.) de industria occiderit proximum suum,is uel ab ara mea
» ad necem auellitor. Ergo seu quis telo ligneo,ferreóue,seu saxo ma
nuario,seu manu proximum hostiliter pulsauerit, ita ut ille moria-
tur,pulsator homicida esto,morte plectitor: nullus ei portus, nul-
lumq; perfugium esto in ijs urbibus quæ asyli iure ijs tantum con-
cessæ sunt, qui proximum imprudenter trucidassent. Hæc enim in
libris Numerorum luculenter descripta sunt capite 35. Quod ca-
» put Deus concluſit ferè his uerbis: Ne precium recipitote, nec ob
» uitam,ab homicida,qui crimen capitale admisisset: nec ob domum
» reditionem,ante mortem summi pontificis,ab eo qui in asyli sui op-
» pidum confugisset. Ne terram polluitote,quam incolitis. Sangui-
» nis enim effusione maculatur terra: nec potest à sanguine in ea fuso
» expiari,nisi per sanguinē eius qui fudit. Ne ergo contaminatote ter
» ram,in qua habitatis,in cuius medio & ego habito. Ego enim Do-
» minus,qui habito in medio uestrûm, ô filij Israelis. Vsque eò au-
tem,id quod dixit sanguine sanguinem expiandum,ratū & firmum
esse uoluit Deus, ut etiã si cædis patrator ignoraretur, uitulæ occi-
sionem ciuitati,quę proxima esset loco ubi cadauer repertū esset,ad
Deū propitiandū imperauerit. Multa alia testimonia sunt in scri-
pturis,de pœnis homicidarū. Ac omniū quidem pœnarū ratio de-
bet esse illa,ut improborū audaciã ac nocendi facultatem reprimãt,
& à peccando deterreant. Cùm igitur parū grande,parumq; uitan
dum scelus putetur, quod redimi pecunia possit: certè lex homici-
diū pecunia redimi iubens,non lex,sed Reip.labes, ac naturę huma
næ pernicies putanda est. Quis enim fando satis exprimere queat,
quot calamitates eam consequutæ sunt? quæ hæresim tristissimã in
hanc Rempub. inuexerit: quæ rabiem improborum semper arma-
uerit: quæ quietos & innocentes periculis exposuerit: quæ uulgi
nobi-

nobilium audaciam confirmauerit: quæ seruitutem acerbissimam plebi imposuerit: quæ seminarium perfidiæ, discordiæ, seditionis, belli intestini in se semper continuerit. L. Neracius (ut narrat Marius Salamonius iurisperitus nobilis) cum ferre nō posset, lege XII. tabularum iniurias XXV æris pœna uindicari, seruum cùm lacculo assium sequi se iussit, ipse obuios cædebat: & mox singulis singulos XXV asses pendi iubebat. Inde admoniti Prætores, de æstimandis iniurijs edicta posuerunt. Imitantur permulti locupletes nostrates Neratium infamanda lege Polonica: qui quot centena marcarum numerare possint, tot uiros nobiles: quot dena, tot plebeios interficere ausint: nec quicquam plerisque usitatius est, quàm ut de cęde eius quem odio persequantur, consilia ineant. Et tamē nulli ad hūc diem Prætores, nulli Tribuni, nulli Senatores apud nos uisi sunt, qui seriò ad mulctam homicidio dignam animum adijcerent. Profectò pecuniosus homo nullam pertimescit culpam, quam numis redimere possit. Odium uerò exaturare suum, an nō dulcius est improbo homini, quàm magnam pecuniæ uim perdere? Sed rhetorissant quidam, pœnæ Polonicæ seueritatem exaggerando: si quidem in carcerem annuum homicidæ cōijcerētur. Putas'ne tu Deū pœnas ulli sceleri irrogare uoluisse ęquiores, atq; homicidio? Non tantùm hominis innocentis cædem capite sanxit, sed & nocentissimi: id'que usque eò, ut de Caimo fratricida, summa animi anxietate presso, omniaq; ob cędem à se commissam metuenti, ita edixerit: Si « quis Caimū occiderit, septuplo punitor. Quæ uerò hæc est pœna « septupli? an aliqua alia quàm capitalis? Atqui lex illa æterna est humano generi diuinitùs data, caput capite uindicans. Quę igitur est hæc pœna, nisi capitalis septemplex? ut si Caimi interfector septies interfici posset, septies interficeretur. Quòd si grauior excogitari posset pœna, quàm sit capitalis, utpote numi Polonici cum carcere annuo cōiuncti, certè Deus eam proposuisset. Sed ita res est: prę-sentis mortis cogitatio, animos quantumuis feroces à facinoribus abstrahit: mortis securitas, cum spe elabendi ex pœnis alijs seu carcerum seu numorum, malos animos irritat ad maleficia. Quot homines interfecti sunt memoria nostra, domi & foris, in urbe & in agro, in profanis & sacris locis? Quis autem, quæso te, erat homicidarum, qui non euolarit ex uinculis istius carceris annui? Sed fac in tot centenis fuisse aliquem unum, qui sordes annui carceris pertulisset, quo tandem mortis genere ille perijt? Num istius pœnæ Polonicæ iusta exolutione, liber fuit à pœna homicidis diuinitùs constituta? Ita quidem uidetur: siquidem carceres isti grauiores sunt capitali. Quòd si & ipse interfectus, an non quasi cœlesti signo orbi Sarmatico declaratur, carceres istos minimè pares esse delicto homicidæ? An igitur non æquius erat, magistratum de isto

w. de iustitia et iure. L. omnes.

(quem in tot centenis diximus unum) pœnam sumere legi diuinæ congruentẽ, q̃ ut ueniret in manũ interfectoris: quẽ & ipsum similia manere fata, Deus ipse edixit? Ne simus igitur prudẽtiores Deo illo, qui qua prudentia res condidit, eadem illas uult conseruatas. Age nunc, sit iste carcer annuus grauior pœna capitali, cæde hominis nobilis uindicanda: quid autem cæde plebeij fiet? Hæc enim tantùm pecunia uindicatur, & quidem longè minore q̃ cædes nobilis: ut etiã si qua appareat æquitas in cæde huius, in illius maxima est iniquitas. Ita & numorum imparitate, & carceris omissione, diuersitas est summa cædibus hominum æstimandis. Deus quidem ipse, pœna capitali homicidis adscribenda, simul addidit causam, inquiens: Quoniam ad Dei imaginem factus homo est: ideo qui hominis sanguinem effuderit, eius quoq; sanguinẽ effundi necesse est. Quid igitur, an homines plebeij non ad Dei imaginem cõditi sunt, quorum cædes minoris penduntur? Satis sit plebeijs, quamuis uirtute & bonis artibus præstantibus, omnem potestatem summorum Reip. honorum ademptam esse: hãc q̃ quasi capitis diminutionem quandam eos pati, ne addatur eis extrema hæc & omnium acerbissima calamitas, ut eorum cędes tantula mercede redimantur. Profectò Resp. solis nobilibus florere non potest. Quis enim suppeditabit alimenta & nobis, & multis pecoribus, si nulli agricolæ erunt? quis amictum & ornatũ, si nulli opifices? quis res necessarias importabit, si nulli mercatores? Quis denique erit nobilis, si nulli plebeij erunt? Quæ igitur, malum, crudelitas est, ut, quorum opera carere nullo modo possumus, eorum uitas tantuli faciamus? Sed su prà etiam improbauimus pœnarum pro eodem scelere à diuersis perpetrato diuersitatem. Non minus & illud improbandum, homicidam quidem interuallo horarum XXIIII, à patrato homicidio comprehensum morte mulctari debere: lapso illo interuallo, non debere. Quid enim? magis tum sumenda supplicia sunt de facinorosis, cùm animus est recenti iniuria incitatus, q̃ cum est sedatus? Plato quidem, & cum eo maximi philosophorum, id iustè fieri posse pernegant: itaq; ne hero quidem stomachanti in seruũ delinquentem, animaduertendum putant. Quid quòd Theodosius imperator Romanus, impulsu Ambrosij episcopi Mediolani edixit, ut supplicia in facinorosos per dies triginta extraherentur. Etenim cùm Theodosius Thessalonicẽsib. iratus, plures q̃ æquũ esset necari iussisset, nõ potuit id nõ grauiter ferre Ambrosius, uir diuinus: ac Theodosiũ rebus sacris, templiq; ingressu instituit arcere: nec prius eũ in Ecclesiã & ritus diuinos admisit, q̃ ille pœnitentiæ signa publicè edidisset: omnia homicidis præscripta expleſſet: legẽq; etiã tulisset, ne quis deinceps, mandato principis de puniẽdis sceleratis, obtẽperaret, nisi lapso triginta dierũ interuallo. Consideret mihi quisq;

uultum

uultū & geſtum iratorum. Ore ſunt tumenti, facie torua, oculis fulgurantibus, lingua titubante, uerbis perplexis & furentibus: quicquid in manum ſumunt, uertunt in telum. Facilè quidem hæc ſigna monſtrāt, quomodo animus ſit affectus hominū iratorum. Nullus apud eos locus eſt prudentiæ, nullus conſilio, nullus rationi. Fecit igitur Ambroſius, homo doctus & experiēs, ut cōmotioni preſenti indulgendū minimè cenſeret: tempuſq; aliud expectandū ſumendi ſupplicij, cùm tempeſtates illę animi ſedarentur, feruores ſanguinis extinguerētur, locusq; eſſet rationi, prudentię, bonis conſilijs: quēadmodum ab Ariſtotele præclarè dictum eſt, animum quieſcentē, omnibusq; perturbationibus uacuum fieri prudētem. Cōtrà quid illæ XXIIII horæ efficiunt, quàm furorem incitant ad ulciſcendi auiditatem, tumorem'que mentis plus ſatis elatum celeritate cumulant? Optandum eſſe ait Cicero, ut qui præſunt Reipub. legum ſimiles ſint: quę ad puniendū non iracundia, ſed æquitate ducuntur. At iſtę horæ nō uolunt nos æquitatis miniſtros eſſe, ſed furoris: nō rationis ac prudentiæ, ſed doloris, impotētiæ, ac inſaniæ. Necq; deſunt, qui tantam ueſaniam ornent uirtutis nomine: fortes eos appellantes, ac magnanimos, qui ſuam uel amicorum iniuriam mox ultum eant. quod à nobis primo libro, uanitatis plenum eſſe, oſtēſum eſt. Quid autem illud, quod de tempore 24 horas ſubſequente additur? non iam tum impunè fore, ſi quis homicidam cōprehenſum occidiſſet. Scilicet omnia aptè cohærent. Tempus aduenit, quo homicidium, quod interuallo ſolennium horarum erat capitale, iam non ſit capitale. Quid ita? Quia rabies, ira accenſorum, nonnihil reſedit. Rationi iam locus eſt aliquis: adſunt monitores, qui nos ad lenitatem excitent. Fiat igitur iam ex capitali crimine, non capitale: ſed nobis utile, & fructuoſum. ô præpoſterum iudicium, quantam habes licentiam in hominibus, qui diuinis & populorum legibus contemptis, tantum ſibi tribuant, ut immodica ſui cura ad tot abſurda delabi non uereantur. Quæ quidē abſurda & indigna ſunt longiore cōfutatione, & ab omnibus liquidò perſpiciuntur. Verè illud dicitur, ueritatem ſimplicem eſſe debere. Cumq; in lege, quæ de agimus, tot diuerſitates comprehenſæ ſint, & perſonarum pro uno ſcelere eodem modo à diuerſis perpetrato nō idem ſoluentiū, & horarum ac temporum ad comprehendendum homicidam conſtitutorum: quid aliud de conditoribus huius legis cogitari poteſt, quàm nec ueritatem illos ſequutos eſſe, & temporibus quaſi talorū iactu, hoc eſt caſu, nō certa ratione ad tot abſurditates excogitādas gubernatos? Deſerta enim ratione, lege diuina & naturę contēpta, quid aliud reſtat, cū ut nos caſibus & temeritati regendos demus, & gubernādos? Addunt & illud, eum qui nulla cędis denunciatione præmiſſa hominē ſine cauſa occidiſſet, infamē fieri: qui uerò cædem

dem prius denunciaſſet, eum infamiam uitare. Quid igitur, an denunciatio illa crimen extenuat? an non pleraq; uerba inſignem alicuius nequitiam teſtantia perinde plectuntur, atq; ſi crimen ipſum admiſſum eſſet? qui ignem alicuius ædibus denunciat, comprehẽſus & conuictus, mox capite plectitur, uel ſi ædes illas nunquam exuſsiſſet. Cur non eodem modo punitur, interminãs alicui mortem, etiam ſi illum non occidat? Nihil eſt in hac lege homicidiaria adeò cautum, quod non cum ratione pugnet, cum lege diuina & populorum. Sed hæc omnia canuntur ſurdis auribus: nihil moramur tot accuſationes: uiuimus in magna ſecuritate: nihil nos tangit afflictio plebis, in quam hæc potiſsimum lex poſita eſt: nihil mouet ſanguis hominum iniquè occiſorum, qui clamat ſemper in cœlum, ac gemitibus inenarrabilibus uindictam flagitat cùm de homicidis, tum de ijs qui iſtam legem tuentur gladium homicidis pro pecunia porrigentem. Quo magis metuenda eſt ſubita aliqua uis cœleſtis, quæ tanquam uehemẽs procella ex alto ruat: nosq; omnes, domos, familias, ipſumq; nomen Polonicum ab radicibus imis euertat atq; conterat. Hæc quidem quaſi in deſperatione à nobis dicuntur: qui tamen non ideo ceſſabimus in noſtro munere, itaq; ad reliqua per-
5 gamus. Multi partim uerbis, partim alijs iniurijs uiolare ſolent & principem & Rempublicam, quod quidem crimẽ maieſtatis uocant. de eo itaq; aliquid dicendum. Multa autem de eo noſtra tempeſtate & in foro & in Senatu agitata ſunt, maioribus noſtris (ut ferunt) inaudita. ideo de hoc aliquid certi conſtituendũ: quibus quaſi limitibus comprehendẽdum, & quibus pœnis uindicandum ſit.

C. Si quis imperatori maledixerit. L. unica.

Theodoſius quidem imperator, obtrectatores laudum ſuarum tantum abeſt ut maieſtatis crimine damnandos putaret, ut neq; durũ aliquid, neq; aſperum eos ſuſtinere uellet: ac maledictum in ſe iactũ, ſi ex leuitate proceſsit, cõtemnendum: ſi ex inſania, miſeratione dignum: ſi ab iniuria, remittendum eſſe cenſeret. Imperatoria ſanè, & maieſtatis plena ſententia: qua declaratur, hominibus in ſumma dignitate conſtitutis, multas iniurias negligendas eſſe, multaq; multorum maledicta perferenda. quemadmodum & Alexander Macedo dixiſſe fertur, Regium eſſe, cum bene feceris, malè audire. Neque enim eſt ex principis dignitate, neq; è Repub. populares optimatesq; aſſueſcere, ut nihil dicant ſentiantq;, quàm quod principi placuit. Brutis animantibus imperet oportet, non hominibus ratione prædítis, qui uellet, ut ſubditi ſui ad eum modum aſſueſcerẽt. Si princeps es, ac uel ea quę te indigna ſunt facis, uel ea quæ ſunt officij tui negligis, in te culpam conferto, ſi pro eo ac meritus es, homines de te loquantur. ſin nihil in officio tuo laberis, nihilq; in rationibus uitæ tuæ delinquis, nihilo tamen ſecius audis, quàm ſi multa peccaſſes; tamen magnanimi uiri eſt, uere'que regij, ut inquit ille,

animi,

animi, malè audire cum bene feceris: sermonibus'que uulgi contemptis, omnem amplitudinem & dignitatem in uirtute & præclaris facinoribus positam existimare. Igitur si sentẽtiæ Theodosianę accedere libet, certè non omne crimen quod in principem committitur, non omne dictum, non omne factum, maiestatis erit. Alexander etiam imperator, cùm superioribus ante se temporibus multos uideret ob leuissimas suspiciones tanquam maiestatis reos punitos esse, restrinxit hoc crimen: nec adeò latè ut olim patêre, multas'que causas, quæ prius in hoc crimen uocabantur, suo seculo cessare uoluit. Itaqꝫ nobis committendum non est, ut causas criminis huius amplificemus: cùm *illi ipsi*, à quibus eius speciẽ sumpsimus, illud restrinxerint. Multa ab Herennio & Modestino de eo præcipiũtur. Nam & personam spectandam esse, an potuerit facere, & an quid antè fecerit, & an sanæ mentis fuerit: nec lubricum linguæ ad pœnam trahendum esse. quę quidem, & *plura alia, in* legibus Romanis prodita extãt. Nos uerò primùm definiamus maiestatem, ut quis eius læsæ argui possit, rectè iudicemus. Maiestas igitur est, amplitudo & dignitas Reip. principisqꝫ, ac eorum qui legitimè Remp. gerunt, ex opinione præstantiæ nata, in iure dicendo ac imperandi potestate cõsistens. Omnis enim dignitas magistratus huc spectat, ut iure ac imperio Remp. gubernet. Ergo qui iurisdictionem interturbat, aut iudicia uiolat, quiqꝫ uel impedit uel priuat magistratum potestate faciẽdi sui officij, is cùm faciat cõtra Remp. maiestatis iudicetur. In summa, is mihi reus læsæ maiestatis esse uideꝰ, qui aduersus uel principẽ, uel magistratum, uel Remp. uel eum cui pars aliqua Reipub. commissa sit, aliquid dolo malo, turbulẽter, seditiosè aut hostiliter fecerit, molitus'ue fuerit, unde præsentis status uel debilitatio, inclinatio'ue, uel mutatio in deterius cõsequi possit. Sed hæc melius ex legibus Romanis cognoscẽtur: quę etiam pœnã eius criminis ab eo qui hostili animo aduersus Remp. uel principẽ fuisset animatus, ad hęredes & liberos, uel qui nihil tale meruissent peruenire debere, nec eos ius succedẽdi habere, pronunciãt. Et hæc de maiestate. Insignes sunt & illæ iniuriæ, quibus fœneratores, auari & ambitiosi Rempub. afficiunt. Veteres quidem Romani seuerius fœneratorem, quàm furem, puniebant: legibusqꝫ sanxerant, ut fur dupli, fœnerator quadrupli condemnaretur. Legibus etiam Pontificijs cauetur, ut nulla sit eis factio testamenti, nisi primùm restituant usuras iniquè extortas. Et de hoc igitur legibus cauẽdum, & nimiæ tum opũ augendarum, tum honorum assequendorũ cupiditates coercendæ. Quod ita fiet, si & ambitiosi nota aliqua inurẽtur, & de diuitiarum æstimatione erit detractum. Videmus enim, quãto in honore sint diuites: illis maior tribuitur laus sapientiæ, fortitudinis: illis prima loca ab omnibus conceduntur; nihil illi dicunt, nihil

C. ad legem Iuliam. L. etiam ex alijs.

ꝫ. ad legem Iuliam, maiestatis.

C. ad L. Iul. maiestatis. L. Quisquis.

6

nihil faciunt, quod non uulgò laudibus singularibus efferatur. Atque illi gradibus suis, aureis scilicet & argenteis, ad summos honores ascendere contendunt: ad quos si detur eis peruenire, tum se aulæis, uestę preciosa, argento, auro, & numerosa familia, hoc est operibus diuitiarum, qui operibus industriæ & doctrinę non possunt, uisendos præbent. Profectò studio eiusmodi uel acquirendi uel ostentandi opes crescente, fortitudinem decrescere, exercitationem militarem cessare, discrimẽ fortium & ignauorum, solertium & inertium tolli necesse est. Cupiditas etiam honoris & magistratus, sua prà improbata est. Itaq; & hæc legibus prohibenda sunt, & omnes ad frugalitatis & parsimoniæ disciplinam reuocandi.

CAPVT XI.

Leges in luxum omnis generis.

IGITVR & leges sumptuariæ conscribantur: & luxus omnis, cibi, potus ac uestitus interdicatur: picturæ impudicæ, cantilenæ obscœnæ, unà cum authoribus, ex ciuitatibus ejiciãtur. qua de re primo libro dictum est. Et in ebrietatẽ aliquid decernatur: cuius in regno, fortitudinem amitti, ueternum omnia occupare, certum est. Ideo Mahometes, ut erat ad perspiciẽda pericula sagax, cùm Turcas suos natura molles & bibaces uideret, uino eis prorsus interdixit: cuius usum perniciem illis allaturũ putaret. Pittaci uetus lex ab Aristotele narratur, ut ebrij si quem aut conuicijs, aut plagis affecerint, aut modis alijs indignis acceperint, grauius puniãtur, quàm si id fecerint sobrij. Cùm enim plures sint qui poti alios iniuria afficiant, quàm sicci, è Repub. esse duxit, maiore supplicio eos coercere, qui ad peccandum magis, quàm qui minus proni essent. Nos contrà excusatione ebrietatis, minus seuerè insolentiam uinolentorum castigamus: cùm tamen ebrietas & ipsa digna sit per se animaduersione, & mater sit infinitorum uitiorum. Atq; hinc consequitur, perutile Reipub. esse, interdici importationem omnium quæ ad luxum pertineant: ut sunt illecebræ libidinum, ac gulæ irritamenta omnia.

Aristot. Polit. 3.

CAPVT XII.

Leges in ociosos.

AVD scio an sit in ociosos & ignauos lex aliqua ponenda, & eos qui curam nullam habeant merendi de re tum publica, tum priuatorum. Omnino uoce diuina sancitum est, unicuiq; uescendum esse pane in labore & sudore: & qui non laboraret, hic etiam ne manducaret. Itaque ignaui & fuci omnes aut pellantur ex ciuitatibus, aut alijs pœnis afficiantur: ad publica uerò munera nullo modo admittantur. Bonorum enim industriæ

inui-

inuident, aliena appetunt, rebusq; nouãdis semper studeant. Haud abre fuerit, singulos ciuium quotannis apud magistratum profiteri, quam quisque artem exerceat: unde sumptus faciat tum necessarios, tum liberales. Profectò obuiam hac ratione iretur multorũ luxui: omnes que à turpi ocio auocarentur, ad honestas actiones. Multi equitum, nonnulli etiam reliquorum ciuium, & sumptus maiores facere, & ministros plures quàm pro facultatibus alere consueuerunt. cum quibus ministris tum bonis alienis insidias struere, tum cædes committere non dubitant. Isti mores magna ex parte cessarent, si quisq; rationem cogeretur reddere & temporis transmissi, & rerũ à se gestarum. Qui uero uel falsò profiteri, uel arte iniusta uiuere compertus fuerit, hic iustis pœnis afficiendus est: atq; uel ad res honestas impellendus, uel ex Repub. eijciendus.

CAPVT XIII.

Leges de actionum & probationum generibus: de Diebus legitimis: de Feryis.

SVNT etiã leges cõscribẽdæ de diebus legitimis, de actionũ & probationũ generibus, de omni ratione litigandi, deq; forensibus ferijs. Prorogationes dierũ in nostris iudicijs receptæ, odiosissimæ sunt hominibus qui patiuntur iniuriã: ijs uerò qui intulerũt, optatissimę. Viderint igitur legislatores, quid de his constituant. Genera actionum diligenter secernenda sunt: nec personales, cum illis quæ in rem sunt, commiscendæ: nec ciuiles cum criminosis. Qui maleficium commisit, in eum competit actio personalis. Si est fluxæ fidei, comprehendendus est à magistratu: ac in custodia tantisper habendus, dum uel iudicatum solui tum Reip. tum parti læsæ satisdederit: uel à iudice de maleficio eius (fieri enim potest ut uix fide iussoribus, rebus uerò nullo modo caueri possit: quod in adulterijs, stupris uirginum, & similibus flagitijs accidit) iudicatum fuerit. Quid enim iactari attinet in eiusmodi delictis possessiones tuas quamuis amplas, ut ne magistratui, illarum ergo, manum in te inijcere liceat? Fecit impetum quispiam in domum tuam, uitiauit filiam tuam uirginem: occidit patrem tuum, fratrem, filium ue: patrator sceleris est equestri loco, agri diues, gratiosus: uocas eum in ius: dantur ei dies à iudice: multis ex causis prorogantur: cognitio in longum profertur. Ille interea scelere patrato, quoquouersum obambulat: fautores & ministros sibi cõparat: aduersum te ita se gerit, ut truces in te oculos conuertat, uoces impuras & minaces emittat, incessu ac omni corporis gestu terrere te, frangereq; animum tuum studeat. Semper armis cinctus, operis undiq; septus cum sicis, gladijs, sagittis incedit: cum illis & in iudicium se proijcit, & in conuiuia, & in templa. Si eodem in loco

tecum sit, primos ante te accubitus appetit. Si eadem uia tecum pergat, operarum multitudine te superare contendit. Si obuiam tibi fiat, aut de uia illi cedas, aut de uita cum illo dimices oportet. Vtrum igitur mauis: an ut sceleratus iste liberè uagetur, semperque capiti immineat tuo: an potius, ut ex uinculis dicat causam? Tu uerò ordini equestri id tributũ inquies, téq; id ferre, ut si quid fortè simile designasses, eadem libertate gaudere posses. Hinc illa patientia nimirum: & hæc causa est libertatis huius præclaræ, qua & sceleris patrator in præsenti fruitur, & tu in posterum speras te fruiturum. Vobiscum quidem, qui ad hunc modum affecti estis, nullis rationibus nullisq; authoritatibus agi potest: qui res odiosissimas ac periculosissimas, spe ijsdem fruendi, patienter toleretis. Verùm toleratis persæpe magno uestro malo. Videt enim, uidet Deus ille sceleratæ istius tolerantiæ uestræ impias causas: ideo in easdem foueas prius præcipitat uos, quàm uos alios præcipitetis. O duram conditionem & calamitatem nostræ Reipub. in qua & qui fecerunt iniuriam, & qui acceperunt, & qui ab ea sunt remoti, hanc ferant impunitatem uel spe turpis cõmodi, uel libertatis istius importunissimæ causa: hanc q; licentiam tolerent, quam pericula, calamitates & cædes teterrimæ cõsequuntur. Vos uerò, qui & patriæ salutem charissimam habetis, & ueræ libertatis ratione tenetis, mecũ considerate, quorsum attinet generis nobilitatem ac possessiones amplas in cædibus iactare? Valeãt possessiones tuę, cùm de terminis aut re uendicanda agitur. At quid illæ ad uerbera, uulnera, mutilatiões, cędes, quas tu commisisti? Iam ut horum minimè sis reus: tamen minus fortè iniquum fuerit innocentem ad tempus, dum crimen cognoscitur, comprehensum retinere, quam nocentem è manibus elabi, atque impunè uagari sinere: id q; Reipub. cõdonandum, in qua omnes priuatorum res sunt comprehensę. Nam quod aiunt quidam, uirtuti hominum equestris ordinis tantum tribui oportere, ut iudicio se staturos, & iudicatum soluturos (sine comprehensione) confidendum sit: id non ita esse, moribus usitatis coargui potest. Non enim uirtuti, nec generis nobilitati tribuitur hęc carceris immunitas, sed possessionibus. Qui eñ equestri loco nati, possessiones habent nullas, comprehenduntur, cum sceleris sunt accusati: qui habent aliquas, non comprehẽduntur: quamuis possessiones illæ tanti non sint, ut res, qua de agitur, uindicari ex illis queat. Illud uerò etiam permirum, qui legibus cauerunt, ut ne quis nobilis possessiones habens capiatur: non eosdem cauisse, ut ratio habeatur possessionum, an ex illis damnũ, cuius accusantur, recuperari possit. Interest itaque Reipub. ut facinorosi omnes à magistratu eius loci, ubi crimen admissum est, mox comprehendantur: nulla q; hac in parte nobilium & plebeiorum ratio habeatur, nisi ad eum modum,

modum, quem suprà expoſuimus, dum de pœnarum uarietate ageremus. Qui innocens captus cauſam dicere cogitur, condonet id Reipub. idem in eum, criminis inquirendi cauſa, conſtituenti, quod innocentem: de quo uix poſſet commodè uindicta ſumi, niſi caperetur, ſeq; conſoletur CHRISTI Domini noſtri exemplo, qui innocẽtiſsimus, capitis cauſam, captus à cohorte militum, dicebat: ſpemque reponat in ſua innocentia, fore ut tandem Deo propugnante, innocens declaretur. Scitum eſt autem: Non carcerem infamare, ſed crimen. Ac ne licentia cuiuis permittatur iniuſtè uel deferendi nomen alicuius apud iudicem, uel accuſandi, pœna conſtituenda eſſet tam in delatores, quàm in accuſatores. Iniquum enim eſt, eum de ſe nihil timere, qui alicui periculum malitioſè moliatur. Contrà nihil æquius, quàm ſi is qui alium in diſcrimen fortunarum, capitis aut famæ adducere non dubitet, intelligat etiam res ſuas, ſalutem ac exiſtimationem in diſcrimine uerſari.

CAPVT XIIII.

De iureiurando, teſtium examine: & de temerè litigantibus.

QVONIAM autem inter probationum genera iuſiurandum numeratur, ſine quo multæ graues cauſæ expediri non poſsint, ideo de eius religione diligenter ſanciendum eſt. Mos etiam ille teſtium iurandi de re ignota, qui ferè in finibus regundis & in iudicijs obſeruatur, abrogandus eſt. Solent enim ij ad iurãdum adhiberi, à quorum uel memoria uel cognitione res, de qua agitur, ſit remotiſsima: qui tamen putant ſe culpæ inſontes eſſe, cùm eum cuius res agitur, uident priorem iurantem. Quin potius uel eius, cuius res agitur, ſolius iureiurando ſtatur: uel uiri eliguntur graues, ſeu conſanguinei, ſeu uicini illius, qui illi iurãti adſint: ac ſi uiſum fuerit, etiam iurẽt, credere ſe illum uerè iuraſſe. Sanctiſsimus eſt mos ille iudicij eccleſiaſtici, in teſtibus examinandis. Quiſq; iureiurando obſtrictus, ſeorſim à ſcriba iurato examinatur. Vis iuriſiurandi illi exponitur. Rogatur, qua in Deum ſit religione. Eiuſmodi interrogationibus conſcientia & mores teſtis inueſtigantur, dignus'ne ſit cuius teſtimonio fides habenda ſit, an ſecus. Tum rogatur, an rem de qua dicturus eſt, uiderit, an uerò audiuerit tantùm? An ſit doctus ab aliquo de teſtimonio dicendo: & an cum alijs teſtibus de eo teſtimonio cõſilia communicauerit. Singulæ quoq; circunſtantiæ excutiuntur, locus, tempus, perſonæ, & id genus alia. Datur & poteſtas aduerſario dicẽdi tum de perſonis teſtium, tum de negocio ipſo. Iudicia Polonica, quod ſciam, carẽt hoc genere probationum. Qui enim teſtium nomine inducuntur, nihil putant ſua intereſſe, ſcire an res qua de agatur ita ſe habeat, an ſecus. Non malè ſe functos officio arbitrantur, ſi eum in cuius rem

iurant,priorem uiderint iurãtem. Omnino ad iurandũ,& teſtimonium dandũ,uiri graues, moribus probati & prudentes uocari debent.qui quidẽ ſciant ſe Deo honorẽ debitũ tribuere, cùm eum teſtem inuocãt,ac ueritati teſtimoniũ perhibẽt. Quod cõtrà fit hodie plerunq;.Qui enim moribus accerſuntur, prorſus ignoti ſolẽt eſſe, precio conducti,multarum rerum non dicendarum ſuſpecti, ac tantum nõ infames. In quibus nihil magis requiritur, quàm ut ſint nobili genere nati. ideo legislator de his uidebit. Theologorũ quoq; eſt,qui publicè docent populum in templis, uim & ſanctitatem iuriſiurandi explicare:atq; homines hortari,ut ſtudeant, quantũ in ipſis eſt,ueritatem iuuare:ac pro ueritate & Deũ teſtẽ citare, & omnium inimicitias perferre. Memini etiã,cùm duo in perniciem cuiuſdam alĩus cõſpirantes, cauſam in foro agerent. Cùm autem reo iuſiurandũ decretũ eſſet, petitor eiuſdem iuriſiurandi gratiã illi fecit: cõtentus uidelicet rei uoluntate,quam ille uultu,uoce,genuum flexu,& omni geſtu declarabat,ac ſi ad iurãdum paratus eſſet: itaq; iudex reum abſoluit. Sed res inter partes ſimulatè & ex compoſitò agebatur:omne enim incommodum ex abſolutione rei ad tertium, in quem faba illa cudebatur, redundauit. Erant in eo iudicio multa periniqua. Iudici impoſitum eſt: qui etſi doli illius fortaſſe ignarus non erat, tamen aliter iudicare non potuit, quàm ut cauſa erat inſtructa. Reus,periurij ſe reum minimè putabat: quod flexis genibus, uerbis non iuraſſet. quaſi uerò uerbis tantùm periurium committatur, non omni geſtu, quem perinde homines habeant atque ſi uerbis conceptis iuraſſes. Petitor uerò in quantos uitiorum gurgites ſe demerſit? Difficile eſt omnia explicare. Sed ita breui habendum eſt. Quicquid agatur ſeu uerbis, ſeu geſtibus, ſeu conniuentia, ſeu quauis alia ratione, fallendi alicuius cauſa,omne id in uitio ponendum eſſe. Omnes illæ ſignificationes non noſtra, ſed eius cuius intereſt gratia fiunt. Nemo enim ſua cauſa iurat, ſed alterius. Cui ut perſuadeat uerum eſſe quod aſſeuerat, Deum teſtem inuocat:eundem'que,ſi mentiatur,uindicem ſibi imprecatur. Non igitur uerba,non geſtus ad mẽtem tuam qui iuras, ſed eius in cuius gratiam iuras,ſunt interpretanda.deinde omnis atteſtatio,ſeu uoce ſeu nutibus fiat,cui diuina authoritas obtẽditur,iuriſiurãdi uim habere putanda eſt. Quæ atteſtatio ſi fiat fallendi alicuius cauſa, & à ſententia noſtra diſcrepet,mendacium eſt,& periurium. Qui periuria non exhorrent, illi de Deo parum rectè ſentiunt: nec eum res mortalium curare, nec impietatem ulciſci credunt. Hæc opinio opera præconum uerbi Dei ex animis hominũ eradicanda eſt. Diſcrimina etiam iuriſiurãdi diligenter annotanda ſunt. Quamuis enim omnis eiuſmodi religioſa teſtatio fiat, Deo immortali interpoſito tum teſte, tum uindice: tamen non omnis ad eundem finem

deſti-

deſtinata eſt. Qui calumniam iurat, quid aliud teſtatur, quàm ſe non per fraudem uincẽdi, fruſtrandi'ue cauſa alium litibus uexare: ſed ſuo animo teſte, putare ſe iuſtum & rectũ eſſe quod agat, dicat'ue? An uerò ſic iurans, confeſtim expediuit cauſam omnẽ? Certè non id comprehenſum eſt in formula iuriſiurandi illius. Nam qui dicit, ſe falſum crimẽ nemini ſcienter intendere, non eueſtigiò ſe rei, de qua agatur, dominum eſſe debere comprobauit. Alijs enim uijs ad rem uindicandam eundum eſt, quàm doli mali fraudis'que purgatione. Pergamus igitur de cauſis iuriſiurandi calumniæ loqui. Improbitatis eſt, & iniquitatis ſummę, uexare eum litibus, quẽ ſcias rei, cuius abs te arguatur, inſontem eſſe. Eſt autem in more multis, ut in ius uocati, multas aduerſario dicas impingant: tantùm ut multitudine ſuarum actionum obruant eum, ac ab agenda cauſa deterreant. Omnino igitur temerè litigantes, grauiter puniẽdi ſunt. Qui ſuſpectus ſit eiuſmodi temeritatis, ac potius peruerſitatis, is petẽte aduerſario iureiurando confirmet, ſe bona conſcientia perſequi ius ſuum: ſin detrectet, cauſa cecidiſſe iudicetur. Mulctare uerò eum qui uel exigat uel det iuſiurandum eiuſmodi, ſeu cuiuſuis generis, hoc nomine non liceat: niſi fortè falſò & contra animi ſententiam iuraſſe eum, planum erit factum. Qui enim uerum & ſanctum iurat iuſiurandum, honorem Deo tribuit: qui & teſtis ſolus ſit cogitationum noſtrarum, rerum'que occultarum, & ſeuerus ultor periuriorum. Mos etiam ille, quo uulgò milites utuntur iurandi per ſolem aut ſtellas, improbatur diuina uoce, cùm ſic dicit: DOMINVM Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ipſi adhęrebis, « iurabis'que per nomen illius. Et hæc quidem tum de iuſiurando, « tum de rebus alijs, ex plurimis pauca: ſed tamen, ut mihi uidetur, non inepta, & legibus uel emendandis uel ferendis non inutilia, libanda mihi in præſentia uiſa ſunt.

CAPVT XV.

De iudicibus, & iudicijs.

QVONIAM autem fruſtra leges ponerentur, niſi eſſent qui ex eis iudicarent: ideo iudices, legum miniſtri, in Rebuſpublicis ſunt conſtituti. quos & ipſos prudentiſsimos ac optimos uiros eſſe oportet, qui nec in hanc nec in illam deflectant partem, ſed ad leges & æquitatem oculos intendant. Debent igitur peritiſsimi eſſe legum, ex quibus iudicent. Ridiculum eſt enim, te ex legibus ſeu pontificijs, ſeu ciuilibus, ſeu quibuſuis alijs ſedere in aliquẽ iudicem, cùm rudis ſis legum illarum. Nec enim cæcus de coloribus, nec ſurdus de diſcrimine ſonorum iudicare poſſunt. Sunt autẽ uel præcipuæ iudicis partes, cauſam partis utriuſq;, petitoris & rei, exactè cognoſcere. Neq; eũ fieri poteſt, 1 2

neq; rerum natura fert, ut quis de rebus rectam ſententiam ferat,
3 quarum uel neutrã, uel alterutram tantùm cognitam habeat. Alteri partium fauere, alteri iniquiorem eſſe, nequaquam iudicis eſt: hoc eſt, eius qui ſe medium inter aliquos profiteatur: ſed eſt potius adulatoris, & iuſtitiæ peruerſoris. Itaq; Alexandro Macedoni in more fuiſſe perhibetur, ut ſi alterutra partium ad illum queſtum ueniſſet, unam illi aurem accommodaret: ſe enim alteram alteri partium integram ſeruare uelle dicebat. Quod & in Areopagitis in primis laudatur, qui in tenebris, non luci cauſas cognoſcebant: ut non dicentium, ſed rerum quæ dicerentur rationem habere putaren-
4 tur. Petitori inuito iudex formam actionis præſcribere non debet: ſed ut in poteſtate petitoris eſt actionem intendere cui uelit, ita integrum illi ſit, quouis actionis genere experiri cum eo quem accuſet. Qui iudex ſecus faciat, ſuſpicione huic bene, illi malè fauendi non caret: qua quidem re nihil eſt deteſtabilius in iudice. Sint pœnæ in accuſatores conſtitutæ, iniuſtè & parum uerecundè rem agentes, ſi cadant cauſa: potius quàm ut actiones inuitis illis uel mu-
5 tentur, uel præſcribantur, multo minus tollantur. Iudicis quoq; eſt, lites quantum poſsit extinguere, partesq; ipſas uel cauſa iam cognita ad concordiam hortari: nec ante ſententiã, quid ſentiat, quid'
6 ue mentis & animi habeat, ſignificare. Si concordia inter partes deſperatur, tum uerò iudex pro tribunali quanta maxima poſsit grauitate, ſanctitate, integritate eam ſentẽtiam ferat, quam ſummo illi & præpotenti iudici Deo ſe probare poſſe confidat: neutri partium faueat: nec eandem ob rem hunc fuſtuario, illum uerbulo caſtiget: ſolius ueritatis rationem ducat: hanc'que ſibi uiam ad illa beatorum domicilia tutam & expeditam putet. Quòd ſi quid ſecus quàm ueritas & iuſtitia ferat, dixerit, fecerit'ue, uoluptatem fortaſſe non diuturnam, nequiter uerò factum diuturnum & perpetuum
7 & in hac & in futura uita ſecum fore exiſtimet. Addat autem iudex ſentẽtiæ à ſe latę cauſam, quam ſequatur. Etenim nihil ſtultius, nihilq; peruerſius eſt, quàm ſentẽtiam ferre, cuius cauſam ignores, aut non intelligas. Quod ſi eam cognitam habes, iuſtamq; & legitimam eſſe cognoſcis, reticenda non eſt: ut non tantùm tibi ipſi ſatisfacias, ſed omnibus planum fiat, te & ſtatum controuerſiæ rectè intellexiſſe, & animum tuum ad normam regulamq; certam direxiſſe. Aequiore etiam animo, qui damnatus eſt, feret tuam ſententiam, cùm condemnationis ſui intellexerit legitimam cauſam. Qua ignorata, facilè homines impelluntur ad prouocationes uſitatas, ab infe-
8 riore ad ſuperiorẽ iudicem. Iudices rerum eccleſiaſticarum, nunquam (quod quidem ſciam) cauſas, niſi de ſcripto lata ſentẽtia, definire conſueuerunt. Quos cur iudices rerum profanarum non imitentur, cauſa nulla eſt. Magis enim cogitata & meditata uidentur

ea, quæ de scripto proferuntur: nec in dubium uocari possunt, quę scriptis mandata sunt. Scio post iudicis cuiusdam, de causa propè criminosa, sententiam sine scripto dictam, inter litigantes certamen extitisse magnum: dum utercp pro se uersutia quadam, menti notarij caligines offundere studeret. Notarius uerò uix litigantibus illis, sine offensione utriusque, aut certè alterutrius, satisfecit: imò ne uix quidē. utercp enim aliquid desiderabat: iudex uerò iam aliò discesserat. Hæc difficultas auferetur, si iudex de scripto dixerit, ac notario scriptam sententiam commiserit. Vidi & illud, cum iudex pro tribunali sententiam pronunciaturus, aliquoties admonitus quædam addiderit, quædam mutauerit. Rectè quidem. Sed quid si monitori id in mentem non ueniisset? an iudex in officio non claudicasset? Fluxæ sunt cogitationes humanæ: memoria uacillans, ac in negotiorum infinitate uix sibi constans. Quæ igitur inuenta, excogitata, & cognita sunt, nisi scriptis tanquā custodibus fuerint commissa, facilè dilabuntur & diffluunt. Quid quod scriptione ipsa, & literarum quasi exaratione, non tantùm memoria confirmatur: sed ipsi scribentes admonentur, ad perueſtiganda multa, quę sola mentis agitatione uix possent odorare? Fugiant, non minus cp 9
uenenum, munera iudices. Idcp omnino legibus cauendum esset, ne quid in muneribus acciperent. Corrumpunt enim ferè iudicia, qui muneribus leniti sunt: quemadmodum dixit ille,

Munera, crede mihi, placant hominesq; deosq;.

Imò & salaria eis iusta essent constituenda, ne quid ex iudicijs exercendis expectent, quo uel ad condemnandum aliquem iniustè, uel ad absoluendum excitarentur. Commendationes quæ fiunt pro 10
alterutra partium, negligat iudex. Non ab re esset, lege cauere, ne quis audeat commendare iudici causam alterutrius partium: ac ne rex quidem. imò hic minimè omnium: cuius tanta sit authoritas, ut facilè moueantur omnes in eam partem, quam sciant regi cordi esse. Est autē peruulgatum prouerbium, cogi inferiorem à superiore, à quo rogetur. Cum autem nullum sit arctius uinculum ad of- 11
ficium debitum præstandum, iureiurando: obligandi sunt eo prius iudices, quàm hunc ineant magistratum. Qui prudens ac sciens non rectè iudicium fecerit, qui item aliquid in muneribus acceperit, hic ad regem & totum conuentum delatus, ac iure uictus, & magistratu est amouendus, & iustis pœnis usque ad capitis amputationem afficiendus. Sit autem unicuilibet potestas accusandi talem iudicem. Ne autem ei sit impunè, qui uel commendatione uel muneribus iudicis animum corrumpere tentauerit: sit & hunc cuilibet liberum accersere, uel in capitis iudicium. Exquisitum est illud supplicium, quo Cambyses Persarum rex Sisamnem Asiæ prioris partis præfectum affecit. Quem cum largi-

tione

Valer. de Seueritate, & Charion in Chronico.

tione corruptum iniquè iudicasse cognouisset, pellem de corpore eius detrahi, eamq; in tribunali extendi uoluit. ac in locum occisi, filium eius iudicem suffecit: ea lege atq; omine, ut contemplatione paternæ cutis caueret, ne simile aliquando iudicium subire cogeretur. Ita rex barbarus atroci ac noua pœna iudicis, ne quis postea
12 corrumpi iudex posset, prouidit. Illud quoq; sanciendum, ut nemo causæ suæ iudex esse audeat. Tres enim in omni iudicio personas esse conuenit, petitoris, rei, & iudicis. Periniquè itaq; faciunt, qui causas suas agentes, homines imperio suo subiectos condemnant. Non est hæc libertas illa, quæ in ore omnium est: nec iuris æquabilitas, qua stant bene fundatæ Respub. sed seruitus barbarica, qua dominus fingitur potestatem habere uitę & mortis seruorum, damnationis & absolutionis. Hæc seruitus ex Christianorum Rebuspub. multis Cæsarum legibus explosa est. itaq; si Christiani sumus, à nobis quoq;, nostrisq; finibus eam expellamus. Omnes certè homines libertate aliqua gaudere debent: omnes enim ad imaginem Dei conditi sunt, omnes à pecudibus brutis ratione & uoluntate secernuntur. Quanto uerò magis Christiani populi, à Christianis dominis numero mancipiorum eximendi? Vno enim precio empti sunt cum dominis: eorundem Dei mysteriorum participes sunt. Quanquam ut rerum aliarum, sic libertatis sunt gradus quidam: &, quemadmodum Paulus inquit, stella differt à stella claritate. Quam igitur libertatem colono tuo relinquis? Non est liber à decumis soluendis, non à uectigalibus & tributis pendendis, non à laboribus tibi subeundis: nulla illi potestas est petendorum honorum, quam tu habes integram. Quæ igitur libertas reliqua est? An non ea, quæ in legum ac iudiciorum æqua descriptione consistat? Huius uerò quod'nam caput constitues, quàm ut ei ius potestasq; sit te uocandi ad legitimum iudicem? Et coloni, & omnes plebeij à nobilibus uulgò pro canibus habentur. Hinc illæ uoces impurissimorum hominum: Qui rusticum (sic enim plebeios omnes uocant, quamuis à rure remotos) necauit, perinde est ac si canẽ necasset. O uocem excisione linguæ puniendam: quæ quidem uox ex cædium iniqua æstimatione, & iurium inæqualitate orta est. Si igitur adimimus colonis ius uocãdi dominos ad iudices, adimimus eis omnem libertatem. Si dominis damus potestatẽ iudicandi eos in re sua, tollimus rationem omnem iusti iudicij: quod cùm personas tres requirat, rectum non erit, ubi idem iudex fuerit qui accusator. Quocirca & coloni, & omnes subditi, à tyrannide huiusmodi dominorum liberandi sunt. Liceat & domino subditum, & subdito dominum ad iudicem legitimum citare. aliter enim forma iusti & recti iudicij non seruabitur. Vix enim est aliquis, qui suæ causæ iudex, non sibi sit æquior quàm reo. Quòd si quis est: tamen cuiusq;

iuſque intereſt,non tantùm iniuriam fugere, ſed & ſuſpicionem iniuriæ. Qui id negligunt,id conſequuntur,quod olim de ſeruis proditum eſt,ut quot ſubditos habeant, tot hoſtes. At id in præſentia non apparet: utinam uerò nunquã detur occaſio ut appareat. Sed prudentum eſt, rebus futuris conſulere: & ad dubia Reipub.tempora amicos ſibi parare. Iam illa ſunt conſideranda, utrum iudici- 13
bus ijſdem diſceptantibus,omnes cauſæ diſcernendæ ſint:an plura iudicum genera, pro qualitate tum cauſarum, tum perſonarum, conſtituenda? quemadmodum nonnullis in prouincijs alij iudices ſunt qui priuatorum cauſas cognoſcunt,alij qui publica negotia iudicant:item alij ſunt criminum capitalium,qui etiam pœnas conſtituunt alias in nequam homines, alij de urbanis & forenſibus rebus tractant: rurſum alij,qui inter optimates ac præſtantes tum genere tum ordine uiros,alij inter plebem ius dicunt. Illud item,an plures uno iudices eligendi,cauſarum ſeu omnium,ſeu grauiorum,ut quibus de capite fortunis'ue alicuius agatur: an uerò unus cum authoritate ſufficiat,cui homines iuriſperiti,ex quorum ſententia iudicet, pro aſſeſſoribus adiungantur? Ad hæc etiã,ſi ſint plures, perpetui' ne omnes,an unus quaſi ordinarius,alij ſorte ad certa uel tẽpora uel negotia delecti? Tum etiã, an ijdem,an diuerſi ſint, qui cauſas tam ſuorũ ciuium q̃ peregrinorum & aduenarum cognoſcant? Præterea multitudne iudiciũ conſtituta, an ſingulos de re qualibet, uoce ſententiam ferre neceſſe ſit, an quibuſdã in rebus clàm ſuffragijs decernere conueniat? Denicq̃, à quibus iudicibus prouocare liceat, à quibus non? Poſtremò,iudici à quo prouocatio facta ſit,an ſententia quam tulit corã iudice qui appellatus eſt,tuẽda ſit,nec'ne? Hæc inquã,& ſimilia conſiderãda, ac de eis diligenti cõſultatione decernendũ. Cõſiderationis eſt & illud,an iudici præter partiũ poſi- 14
ta & reſpõſa,liceat aliunde ueritatẽ inueſtigare. Sæpe enim cauſę iuſtitia aut in occulto latet, aut opprimitur alterutrius partiũ uel errore,uel cauillationibus,iudici quidẽ cognitis & perſpectis. Quas ſi iudici explicare fas eſſet, facilè indicaretur uia perueniendi ad rectam ſententiam. Sin propoſitis tantùm & reſponſis partium niti ei neceſſe ſit, ſententiam quoq̃ iniquam ſciens prudens'q̃ ſæpe ferat neceſſe eſt. Memorabile eſt iudicium Salomonis, regis Iudæorum ſapiẽtiſsimi,quod de uiuo puero inter mulieres duas exercuit. nam cùm utraque contenderet ſuum eſſe, neutra autẽ probare poſſet intentionem ſuam,ſimulauit ſe in partes duas ſciſſurum, ac inter illas partiturum. Cum'q̃ altera mulierum annueret,altera renueret: atq̃ hæc ſua parte libenter ſe ceſſuram alteri, modò ne puer ſecaretur,diceret: agnouit Salomon uerè maternam uocem, ſciſsionem renuẽtis,ei'q̃ uiuum puerum adiudicauit. Multæ in cauſis exiſtere ſolent cauillationes, excogitatæ aſtutia & malitia partium in ſuam

ipsorum perniciẽ mutuò incumbentium. Quibus nisi occurratur, lædi iustitiam necesse sit. Itaq; prudentis est, opinor, iudicis, detegere omnia quę iustitiã uel promouere uel impedire queant. Neq; uerò alterutrius partium studiosus, sed iustitiæ patronus esse uidebitur, si ex æquo utrique consulens, omnia explicauerit quæ faciant ad iustitiam, sine ullius personæ respectu, obtinendam & adipiscendam. Ac iudicium quidem illud Salomonis, etiamsi præter partium proposita, non tamen sine ratione factum est. est enim ex suspicione & coniectura minimè leui profectum. Imò uerò tantum argumẽti ac rationis habet, ut omnes rectè sentientes illud approbare cogantur. Fit eius mentio & in sacra historia, & in Decretalibus epistolis, de præsumptionibus. c. Afferte. Cæterùm ubi coniecturæ nullæ sint, nullaq; ratio appareat, sed iudex tamen pro certo nouit rem aliter se habere quàm ab alterutra partiũ probatũ est, aiunt ei iudici, qui summã in terris habeat potestatem, & à quo ad neminem prouocatio sit, pro causæ ueritate sibi comperta, sententiam ferre licere, cuius scilicet rationẽ soli Deo reddere debeat: cæteris non licere. Sed de hoc quoq; est diligentius quærendum.

3.Reg.3.

15 Haud scio an mos ille improbandus sit, iudiciorum rarius exercendorum. lites enim in longum extrahuntur, impensæ immodicæ fiunt: causæ ipsæ prorogationibus (quas uulgus limitatiões uocat) dierum legitimorũ, uarijs & innumeris, sæpe magis cũ rebus ipsis, implicantur, difficillimæ & propè inextricabiles redduntur. quo fit, ut à multis, desperatione profectus deserantur. Omnino singulis in municipijs iudices certis in locis pro tribunali sedere semper deberent, ac quãdo & quoties opus esset iustitiam omnibus administrare; omnibus potestatẽ se cõueniendi facere, omnium desideria audire. Magno digni sunt odio isti, qui rerũ quamlibet leuium causa, difficiles se in adeundo præbent: causas exactè cognoscere nõ curant, iustitiamq; in diem ulteriorem reijciunt. Non est hoc agere personã iudicis: sed eius qui sibi rebusq; suis consulat, & ad suum

16 emolumentũ omnia conferat. Hîc de iudicibus generalibus, ad quos ab alijs iudicibus oẽs regni ordines prouocare possint, ab illis autẽ ad neminẽ alium, dicẽdũ est, de quibus memini in cõuentibus aliquando agitatũ esse: sed res nescio quibus rationibus uel impedita est, uel extracta. Et tamen eam esse & priuatis unuscuiusq; rebus & publicis perneceſſariã, ingentiumq; utilitatum plenã, facilè ostẽdi potest, si iudiciorum, ad quẽ modũ hodie fiunt, incommoda considerentur. Tot em̃ tantæq; causæ ad cõuentus uniuersorũ deferri solent, ut nec tempus, nec ipsi iudices qui deliguntur, sufficiant cognoscendis omnibus, & dijudicandis. Conuentu enim finito, cùm causæ sint innumeræ iudicãdæ, earũ tractatio in præsens omittit̃, & in cõuentus ulteriores profert̃, quo fit, ut multi causas suas uel cõponant,

nant,tametsi iniquis conditionibus: uel prorsus aduersarijs tradãt, more & impensarum ingentium impatientes. Quòd si causæ tenues essent,leuius id ferendum foret: sed plerunq; grauissimæ sunt uel de possessionum terminis,uel de integris hæreditatibus, uel de iniurijs minimè ferendis. Iam inter iudices qui in conuentibus de more deliguntur,solẽt interdum esse qui non obscurè dictitẽt,multas causas esse supra captum cognitionis suæ. Cùm autem & ratio & æquitas id postulet, ut publicum hoc totius orbis Sarmatici consiliũ instructũ sit rebus omnibus ad causas omnium & ad negotia pertractanda:certè periniquum fuerit, si qua causa uel cognitorum imperitia claudicet,uel tempore excluſa agi non possit. Optimo igitur iure postulasse putandi sunt, qui quasi decemuiros ex omnibus regni ordinibus legi uoluerint: qui nõ tantùm per dies comitiales, sed toto anni tempore causis ex omnibus nostris prouincijs ad se delatis, cognoscendis iudicandisq; operam præberent. Inductus est mos eiusmodi iudiciorum à uiris & legumlatoribus prudentissimis olim in Respub.Græciæ.Erant apud Athenienses Areopagitæ,multis præclarissimis iudicijs celeberrimi. Itaq; & deos iudicasse, & dij primùm illud iudiciũ exercuisse, à ueteribus perhibentur. Erant & Amphictyones, publicum consilium ex septẽ Græciæ ciuitatibus conflatum. Horum exemplo iudicũ centuriæ in plerisq; Rebuspub.cõstitutæ sunt,& ad hæc usq; tempora durant:ut totius nationis Germanicæ Spiræ,quę urbs est ad Rhenum sita: omnis etiam Galliæ,Lutetię,in eo loco quem Perlamenti nomine appellãt. Cur igitur & nos non imitemur Rerumpub. optimè constitutarũ exempla? Cur non curemus,ex omnibus ordinibus deligi prudentissimos quosq;, & legum & omnium doctrinarum peritissimos, qui causas ex omnibus nostris prouincijs ad se appellatione delatas iudicarent: quos non tantum doctos, sed multis uirtutibus præditos esse oporteret, ut & possent & uellent iustitiam unicuiq; administrare: apud quos diuitis & pauperis, nobilis & plebeij, ciuis & peregrini,domini & serui discrimen esset nullum, sed qui constantem & perpetuam uoluntatem haberent tribuendi unicuiq; quod suum est: qui non temporibus dispartitis,sed omni tempore totius anni ex lege iudices sederent: qui ex æquo potestatem haberent in omnes populos in eadem Repub.uiuẽtes: ad quos prouocationes essent ab omnibus magistratibus,ab illis uerò ad aliũ neminem. Horum uerò non tantùm munus iudicandi esset,sed & reconciliãdi discordes,& tumultuantes compescendi,& litium causas pręcidendi: ac nisi res aliter componi possint, tum uerò pro tribunali sedendo causas cognoscendi,ac unicuiq; ius suum reddendi. Hac ratione & querelis de iudiciorum prorogatione obuiam (ni fallor) iretur, & causidicorum artibus minimum loci relinqueretur. Via etiam præ-

cluderetur ijs, qui Romam usque uel in certas prouincias cursitent, non rarò quidem leuissimis de causis, semper uerò iactura maxima cùm pecuniæ tum morum. omnia enim domi relinquunt neglecta, & amicos, & familiam, & ecclesias, & Rempublicam. Sed sunt qui hoc genus iudicum parum necessarium esse putent, quòd res omnes in ijs iudicijs, ubi de more Palatini cũ castellanis & reliquis magistratibus congregantur, expediri possint. Verùm in multis id genus magistratibus sæpe diligentia iudicandi, & multa alia desiderantur. Deinde quia domestici sunt, partim necessitudines, partim offensiones mutuæ, animos illorum à uero abducere possunt. Quod non tam facilè caderet in eos, qui ex omnibus municipijs, iudicio uniuersi conuentus deligerentur. Alij ab eiusmodi iudicibus propterea abhorrẽt, quòd periculosum uideatur tales iudices perpetuos esse, qui in omnes partes securi aliorum iudicia non timerẽt. Verùm qui ita loquuntur, non tam rem ipsam de qua diximus improbare, quàm abusum metuere uidentur. Negari enim nõ potest, multas multorũ hominum causas de conuentu in conuentum reiectas, desperatiõe quadam & sumptuum magnitudine desertas esse: quæ si iudicia centumuiralia, eaq; perpetua exercerẽtur, & sumptu minore, & tempore breuiore expedirentur. Deinde & illud constat, quẽadmodũ Reip. interest artifices rerũ omniũ certos & probatos esse, qui artis suæ opera faciant: ita eidem conducere, ut sint certi quidam, qui studium iudicandi profiteantur, ad quos prouocari à iudicibus alijs omnibus possit. Quorũ si uel tyrãnis metuit, uel perpetua in hoc officio mansio suspecta habetur, sint sanè temporarij. Sit in illos iam ex centurijs iudicum exactos, potestas animaduertendi. Id enim olim Romæ usitatũ fuit, ut quamuis omnis potestas sacrosancta esset: tamen abeuntibus magistratu actio iniuriarum, maleq; obiti officij intendi posset. Cuius rei metu continebantur in officio magistratum gerentes: uiam uirtutis deserere non audebant: nec in tyrannidẽ facilè prolabi poterant. Igitur si non placet iudices hos perpetuos esse, sint ad tempus trium aut quatuor annorum. Quorum si quæ uitia timentur, non minus & aliorum cuiusuis generis timenda sunt. Vix aliquis inter iudices in cõuentu uniuersorũ assumitur, qui non ijsdẽ uitijs laboret, quibus isti de quibus agimus laborare possent. Ergo si hi reijciuntur, & illi in totum reijciendi essent. Quòd si metuimus tyrannidẽ iudicũ, si perpetui constituerentur: tollamus igitur magistratus omnes perpetuos è Repub. à quibus non minor quàm à iudicibus tyrannis metuenda est. Quin ergo abusui, quantũ licet, occurramus: rem autẽ necessariam & salutarem amplectamur? Mihi quidẽ tyrãnidi occurri posse uidetur, si non ij deligãtur qui ambiãt, quiue impotẽtius se in rebus alijs gerere uisi sint. Ac ne quid loci sit aliquibus inuadẽdi hoc munus,

munus,non abs re uideretur,ut ſorte primùm eligerentur ij qui poſtea iudicio eligerent iudices,quos optimos & prudentiſsimos eſſe putarent. Qui cõtempto hoc iudicum genere, à rege uolunt ſingulas cauſas cognoſci,nõ ſecus faciunt,quàm ſi ingenti numero hominum ægrotantium,uellent aliquem unũ medicũ præficere, peritiſsimum quidem illũ:ſed cum ille omnibus operã dare non poſſet, mallent maximam illorum ægrotantiũ partem perire, quàm ut ille impertiret doctrinam & rationem medendi alijs, qui uicem ſuam implerent hominibus curandis,& ad ſanitatem reſtituẽdis. Videmus regem nullo modo ſufficere poſſe tot,tantiſque cauſis cognoſcendis. Videmus multos,priuſquam cauſæ ſuæ à rege cognoſcantur,opprimi uarijs modis ab aduerſarijs, confici tædio, gladio, uel alio mortis genere perire. Quæ igitur,malum,ueſania eſt, cùm regem alijs rebus occupatiſsimum, tot cauſis iudicandis præeſſe minimè poſſe uideamus,ut non id curemus,quò ille hanc prouinciã alijs mandet? atq; tales iudicum decurias conſtituat, qui finẽ imponant controuerſijs? Eligerentur autẽ ex omnibus ordinibus in has decurias: ſiquidẽ omnes ordines iudicare deberent. De numero eiuſmodi iudicum ſi quæratur, uidentur nouẽ ſufficere tanto muneri: quorum tres eſſent ordinis eccleſiaſtici,tres equeſtris,tres plebis:à quo numero iudiciũ uel collegiũ nouemuirale uocaretur. Imparẽ numerũ proponimus propterea, quòd in paritate diſcordantium ſententiarũ ſemper aliquis quærendus eſſet, qui ad alterutrã ſententiam ſe adiungeret:qui tamẽ ad imparem numerum minimè eſt neceſſarius. Nam etiamſi diſcordes eſſent iudices, maior numerus uinceret minorẽ. Conficiendũ aũt diximus hunc numerũ ex ordinibus omnibus ideo,ut quiſq; ternarius ſui ordinis homines iudicet. Nihil tamẽ impediret, quo minus ſinguli ternarij iudicãdis ſuis hominib.alijs ternarijs uterẽt pro aſſeſſorib.ac conſultoribus. Nã etſi iura & leges uariæ ſunt, ex quibus iudicent ordines illi: tamẽ ſimilitudine multa ex unis legib.in alias transferri poſſunt. Optandũ aũt eſt,ut unę leges ſcriberent omnib.populis,qui uni principi ſubiecti ſunt quẽadmodũ mẽbra corporis unius eodẽ ſpiritu uegetant, mouent,& gubernantur. Cuius rei efficiendæ magna haud dubiè occaſio prębęretur his nouẽ uiris,qui unà ſemper eſſent,de rebus q; & cauſis omnib.inter ſe cõmunicarẽt. Multa incõmoda accidunt ex prorogationibus iudicialibus uſitatis. Sedeant igitur iudices generales perpetuò ad ius dicendum: nullo quidem die excepto, niſi ijs qui in iudicijs eccleſiaſticis pro ferijs habentur. ut ſunt dies feſti omnes, & nonnulli profeſti: nec non tempus meſsis, quod à feſto Margaretæ ad feſtũ Bartholemæi extendit. In hunc numerũ tempora belli & conuentus includẽda uident. Tempus cognoſcendi & finiendi unãquamq; cauſam,quæ ad hos iudices perferret, tri-

mestre esset. Vnus mensis toti causæ cognoscendæ daretur: altero mense de sententia deliberaretur: tertio ferretur eadem, quam de scripto recitari par esset. Neq; enim scribæ, nec partibus ulla esset dubitatio, de sententia scriptis mandata: cum quidē de ijs quæ sine scripto feruntur, solent esse non modicę partium altercationes. Ne autem partes quæ litigarent, sumptibus iudicialibus onerarentur, mediocre aliquod precium cōstituendū esset, seu pro scriptura, seu pro operis iudicū: ultra quod preciū nefas esset plus exigere. Potestas horum iudicum esset, cognoscendi, iudicandi, & sine debito terminandi causas omnes ad se perlatas, sine ulteriori prouocatione. Itaq; à sententijs eorum prouocari nemini liceret, nisi fortè res noua esset, & inaudita: nec unquam in iudicio uersata, nec legibus comprehensa. Tum enim iudices ad regem & conuentū uniuersorum appellare permitterent, causamq; partiū propositis & responsis unà conscriptis, remitterent. Sententia autē de causa eiusmodi à rege lata, iudicibus deinceps pro lege esset, ad causas similes iudicandas. Sedes ac domicilia iudicum de quibus agimus, collocarentur in aliquo loco salubri, & rebus necessarijs abundanti: ac in primis qui æqualiter, quantū fieri posset, à municipijs ac prouincijs omnibus Sarmaticis distaret: qualis uel Cracouia, uel Petricouia esse uidetur. Ædes singulis propriæ curarentur: coniunctæ illæ quidem & continentes, ut solent esse collegiorum. Haberent ædes illæ ipsę, commoditates omnes pro ipsis iudicibus, & eorū scribis: pro uxoribus item eorū (siquidē essent mariti) liberis, ac omni familia. In loco medio, qui inter ædes illas esset tanquam insula, templum ædificaretur, ubi iudices cum suis omnibus rei diuinæ uacarent: suasq; actiones Deo immortali commendarent, à quo est rectū iudicium, & bona omnia. Proximè templum esset curia, in qua iudices ius dicerent, ac iudicia exercerent. Quoniam autē nemo militat stipēdijs suis, dignusq; est operarius mercede sua, Reipub. interest, consulere necessitatibus iudicū generalium. Primùm igitur singulis in uicinia darentur pagi singuli, ubi pro tempore rusticarentur, hortos & agros colerent: eaq; tanquam in promptuarijs haberent, quę ad uictū essent necessaria. Si pagi eiusmodi aliunde haberi non possent, à ditioribus uel Abbatibus uel Episcopis petendi essent. Sin minus impetrarentur à præsentibus, facilè ab ijs obtinebuntur qui in horum loca proximi succeſſuri sunt: siquidē sacerdotio nō prius ornentur, quàm fidē faciant, se id Reip. causa donaturos esse. Quāta autem ijsdem iudicibus pecunia annua danda, & unde cōquirenda sit, in tertio libro dicemus. Quoniam autem ambitiosorum & fucorū magnus est ubiq; numerus, ne cōmoditates quas diximus, aliquos allicerent ad petendum hoc munus iudicandi, danda esset potestas iudicibus à conuentu electis, ut ipsi deinceps suo iudicio

in

in locum demortuorum alios sufficerent & eligerent: ea quidem fide, quam iureiurando dedissent, cum in hoc collegiũ iudicum allegerentur. Quam electionem uel conuentus, uel si eius tempus procul abesset, rex sua authoritate confirmaret: electumq; ac confirmatum iureiurando, ad modum suprà expositũ constringeret. Ac ne ob eius absentiam iudicia negligentius fierent, ad iudices alios continuò remitteret. Est autem hoc perneceſſarium, ut quemadmodum alij artifices melius de arte sua, quàm eius imperiti, existiment: ita iudices, eos sibi collegas asciscant, quorum industriam, peritiam & probitatẽ in iudicijs perspexissent. Aliter ambitioni occasio non præcideretur: eoq; tandem ueniretur, ut quemadmodũ fit in sacerdotijs, ita in hoc honore multorum prensationes uideremus: hicq;, quorum potestas esset, non quos idoneos putarent, sed uel quibus fauerent, uel à quibus maximè ambiti essent, eos iudices facerent: ueniretq; hoc munus pedetentim ad homines malos, iudicandi imperitos, & ignauos. quod quam perniciem afferret Reip. ex ijs æstimare licet, qui honoribus titulotenus gaudent.

CAPVT XVI.

De conuentibus uniuersorum.

IVDICIIS rectè constitutis, conuentus breuiores essent: quos tamen ipsos omni anno haberi necesse foret. primùm ad inspicienda regni, si quę emerserunt, uulnera: & ad medicinam eis faciendam. Deinde, propter oratores externos, qui à suis principibus ferè in conuentus solent mitti. Ad hæc, ad uoluntatum exterorum populorũ erga nos disquisitionem: *tutane sint nobis ab illis omnia? an uerò aliquid ab illis metuendum? num quid difficultatum aut damnorum nobis sit ab illis illatum? Bellum num contra aliquem decernendum? an rationibus alijs occurrendũ hosti?* Num aliquod tributum Reip. causa sit imperandum? Sunt & illa, quæ extra conuentum uix tractari possunt, iudicia famæ ac honoris, quæ in omnibus Rebuspub. ac regibus reseruata sunt, magistratuũ quorundã distributio: rationum fisci examẽ, & reliquæ summæ inspectio: ut inde cõijceret, nũ sit necesse aliquam pecuniam contribui. Verùm constitutis iudicibus generalibus, conuentus multo breuiores essent: una & altera hebdomada sufficeret conuentui. Ad quem oratores municipales tanto numero, ut solent, uenire minimè necesse esset. Et qui uenirent, eos aliquid à fisco accipere, ualde incõmodũ Reipublicæ. Quãta em̃ summa illis sumptuũ nomine numerari solet? Quę si in militẽ, aut ędificia, resq; necessarias cõferret, nõ malè cõsuleretur. Reip. Facerẽt & ipsi de suo sumptus reip. causa, à qua bonis & priuilegijs multis sint

aucti,

aucti, & ornati. Multi procerũ conuentus tempore multos florenorum millenarios exponere solent, utpote conuentibus extractis in multas hebdomadas. hos sumptus in alias Reip. necessitates conferre, pulchrum & utile esset. Sed de conuentus rationibus hactenus: ad iudicia redeamus.

CAPUT XVII.

1. De accusatoribus & defensoribus, tum suas causas agentibus: 2. tum publicas. 3. De censoribus. 4. De causidicis.

1 LTRA personã iudicis duæ in iudicio personę necessariò requirũtur, accusatoris & defensoris. Vterq; rem simplicissimè exponere debet. Si quid per alterutrũ falsò ac per calumniã, decipiendi uel iudicis uel aduersarij causa, expositum dictum'ue fuerit, id nec diu latêre potest, nec impunè erit. Est enim Deus ille iudex æquissimus, & oculatissimus, omne puniens mendaciũ, nulli parcens iniquitati. Multi tum petitorũ, tum reorũ, utuntur procœmijs ad rẽ, qua de agatur, nihil pertinentibus. Recensent sua suorum'q; maiorũ merita in Rempub. quæ si sint minus illustria, cõmemorant ea quæ aliquis unquã suorũ gentilium, quamuis sanguine à se remotorum, præstitisset uel principi, uel ipsi Reipub. atq; ut id pudore fiat minore, sæpe per alios id curant suæ causæ actores, qui illis ornamenta ac triumphos gentilicios uel per uim applicent: ex quibus tandẽ acutè argumententur, puniendum esse illum qui accusetur, seueriſsimè, si quidem partes accusatoris agunt: uel absoluendum, si defensoris. Non rarò accidit, ut audiendis eiusmodi cantilenis,

Polloni tollant equites peditesq; cachinnum.

Cùm autem tales præfationes ad rem institutã faciant nihil: sed uel emerendi fauoris iudicis, eiusq; mentis à ueri cognitione auertẽdę, uel aduersarij opprimẽdi causa, aut certè ad tempus extrahendum, iudicium'q; frustrandũ adhibeãtur: tollendæ sunt è medio, & à foro iustitiæ propulsandæ, uoce'q; præconis (quod olim iussu Areopagitarum Athenis factũ est) interdicendæ: ac partibus ipsis imperandum, ut de re ipsa loquantur apertè & simpliciter, sine fuco omni, omni'q; fallacia. Omnino iudicis est, sine amore ac miseratione, sine ira, odio, inuidia, sine pertinacia de rebus purè & nudè propositis, ex suis ipsarũ rationibus ac argumentis, non ex personarũ, nec meritorũ aut demeritorũ alicuius respectu iudicare. Sedet enim, non ut cupiditati alicuius obtemperet, sed ut reddat unicuiq; ius suum. Olim datis clepsydris, præscribebatur partibus tẽpus ad dicendũ: ne longitudine orationis abuterentur, ad offundendas iudici tenebras. Verùm iustissimũ fuerit, lege cauere, ne cui de re sua dicenti, extra rẽ egredi, neu præsidijs aliunde accersitis uti liceat. Facetè admodum

modũ à Martiali notantur, qui uel exordijs, uel perorationibus illis delectantur, ad rem nihil spectantibus, hoc epigrammate:

Non de ui, neq; cæde, nec ueneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abesse furto.
Hoc iudex sibi postulat probari.
Tu Cannas, Mithridaticumq; bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosq;, Mutiosq;
Magna uoce sonas, manuq; tota.
Iam dic Posthume de tribus capellis.

Mart. lib. 6.

Petitoris est, actionis, qua utatur in reum, nomen disertè exponere: rei etiã, exceptionis caput apertè declarare. Hoc enim prętermisso, uersabitur utercp; tanquã in tenebris: nebulæq; iudici offundentur, ignaro quid in iudicando sequi debeat. Illud etiam minimè ferendum est in accusatoribus, defensoribusq;, ut magna hominum frequentia stipati, aut etiam armis accincti, ueniant in iudiciũ. Quorsum enim & cateruæ eiusmodi & arma pertinere intelligenda, quàm ad metum incutiendum & iudici, & aduersario? Audiui magnum quendam, & iudiciorum expertum uirum, cùm narraret, inter potentes & infimę sortis homines nullum eiusmodi iudicium longissimo iam interuallo celebratum esse, in quo potens quamuis nocens condemnaretur: concordia causas tales ferè expediri, ut ad potentem lucri aliquid perueniat, uel summa aduersarij iniuria. Sin causa potentem cadere contingat, tunc tam iudici quàm aduersario insidias strui, & pericula intentari. Ergo omnes cateruæ, omnia arma, à subsellijs iudicum amoueantur. Soli adueniant, inter quos res agitur, ad eum locum, ubi respectus nullus est personarum. Decet enim iudicem, maiestate sui magistratus, ac legibus ipsis, ab omni ui tectum esse: quo liberius de re omni sententiam ferat, iustitiæ congruentem. Decet, conditioni hominum quamuis tenuium contra periculosissimas omnium potentias consulere ac prouidere: decet omnes ad iudicem uenire, tanquam ad tutorem iustitiæ, atcp; ad eũ qui ius dubium explicet, peruersiscp; hominum affectionibus modum imponat. Non minus necessarium, ut in eos qui in Rempu- 2
blicã uel honoribus obtinendis, uel facinoribus alijs perpetrandis aliquid commisissent, publicè accusatores constituantur. Etsi enim iure optimo omnes ad publicas accusationes admittẽdi sunt, quòd crimen & iniuria ad omnes pertineat: tamen quia & nomen accusatoris sustinere graue sit, & officio fungi multo grauius: minore inuidia laborabunt; quibus hæc persona à Rep. erit imposita. Idem de defensoribus sentiendum, ut constituantur qui reorũ causas tueantur. Qui reus, non est earum facultatũ, ut soluere possit aduocato,

qui se tueatur, huic Respub. curet eiusmodi patronum suo sumptu: ne quis ob inopiam uel sua imperitia, uel iudicis errore, minus iustè condemnetur. Curent autem tam accusatores quàm defensores, ut se strenuos gerant muneribus suis exequendis. Tam enim interest Reipub. sontes puniri, q̄ insontes absolui. Sola accusantem niti ueritate, honestū est: cōuicijs autē & maledictis indulgere, turpe & inhumanū. Romæ quidē honorificum sibi putabant uiri principes, tam accusare ciues noxios, quàm defendere innoxios. Et certè magnificū est in primis, omnibusq̄ tum priuatis, tum qui in magistratibus sunt, glorioſum, eū à quo nulla priuatim iniuria læsus sis accusare: eū etiā defendere, à quo cōmodi nihil expectes: sed solius Reipub. causa illū adducere in iudiciū, hunc periculo liberare. Itaq̄ M. Cicero Verrē accusauit: defendit Sestium, Murænam, & alios permultos. Idem fecisse C. Iulium Cæsarem, illum Romanæ monarchiæ primum conditorem, Cic. testatur. Cato iunior tribunus plebis, cùm iureiurando professus esset, se ei quicunq̄ largitione adipisceretur magistratum, diem dicturum esse, accusauit L. Murænam cōsulem designatum ambitus, quòd per largitionem obtinuisset. Sed Muræna M. Cicerone defendente absolutus, tantum abest ut se inimicum Catoni præberet, ut & in consulatu omnia ex eius sententia gereret, & in reliqua uita illum obseruaret. Vidit nimirū Muræna, Catonem non animo inimico, sed Reipub. studioso, ad accusandum descendisse. Itaq̄ uir bonus, eiusq̄ cuius accusabatur criminis minimè sibi conscius, nihil de beneuolentia in Catonem sua remisit: sed magis etiam se illi debere præ se tulit, quòd Reipub. causa contra omnes qui eam læsisse putarentur, acerrimè pugnaret.

3 Nec incommodū esset, si quemadmodum Romæ olim, & in Grę cis Rebuspub. apud nos quoq̄ Censores uel Nomophylaces constituerentur: quorum munus esset, nō tantùm mutas legum literas obseruare, sed corruptoribus contrauenire, uimq̄ & dignitatē earum tueri: ac eis ita cōsulere, ne aut desuetudine abrogentur, aut temeritate & audacia alicuius uiolentur. Ad hæc etiam, facta hominum, quod in primo libro tradidimus, notare, ad leges q̄ reuocare: atque accusatores, quid facto opus esset, admonere. ita inuidia in-

4 ter multos partita, magis tolerabilis foret. Si leges ea breuitate & perspicuitate conscriberentur, ut facilè disci, & à quouis intelligi possent: certè illud quoque fieret, ut multi causas suas iudici exponerent, neque necesse haberent causidicorum opera uti: qui profectò suis fucis causas sæpe intricatiores reddunt, & in multos annos extrahunt. sic enim ex fortunis clientum suorum ditescere didicerunt. Itaque interest Reipublicæ, iuratos causidicos habere: atque precia constitui, ultra quæ nihil à cliente illis petere liceat.

Rectè

CAPVT XVIII.

Executores sententiæ à iudice latæ: & hic de carnifice.

ECTE' illud constitutũ est, ut de quo à iudicibus sententia lata est, id alĩ magistratus exequantur. Quo enim minus laborabunt ex inuidia ĩ qui res ab alĩs iudicatas perficient, eo facilius exequutionibus fines imponentur. Nescio an carnificũ hic mẽtio sit facienda. nam & illi ministri iudicũ sunt, quorum imperata exequuntur: & nisi illi essent, iudices sententiam suã, ne inanis esset, exequi oporteret. Quòd si magistratus in hunc usum gladium gestat, ut nocẽtes puniat: certè qui carnifici à iudice porrigitur gladius, magistratus putandus est. Non igitur propter eam functionẽ ex cœtibus aut ecclesia eĩciendus est. Finge enim omnes seu infamia, seu sacrorũ interdictione deterritos, carnificum munus fugere: quis tandẽ facinorosos uel suspendet, uel detruncabit, uel alĩs supplicĩs afficiet? an ipse iudex? an nemo hominũ? omnino ut ne scelera impunita essent, oporteret publicè carnificẽ constitui. Non igitur munus eius abominandũ: neq; ipse fama, consuetudine hominũ, aut sacris expers esse debet. Hoc dicendum erat, propter peruersa (ut ego puto) quorundã iudicia, qui non tantùm societate ciuili, sed & sacris cœtibus, & mysterĩs à Deo institutis, carnifices prohibendos putent: non aliam ob causam, nisi quia iudicum imperata faciant.

CAPVT XIX.

Pœnæ exigendæ à condemnatis.

OGANTVR autem omnes qui condemnati sunt, iudicatũ facere, seu pœna luenda sit capite, seu pecunia, seu quouis modo alio. Nihil enim perniciosius est Reip. cũq; cum quidã potentes pœnas Reip. non pendũt. Video etiã illud multis placere, ut ne quid mulctarũ uel ad iudicem, uel ad accusatorem perueniat: sed uel ad partem læsam, uel ad Rempublicã. Sic em̃ nec accusatores intendere alicui actionẽ, nec iudices aliquẽ condemnare suorũ commodorum causa uidebuntur. Pœnã Reip. debitam nemini remittere fas sit, nec Regi, nec ulli magistratuum: multo minus hominibus priuatis. Quod cùm in uniuersum accipiẽdum sit, tum uerò de homicidĩ, adulterĩ, uirginũ uitiatarũ, & id genus scelerũ pœna: quæ ut prorsus exigatur, permultũ interest Reipublicę.

Causa iudicata, multa apud nos impedimẽta sunt, quo minus executionibus fines imponãtur. Est itaq; regis, in eos animaduertere, qui iudicatum soluere recusent. Qui si possessionibus careant, uinculis, uerberibus & supplicĩs meritis afficiantur. Si fundos & bona habeant, ea (siquidem de recuperatione agatur rerũ amissarum)

publicè posſideantur à rege: acres iudicata ex ærario ſoluatur ei, cui debetur. Improbant quidã quod diximus, quaſi hæc ſit uia ad tyrannidem, quã principes, prætextu defendẽdi inopes, facilè poſſint occupare: uerùm ſi rectè iudico, nõ prætextus, nec occaſiones inopes defendendi ad hunc modũ captantur: ſed res iudicatæ ſtabiliuntur, quibus ſtatus Reip. maximè continentur. Quorſum enim ſententiæ feruntur, decreta interponuntur, ſi qui damnatus eſt, iudicatum facere recuſet? Quotus autem quiſq; damnatorũ eſt, qui non recuſet? Vix eſt aliquis, quamuis iuſtiſsimam cauſam habens, qui ex edicto in poſſeſsiones damnati uenire permittatur. nam uel eas adire prohibetur: uel ſi adeat, altero die exturbatur. Atq; illud oppidò quàm ridiculũ, etiam regiæ poteſtati (brachium regale uocant) poſſeſsionem ob rem iudicãdam capere, uel à uetula uno uerbulo prohiberi poſſe. Et duplicantur quidem à iudice, aut etiã triplicantur mulctæ exturbatoribus: uerùm haud ſcio, an qui eas unquam dependerint. Iniuriam uerò paſsi, non tantùm de fortunis, ſed de capite periclitari coguntur: nec domi nec foris tuti eſſe poſſunt ab illis, qui intulerunt. Multis iſta uadia (ſic enim mulctas uocant) duplicata, triplicata, ſeu etiam decuplicata, magis ad iuſtitiam extrahendam quàm promouendã excogitata uidentur. Multi ſumma uoluntate duplicationibus iſtis caruiſſent, ſi modò ius ſuum recuperaſſent: ſed res iudicata ſæpe hæret in ſalebra.

CAPUT XX.

1. Leges à quibus emendandæ. 2. Methodus earum unde ſumenda. 3. Scribantur uerbis perſpicuis, & rationibus additis. 4. Et de rebus ſimilibus ſimiles. 5. Et unis populis unæ. 6. Plus debẽt ualere, quàm mandata principis.

SED caput horum omnium eſt, ut leges emendentur, uiaq; & ratione cõſcribantur. Qua de re ſæpe actum eſt in cõuentibus anniuerſarijs: ſed ſemper multa deſiderata ſunt in illis correctionibus. Nõnulla ex quorundã libidine magis, quàm ex æquitate conſtituebantur: uetera abrogabantur, noua excogitabantur. Hinc fit, ut tot leges, tot conſtituta ſint, ut nullius induſtria aut memoria ſufficiat omnibus complectendis. Neq; tamen ea diuturna ſunt: pleraq; anno uertente in nihilum uertuntur, iudicibusq; magnam afferunt dubitationem, ignaris quid iudicando potiſsimum debeant ſequi. His adde mandata principis, in alicuius gratiam data: quæ & ipſa diſtrahunt iudicis animum, quaſi in biuio hærentem, qua uia ad ſententiam ferendam ſit ingrediẽdum, & an mandatis an conſtitutis magis obtemperãdum. His rebus occurri non poteſt, niſi ratio alia inita fuerit legum figendarũ. Qua de re multa mihi cogitanti, nihil magis commodũ Reipub. uiſum eſt, quàm

quàm si ex omnibus ordinibus peritissimi quique deligantur: non ij tantùm qui iudiciorum formas & cautiones, quicq; leges & cõsuetudines patrias cognitas habeant: sed qui legum aliarum sint periti, ut Pontificiarum, Romanarũ, & gentium aliarum: qui & historias omnium ætatum, & philosophorum de moribus ac legibus disputationes, & sacrorum Bibliorum sanctiones habeãt perspectas: qui exterarum nationum mores uiderint, & urbes: denicq; qui sint ab omni eruditione liberali quàm paratissimi. Tales enim fuisse ueteres & Legislatores, & Iurisperitos, qui & Græcis & Romanis leges conscripserunt, monumenta illorum testantur. Itaque & leges rectè & ordinè scripserunt, & eas posteritati longùm uicturas commendarunt. Certè aut ab hominibus eiusmodi aliquid cõstituetur ad perpetuitatem, aut à nemine alio. Quid enim certi & diu duraturi potest ab istis constitui, qui magis in rei familiaris cura, & fortè etiam nonnihil in foro uersati sint: earum uerò artium, quæ fontes legum & omnis æquitatis continent, sint ignari? res ipsa sæpius iam declarauit. Igitur, si placet, liberemus hac legum emendandarũ cura, ferè quotannis redeunte, homines equites: eisq; res bellicas, tanquã materiã quam tractent, & in qua se exerceãt, relinquamus. prouinciã uerò legalẽ omnẽ, iurisperitis, philosophis, historicis demus: hominibus maiore, ut par est, iudicio, mitioribus, & minus perturbatis affectibus, quàm reliquum hominum genus: ut ueri simile sit, & prudentiùs, & minore, aut certè nullo personarum respectu eos Reipub. consulturos: meliusq; in re omni æquitatem perspecturos, quàm eos qui in luce hominum uiuentes, plus uel temporibus, uel amicis, uel affectionibus priuatis inseruire cõsueuerunt. Multi dãnant *Vlpiani* sententiam, qua scripsit, principem legibus solutum esse: quę etsi commodum sensum habeat, ut infrà ostendemus, tamẽ quia Vlpianus pro tutore habitus est ab Alexandro Seuero imperatore, putant eum magis gratiæ causa quàm ex ueritate ita scripsisse. Sed de hoc uiderint, quibus hæc sunt magis perspecta. Tametsi uix putem, sensum dicti illius germanum ex paucis Iuriscõsulti uerbis elici posse: cùm quidem integra iurisperitorum temporis illius scripta desiderẽtur. Quòd si à talibus legumlatoribus metuendum esset: principes etiã multis affectibus sæpe impediantur, quo minus uideant quod rectum sit: de quorum nescio quo proditum est,

Aelius Lampridius in Alexãdro Seuero.

— *Fixit leges precio, atq; refixit:*

haud sciam cui melius cõmittatur tractatio legũ, quàm quibus dixi, hominibus in omni doctrinę genere uersatis, ab ambitione & aura populari alienis. Addamus, si uidetur, ad illos, eos quoq; qui in foro sint multum uersati. Est enim horum quoque artificum hæc tractatio propria, in qua ingenium & artes poterunt exercere suas. Aliqui iurisperiti aut legislatores memorantur, qui leges cõposuerint

rint principibus cõmodas, populis subiectis incommodas: nonnulli metu, alij spe, alij amore, quidã alijs affectionibus impulsi: quales & hi fuisse uidentur, qui odio plebeiorum multa indulserunt ordini equestri. Et tamen leges oẽs receptæ sunt ab hominibus partim stultis, partim meticulosis, aut alijs & alijs cupiditatibus concitatis. Sed uulgus imperitum & imbelle, facilè impelli cogiq; potest ad omnia perferenda. His rebus omnibus prudẽtis est legislatoris occurrere, ne quid cõmittat legibus ferendis, quod bono & æquo repugnet. Non licet illi partiũ esse studioso, qui toti Reip. cõsulit. Decet eum omnibus perturbationibus uacuũ esse, qui ad solam æquitatis normam omnes leges dirigere debet. nõ enim est locus nec bonis consilijs, nec æquitati, cùm animum prauæ ac distortę affectio-
2 nes occuparunt. Neq; illud dubitandũ est, multa ex legibus Romanis mutuanda esse: imò uerò si quid solidi & constantis efficiendum est, uia & ratio, quam Græci methodum uocant, tota ab eis sumenda est. Neq; ego ignoro, multa in iure Romano desiderari à multis. Iustinianus imperator breuitatem desiderabat: ideo ueterũ iurisperitorũ iustis uoluminibus (ut ferunt) exustis, in cõpendium ius redigi curauit. uetuit etiã, ne quis pręter breuiaria & epitomas, in leges aliquid scriberet. Alij alia desiderãt: ideo & Saxones, & Frisij, & alij Germaniæ populi, quãuis Romano imperio subiecti sint, legibus municipalibus magna ex parte uiuunt. Hodie tanta est turba cõmentariorũ, quæ ius magis confundant q; explicent, ut nõ immeritò cõpendiũ legũ aliquod à multis prudentibus requiratur. Et tamen si quis ad leges suæ Reip. scribẽdas animum adijceret, hic certè legibus Romanis multum iuuaretur. multa enim in eis extant ueterum iurisprudentum & imperatorum prudentissimè consulta & decreta. Erant uiri illi perquàm diligentes, & ab omni liberali eruditione, etiam usu ipso paratissimi. sed quæ scripta ab illis, manibus studiosorum teruntur, ea integra non sunt. Itaq; in eis apparet tum legũ quarundã pugnantia, tum aliquando eiusdem rei eodem in loco inutilis repetitio. Cæterùm methodus legũ haud scio unde melior, quàm ex Romanis legibus petenda sit. Multa incommoda sequuntur doctrinæ incertitudinem. Igitur ex Romanis legibus sumenda est uia & ratio legũ tradendarũ. Hæc autẽ & in scholis doceatur, & in foro usurpetur: Cõmentariorũ immensitas abijciatur: simplex & aperta ratio æquitatis aperiatur. Hinc sequetur iudicio-
3 rum certa obseruatio: difficultates multæ uitabuntur. Scribantur autem leges uerbis perspicuis, quæ minimè cauillationibus sint expositæ: & de similibus rebus, similes: & unis populis, unæ: rationesq; aliquæ addantur, legis æquitatem indicantes. Obscuritas enim illa uocũ, multos nobis peperit interpretes, simulq; ansas dedit uarias litigiorum. Est in nostris legibus scriptum, ut si quis alicui

graue

graue dixerit conuicium, ac STATIM quod dixit non recantauerit, luat pœnam marcarum sexaginta, simul'que palinodiam canat. Vocatur quispiam in iudicium, qui conuicium factum STATIM non recantauerit, ille apud iudicem recantat, ac uoculam STATIM de illo instanti, quo ad iudicem uocatus, se ad primam diem stitit, intelligendam dicit. Peruertere hoc quidem est, non interpretari. Certè mens legislatoris erat, ut uel subitò, uel eodem in colloquio conuicia recantarentur. Talia enim uidentur uel lapsu linguæ, uel subita quadam animi concitatione, non studio obtrectandi, nec de industria dicta: ideo legislator uenia digna putauit. quemadmodum & Mimus dixit, Ignoscere humanum esse, ubi pudet, cui ignoscitur: & Iulius Paulus iurisconsultus reliquit scriptum, Quicquid calore iracundiæ uel fiat, uel dicatur, non prius ratum esse, q̃ si perseuerantiâ apparuerit iudicium animi fuisse. *ff. de reg. iuris. L. Quicqd.* An uerò tibi uidetur noluisse inquinare famam tuam, qui conuicio hodie in te iacto, canere palinodiam sponte non uoluit, *nisi in ius uocatus?* an statim retractauit dicta sua, qui anno expleto retractauit? Fieri enim potest, ut nõ prius eius rei iudicium quàm anno exacto exerceatur. Atq; illud mihi admirari subit, tam ineptam interpretationẽ uulgò à iudicibus in causis iudicandis recipi: cùm tamen & cum æquitate pugnet, ut iam ostensum est: & sermonis natura minimè ferat, ut particula STATIM ad illum sensum quem dicunt retorqueatur. Est qui ita imperet seruo suo: Confecto negotio quod tibi imperaui, STATIM redibis ad me. Quis seruorum tam est ineptus, ut illud STATIM interpretetur, cùm à domino noua mãdata de redeundo accepero? Nullus opinor, nisi qui uel sit mentis inops, uel mandatum domini plano & dilucido sermone datum, calumnia & malitia ludificari uelit. Faceſſant igitur à foro eiusmodi calumniæ, & ineptiæ. Legibus etiam breues addantur rationes aliquę, æquitatem explicantes. Nam & homines cordati libentius illis parebũt, cùm ad æquitatem uidebunt compositas: & mali non facilè eas eludẽt malicioſa interpretatione. Sit enim lex, quam dixi, ad hunc modum scripta: Maledici conuiciatores sexaginta marcis mulctantor: « nisi fortè dictum, contraria sententia, sine morã damnarunt. dignus « eñ est uenia, quẽ statim pœnitet facti. neq; cogitatũ, neq; de indu- « stria factũ scelus uideri debet, cuius palinodiã paulo pòst canere au « thor nõ dubitat. Si igit̃ ad hunc modũ legi ratio & causa fuerit ad- « iuncta, certè ea non sinet uel illud STATIM, uel hoc SINE MORA, falsa interpretatione corrũpi. Sed sunt, qui existimationi suæ parũ cõsultum putent, nisi conuiciũ in se iactũ, ad iudicẽ fuerit uel recantatũ, uel à cõuiciatore prorsus negatũ. Quod nos q̃dẽ minimè improbamus. Atq; hoc sensu legẽ illã sic scribendã putaremus, ut qui ad iudicem uocatus non cõtinuò uel neget uel recantet dictũ, cuius

accuſe-

accuſet, lege conuiciatoris teneat. Quod autē exempli cauſa diximus de una lege, idē de reliquis intelligi uolumus. Ceſſarent hac ratione & nocentium reorum, & cauſidicorum, lites ſerentium, impudentes calumniæ. haberent etiam iudices, & boni uiri, quo ſen-
4 ſum legis uerum defendere poſſent, ac tueri. Non minus & illud neceſſariū, ut de rebus ſimilibus ſimiles leges ponant: quòd in ſimilitudine eiuſmodi, prudētia, bonū conſiliū, ęquitas maximè reſplendeat: in diſſimilitudine temeritas, conſiliq; inopia, iniquitas & iniuria cognoſcatur. Eſt lex apud nos de prętore, ſeu (ut nos loquimur) ſculteto inutili, ordine ſuo mouendo, deq; eius poſſeſsionibus redimendis. Optima lex profectò, & digna quæ in Repub. uſurpetur. Eſt enim boni prętoris, ius inter ciues ſuos dicere, cunctam ciuitatē pœnæ metu ac præmiorū ſpe in officio cōtinere: deinde poſſeſsionum, quas præ cæteris habēt ampliores, nomine, moribus noſtris, in expeditionē, cum res poſcit, ire. Hęc qui prætor pręſtare nō poſſit, ferēdus certè non eſt in ſuo ordine: plus enim Reip. conſulendū eſt, quàm priuati hominis cōmoditatibus. Quod ſi intereſt Reip. id curare, cur etiam non eadē lex ad reliquos magiſtratus transferēda eſt? Omnino ex aliis magiſtratibus, ſi indigni ſunt qui eos gerūt, plura ad Remp. incōmoda perueniūt, quàm ex inutili prętore. Ergo ſi iſte ad eum modū, quem dixi, plectitur, cur non etiam inutiles Epiſcopi, inutiles Palatini, inutiles Caſtellani, inutiles Præfecti ſeu Capitanei, inutiles iudices, inutiles ſcribæ, ordine moueantur? cùm quidē uniuſcuiuſq; iſtorū indignitas plus noceat Reip. quàm plurium ſcultetorū. Sed fortè qui legis de ſcultetis authores erant, domini ſcultetorū erant: itaq; tulerunt legē qualem uolebant, nempe ſcultetis formidandam, ſibi ipſis minimè. Quid autē tyrannū eſt agere, ſi hoc non eſt? non enim ab eiuſmodi legislatoribus Reipub. habita eſt ratio. Nam qui Rempub. rectè curare uult, & omnes eius partes curare debet, & potiores partes magis curare: ex quibus nimirum bene ſe habentibus, plus Reip. ſalus pendeat, quàm ex reliquis. Etenim ſi tu uel in nonnullas tantùm animū intendas, uel minores duntaxat, relictis ſummis, emendes, à re admodum (ut eſt noſtratibus in prouerbio) tenui, rerū maximarū ſumis exordium: extremitates corporis, & ueluti crines & ungues repurgare cōtendis: caput uerò ipſum, oculos, & manus, quamuis ſe malè habeant, incurata relinquis. Videmus hanc legem non unicuiq; reddere ius ſuū: ſed aliis metum incutere, alios in aurē utranq; ſecuros reddere. aut igitur tollenda eſt, aut ad modū iam dictū amplificāda. Non decet uos, qui gubernatis res humanas, unicum tantùm hominum genus ob indignitatē punire: de illoq; ſolo ſtatuere, quid eos habere, quid non, quem ad finem, & quò uſq; liceat: in uos uerò ipſos tanta indulgentia eſſe, ut etiam ſi inertiſsimi, & in ueſtro officio negligētiſsimi

ſitis,

sitis, nemo uos propterea in ordinem redigere possit. Quin si estis Reipub. plus quàm uestrorum commodorũ amantes, à uobis ipsis hunc ordinem incipiatis necesse est. Et hæc de lege ipsa. nunc de eius interpretatione. Vulgus dominorum inutilẽ scultetum interpretantur, cuius fundos in suum commodum queant conuertere. Hoc uerò non interpretari est, sed legem bene scriptam cauillari. Profectò enim inutilis putandus est, qui non facit quod sui est muneris: & ex quo nulla utilitas ad rem uel publicam, uel priuatam cuiusuis redundet. Nam si interpretatio illa locum haberet, tunc quidem dominis auaris occasio daretur, subditos, quorum bona occupare uellent, expilandi. Sed illi cauillatores addunt causam suæ interpretationi, quòd se sumptus facere oporteat immodicos & in familiam alendam, & in supellectilem uariam, & in epulas. Quid'ni faciant? Atqui mala facienda non sunt, Paulo apostolo teste, ut eueniant bona: nec campanile (ut nostri homines loquuntur) spoliãdum est, templi tegendi causa. Cur igitur tu hominibus panem ex faucibus eripis? cur eos ad egestatẽ redigis? Imò cur causam præbes eis uel ad furta, uel ad alia facinora, propter tuũ seu necessariũ, seu mentis errore à te fictum, splendorem? Nescis, multos ante te uiros maximos, quorũ tu in locum successisti, non minores te sumptus feciisse: nihilominus splendidè uixisse, pauperes subleuasse, amicos ditasse, ecclesias locupletasse: & tamen possessionibus suorum subditorũ prorsus abstinuisse? Quas cùm tu inuitis illis eripis, an putas te inde ditiorẽ futurum? Imò & indies magis egebis: & breui (nisi resipiscis) maledictionẽ Dei senties: nec diu sudore alieno fruêris. Omnino Reipub. interest, tales interpretes in ultimas insulas relegare: qui malicioſa & pernicioſa interpretatione, multas pestes bonis moribus inferunt. Ibitur autẽ obuiam peruersis eiusmodi interpretibus, si lege potestas eis erit adempta tũ redimendi scultetũ suum, tum de eius inutilitate iudicandi. Iudiciũ enim omne tres exigit personas: nemoq; suæ causæ iudex esse debet. Igitur eius rei, quemadmodũ aliarũ, iudicium omne sit legitimorũ iudicum. Inutili porrò sculteto potestas sit, ut uel donet, uel iusto legitimóue precio uendat, nõ domino, nec cui ille uelit, sed ei qui ipsimet sculteto idoneus uidebit. Vtile est autẽ Reip. ordinem hunc conseruare & tueri, tum propter iudicia quæ uel in pagis uel in oppidis exercent, tũ propter expeditiones bellicas. His rebus potius consulendũ est, quàm licentia dominis permittenda, statuendi de scultetis quod uelint. Curabit igit legislator, & legẽ breui addita interpretatione illustrare, propter sycophantas & cauillatores: & de rebus similibus, leges similes scribere. Huic uerò ipsi danda est opera, ut unas leges scribat omnib. his, puincijs, quę unius principis dicto audiẽtes sint. Nã hoc profectò mõstri simile esse uidet, ut qui in una Rep. uiuũt,

quíq; uni principi obtẽperãt, diuersis legibus utantur. Est em̃ Resp. quasi corpus alicuius animantis unũ, cuius membra omnia eodẽ spiritu uegetent̃, omnes actiones ab uno quodã fonte procedãt: aut est quasi corpus hoc mysticũ Ecclesiæ, uni CHRISTO principi & capiti suo cõiunctũ. Cùm igitur unæ leges à CHRISTO præscriptæ sint mẽbris omnibus corporis huius quod est Ecclesia: cur etiã non eædẽ leges omnibus populis præscribantur, qui sub eodẽ principe uiuunt? Certè una est ratio iustitiæ, ius suum unicuiq; tribuẽs. Cur igitur non eadẽ iura sunt, quæ ab iustitia unicuiq; tribuantur? Cur possessiones, quæ mihi iure Chelmensi acquiruntur, eædem iure Magdeburgẽsi adimuntur? Cur iure Polonico bona fratris mortui sorori superstiti adimuntur, eadem illa iure Mazouitico adiudicantur? Oportuit homines talium iuriũ cõditores, tã diuersorum, tamq; discrepantiũ, alios natos esse in oriente, alios in occidente sole. Tametsi uerè si existimandũ sit, simile lumen ueri cognoscẽdi & dijudicandi omnibus hominibus natura inditũ est: sed quia nõ eodem modo excolitur, ita fit, ut alij acutius cernãt alijs. Atq; utinã & leges Ciuiles & Pontificiæ eædẽ essent. Cur em̃ illæ, genitis ex duobus fratribus, sororibus ue, matrimoniũ contrahere sinunt: istæ, nõ sinunt? Cur illæ, sine consensu parentum matrimoniũ inire nõ permittunt, istæ permittunt? Cur illæ, uitiantem uirginem non cogũt ut eam habeat in matrimonio, istæ cogunt? Denicq; cur illæ sermone prędĩtis, uel sine uerbis, modò cõsensus interueniat, matrimonio cõiungi permittunt: istæ non permittunt? Hæc em̃, & alia permulta, à Bartholo iurisperito copiosè sunt exposita. Omnino ius esse nequit, quod ab iustitia seiunctum sit. est em̃ iustitia quasi fons, ex quo iura manant omnia. Cùm igitur iustitiæ regulã unã esse oporteat, qua æquũ & iniquũ iudicentur: eam autẽ & perpetuã & cõstantem: sequitur, etiã iura, quę quidẽ recta sint, eadẽ esse oportere. Nisi fortè uarietas est rerum tanta, ut leges quoq; uarijs in locis distinctas esse oporteat. Verũtamen quantum effici potest, connitendũ est, ut de rebus ijsdẽ eædem prodantur leges. Nam propter legum diuersitatem, & professores diuersi sunt, & multæ iuris cautiones, multæq; tergiuersationes natæ: quæ lites infinitas, & multorũ annorũ spacijs durantes pepererunt. 6 Cùm autẽ hæc de emẽdandis & condendis legibus erunt perfecta: tũ illud sanciendũ, ne quid cõtra legem ualere possit, ne mandatum quidem principis. Certè enim Resp. non arbitrio principis, sed ex legum præscripto administranda est. Tyrannica enim est sententia, qua princeps aliquid contra leges fingitur posse. itaq; tanquã fax quædam, ad nefarias cupiditates principum animos accẽdens, extinguenda, & ex Repub. explodenda est. Illi uerò qui dixerunt, principẽ legib. solutũ esse, ad perfectum & numeris omnibus absolutũ principẽ respexisse uidentur:

w. de legibus. L. princeps.

tur: quem quidē prudentiſsimū omniū, iuſtiſsimum, & optimū eſſe conuenit. Huic autē tali, lege quid opus eſſet: qui ſponte ſua faceret omnia, quæ lex præcipiat? imò uerò talis, uiua lex eſſet, & exemplū omnibus propoſitum ad imitandū. Cęterùm cùm multi principū conſcij ſibi eſſent imbecillitatis ſuæ, dignam uocē eſſe maieſtate regnantis ſcripſerunt, legibus alligatum ſe principē profiteri: ſuamq; authoritatē de iuris authoritate pēdere: ac principatū legibus ſubmittere maius eſſe, quàm imperare, duxerunt: atq; quod alijs, id ſibi quoq; minimè licere, iudicarunt. Decet igitur, ut & regibus, & omni magiſtratui præſit lex: qua ſe contra animi perturbationes muniant, regulamq; habeant & ſeipſos & populos gubernandi. Hæc habuimus, quæ de legibus uel ferendis, uel emendandis, de iudicijs item, & rebus ad ea pertinentibus diceremus. Reliqua quæ promiſimus, iam exequamur.

c. de legibus & conſtit. L. digna uox.

Epilogus.

ANDREAE FRICII MODREVII COMMENTARIORVM DE REPVBLICA EMENDANDA Liber III. Qui eſt de Bello.

PRAEFATIO.

Præfatio, querelam continens de ſtatu noſtræ Reipub. Primùm dicitur, cupiditatibus hominum peruerſis & pacem turbari: & cauſam datam eſſe tū legibus excogitandis, tum bellis gerendis. Secundò cōmemoratio additur rerū quarundā, mundi initio uſurpatarum. Tertiò applicatur ad noſtros mores: ubi & de pœna homicidij pecuniaria fit mentio, & de inſolentia militum ſub tempus belli.

VLTA hominibus data eſſe adiumenta à Deo opt. max. ad ſocietatē hanc inter ipſos ineundam, alendā & conſeruandā, res ipſa teſtatur. Quam quidem ſocietatem ſi nunquā turbare ac dirimere, ſicq; perpetuò in hac uitæ, facultatū atq; officiorū communicatione in pace uiuere liberet, haud equidē adeò multa homini deeſſe putarē ad eam beatitudinē, quę in hac mortalitate ab animante morti obnoxio percipi poſsit, conſequendā. Sed cupiditates hominū inſatiabiles, sæuęq; & atroces animorū commotiones efficiūt, ut nec pacē cum dignitate tueri, nec rerū noſtrarum eundē ſemper ſtatū tenere, nec uitas noſtras à periculis & diſcriminibus tutas perpetuò poſsimus reddere. Et domi quidē, ac intra mœnia quæ inhabitamus, inſidiæ multæ ſtruuntur uitæ bonisq; noſtris: foris autem, impetimur ab hoſtibus noſtrum ſanguinē ſitientibus, noſtrasq; poſſeſsiones occupare uolentibus. Multæ igitur leges conſcriptæ ſunt, iudiciaq; cōſtituta, quibus nos

domi à ciuibus noſtris tueremur. artes item bellicæ excogitatæ, arma multa cõparata, quibus hoſtiũ externorũ uim propulſaremus.

2 Ac principiò quidẽ rerũ, quod ex libris Originũ mundi apparet, moribus tantùm uiuebaẽ, ac patrijs inſtitutis. Nullæ tum leges erãt promulgatæ, nec de rebus repetendis, nec de iniurijs ulciſcẽdis: bella etiam nulla inter populos geſta. Patria poteſtas ſatis erat ad homines uel caſtigandos, uel ad officium reuocandos. Donec tandem malitia hominum increſcente, & in dies magis ac magis quaſi exundãte, Deus mortales omnes, pauciſsimis exceptis, diluuio perdiderit: ac mox à diluuio, illis qui ſuperſtites erant, quiq; parentes mortalium omnium futuri erant, legem de homicidis capite plectendis poſuerit: qua & uitis hominum conſuleret, & ſocietates eorum inter ipſos fundaret. Deinde multis pòſt annis excitauit Nemrothum, ad regni ſolennia & curas imperij capeſſendas: qui homines uoluntate nolentes, ui in officio contineret. Subſequuta ſunt poſtea bella inter populos & nationes: uiribusq; & lacertis inter exercitus de ijs rebus pugnatũ, in quibus rationi & moderatis con-

3 ſilijs nihil loci relictum erat. Ac mihi quidẽ hæc primordia rerum tota mente repetenti, eaq; cum noſtræ tempeſtatis rebus comparanti, ſubire cogitatio ſolet animum, quo'nam modo factum ſit, ut cum maiores noſtri & inter exteras natiões multum uerſati eſſent, & ſedes ipſas ſuas non in aliquo orbe ſeiuncto, ſed inter humanas gentes collocaſſent, multaq; & ab ipſis primis hominibus & à uicinis populis in ſuam Rempub. accepiſſent, ipſam tamen legem in homicidas, omnibus nationibus uſurpatam, reſpuerint, aliamq; excogitauerint ab omnium populorum legibus lõgiſsimè diſiunctam? Deinde illud non minorẽ habet admirationem, quòd cùm plerique homines ratione utentes, in recognoſcendis erratis ſuis pœnitẽtia aliqua ducanẽ: ſitq; hæc hominis Chriſtiani laus propria, errata ſua emendare, & ſcelera commiſſa, quoad eius fieri poſsit, expiare: noſtri tamẽ homines, in maxima & prorſus coruſcante ueritatis luce, errore inueterato delectenẽ: nullas admonitiones quantũuis ęquas admittere, nullaq; remedia ex diuinis humanisq; legibus ſumpta pati uelint. Itaq; fit, ut & homicidia innumera perpetrentur, & infinitæ hominibus imbellibus iniuriæ inferanẽ, & in opinionũ peruerſitate ac perturbatione diſciplinæ uiuaẽ. Et hęc quidẽ fiunt in pace, dũ adhuc nulli motus armorũ apparẽt, nullaq; belli ſuſpicio increpuit. Vbi uerò uel minima belli fama cœpit ſurgere, Diij boni, quãta inſolẽtia unà ſurgit hominũ equitũ? Ocioſis (ſic enim eos uocant, qui moribus & lege ad bellũ nõ proficiſcunẽ, quãuis res curẽt momẽti magni) ocioſis inquã hominib. minitanẽ: bellum indicunt presbyteris: colonis & hominibus ſuis pecuniã (utinã non maiorẽ quàm ęquũ ſit) imperant: alienis prædã & cædes denunciant. Quę

quidem

quidem omnia in ipsa tandē profectione cumulatissimè præstāt: & qui in rebus plerisq; sunt flexibili uoluntate, in hac præclara profectione constantiā & fortitudinē dignam se ipsis exercent: plebē fastidiendo, aliena eripiendo: fruges & pascua, boues & pecudes, uel nullo, uel admodū maligno dato precio, cōsumēdo. atq; ita solo patrio magna ex parte deuastato, ac hominib. uiolatis, exeunt foràs in hostē, summa plebis uoluntate, lamētis eos prosequētis: uotaq;, ne unquā illis in sua redire liceat, facientis: atq; etiā mutationē rerum aliquā cupidissimè expectantis. Qua enim putatis eū uoluntate fore, qui sit multifariam offensus, in illos, qui paulò minus q̄ hostes, hominibus & rebus eorū uiolandis, se gesserunt? Iam mihi quisq; secū diligenter expendat, quid præclari ab ijs expectandū sit, qui ita ḋijs hominibusq; offensis prodituri sunt in hostem? Mihi quidem hæc non sine magna solicitudine dicuntur, intuenti in pericula, quę impendere uidentē nobis omnibus. Itaq; facere nō possum, quin & cogitationē de ijs suscipiā frequentē: & quemadmodū infimi quiq; ad tempestatē iamiam imminentem auertēdam summis nauarchis, sic ego summis ordinibus consilia ad pericula à nobis propellenda dare ausim. Quod igitur feci de moribus & iudicijs constituendis, idem de bellis gerendis faciendum duxi.

CAPUT I.

Bellum modis omnibus ut auertatur, studendum. Sin minus auerti possit, quid agendum: & pacis tempore quæ curanda: & de propugnaculis, in finibus extruendis.

QVAE tamen ipsa ne unquam gerere sit necesse, pax cū exteris populis omnib. q̄ maximè colenda est: nec uquā cōmittēdū, ut causam illi habeant ullā, in nos aliquid hostile moliēdi. Si quid fortè iniuriarū ultro citroq; exoriatur, curandū ut illud uel iure, uel bonorū uirorum arbitrio tollatur. Solēt ad eā rem fœdera uicini populi & principes inire: qui cùm iudicem habeant cōmunē nullū, ipsi sponte sua eligunt urinq; iudices cōtrouersiarū: idq; uel alienos, uel sibi subiectos: quos ad tēpus iudicij, iureiurādo (quo fortè sibi obstricti sint) soluūt, ut illi liberius ex æquo & bono de cūctis negotijs disceptēt. Neq; uerò cū nationib. eiusdē religiōis tātùm, sed etiā diuersę, cōfœderatōes eiusmodi licitas esse, sanctorū patrū exemplis ꝓbari potest: ut cū Abraam primùm, deinde Isaac, cū Abimelecho fœdus fecerunt, illudq; iureiurando cōfirmarūt. Omnino paci cōsulendū est cū omnib. hominibus. Paci inquā, quę cōstās sit, & duratura, nec quicq; habeat insidiarū. Etenim si quis per pacis speciē aduersum nos paret bellū, cū eo pax uera nō est: sed quo longiores feriæ illi à bello cōceduntur, hoc ille & potentior & instructior est futurus ad bellum. Ergo per tempus pacis

diligenter aduertendū, quid agant populi cum quibus nobis est aliquid rei: quibus rebus occupati sint, cum quibus hominibus consilia cōmunicēt. Quòd si cōsilia & actiones eorū ad bellum spectare uidebuntur, impediendi sunt omnino quibuslibet, modò honestis, rationibus. Itaq; & materia omnis instrumentorū belli ex nostris prouinciis illis interdicatur: quod cōmodè fieri potest, si ipsi nos ea opus habere dicamus. Et fines nostri tam milite quàm aliis propugnaculis muniantur. quæ res quàm deterreat uicinos, præsertim prædæ intentos, à bello, argumento sunt Scythæ: qui cùm audiunt militem nostrum in finibus uersari, domi se continent, nec terras nostras infestant. Vetus est uerbū, Occasionē facere fures. Quod ad res alias uerè transferri potest. Etenim malus animus nō ad furta tātùm, sed ad res quasq; pessimas facilè impellitur occasione. Omnes igitur occasiones, quoad eius fieri possit, eripiēdæ sunt iis, quorum fides & amicitia nobis suspecta est. In primis autē curandū, ut in omnibus finibus arces sint bene ædificatæ: quæ & muniantur, & rebus necessariis tum ad uictū tum ad hostes repellendos instruantur. Sed cùm fines omnes munire cōuenit, tum eos maximè qui ad gentes spectant à Christi religione alienas: præsertim cùm hoc Turcis solenne esse uideamus, ut in finibus ditionū suarū arces & propugnacula bello parent: quos quamobrē imitari hac in re non debeamus, causa nulla est. Sunt familiæ quædā nobiles apud nos intantū proseminatæ, ut ægrè ordinē suum tueantur: neq; expeditionibus, propter paupertatē, pro dignitate sufficiant. Atque ex eis qui orti sunt, multi auitę uirtutis memores, artibus bellicis inclarescere uellent, si diuturnū aliquod contingeret bellū. Istis igitur cur quasi coloniæ quædā in illis locis non constituuntur? cur modi certi agrorū non assignantur, ubi arces eis extruerentur, quæ receptacula essent per tempus belli militū nostrorū: ex eis tanquā speculis aduētus hostium prospiceretur: primiq; illorū impetus, dū nostris militum manus subsidio uenirent, sustinerent, aut reprimerentur. Profectò si arces eiusmodi aliquot miliariū spacio ab sese ædificarentur multæ, ita ut mox ex una in alteram, quid facto opus esset, significari, atq; à præfectis in unū locū conueniri posset, existimarē prę sens & firmissimum propugnaculū hostibus oppositum esse, & obiectum. Nec scio cur locus ille hominibus militaribus non magnopere sit appetendus, ubi campus esset amplissimus uirtutis exercendæ, resq; ad uitā necessarię suppetant. Nam & melle, & pecore, & ferina, & omnis generis frumentis mirandū in modū terræ illæ abundant. Omnino regis est, in locis illis statis temporibus uersari: nā & celebriora sua præsentia redderet, & hostiū impressionibus minus opportuna. Igit à conuentu deligēdi essent locorū illorū periti, qui propugnaculis huiusmodi loca & agros assignarent, pagorū & oppidorum

dorum certum numerũ adderent, ac in formã municipiorũ redigerent: præfectis municipiorum ac propugnaculorũ militũ numerũ, quos sine intermissione alerent, imperarent. Quorum præfectorũ partes essent, certa & explorata omnia, quæ in finibus agantur, regi aut imperatori significare: de præsidio & statione Reip. nunc̃q; discedere. Quod si iussu regis aut imperatoris aliquò discedendũ sit, eos pro se relinquere qui tueantur, & uicariã operã ei impendant. Hæc de propugnaculis, quæ constituenda essent ob incursus hostiũ uicinorum. Quorum res si fortè eò incumbant, ut bellum tandem nobis inferre uelle uideantur, non sit tamen præter officium, per legatos cum eis agere, ne in animum inducant id facere. Proponenda sunt eis infinita belli incõmoda: iure potius aut æquitate decertandum esse hominibus, quàm armis, arbitríc̃q; aut iudices proponẽdi, qui controuersias disceptent. Verè enim Comicus dixit,

Omnia prius experiri, quàm armis, sapientem decet.

Hoc si à nobis erit factum, palàm omnibus faciemus, nos pacis cupidissimos esse, & à sanguinis effusione abhorrere: Deum nobis demerebimur: hominumc̃q; & nostrorum amorem, & exterorum studia nobis adiungemus. Quòd si, quibus cum agimus, hostes nobis esse malint quàm amici, omníc̃q; humana conceratione præterita, ui & armis nobiscum pugnare uelint, tum quidem arma nostra expedienda sunt: à quibus ut simus omnes in partes quàm paratissimi, ante tempus curandum est. Nam & ab hoste facilius obtinebimus quod uolemus, si nos rebus omnibus instructos intellexerit: & Reipub. in primis conducit, parata omnia & bene instructa ad bellum habere: ut etiam si quid repentinum incidat, eam possimus tutari & defendere. Itaq; si stat sentẽtia, bello experiundũ esse, curandũ est ut illud in prouinciã hostiũ totum transferatur. De quo cõsilia ineunda sunt, ubi primùm belli suspicio increbuit: sed tamen minimè exequẽda, nisi exploratũ sit rẽ aliter geri nõ posse. Quod si nos simus ij, qui iniurias ulciscẽdo subditorũ ac Reip. nostræ, bellũ inferre (quãdo alia remedia frustra à nobis tẽtata sunt) cogamur, tũ quidẽ principi Reip. cui gladius ob id diuinitùs datus est, minimè cunctandum est, quin hostium latrocinia armis persequatur.

CAPUT II.

I. Belli iustitia & honestas explicatur: q̃ ut iustũ sit, & fœlix, causam iustã habere debet: neq; gerẽdũ est, nisi rebus præparatis, & omnib. de fine eius expẽsis. II. Tum rebus primùm repetitis legitimè indici debet. & hîc copiosè de rebus repetẽdis, & de causa Prutenica inter Polonos & Germanos. III. Declaratur etiã latissimè iustitia causæ belli. 1. ut ne laudis ac imperij dilatãdi causa geratur. id q̃ 1 & ab imperij difficultate, 2 & à regẽdi labore infinito, 3 & ab eorũ quibus imperandũ est cõtraria uoluntate, 4 & à finiũ qui bello quærãtur frustratione, 5 & à calamitatibus bello-

rum

rum infinitis demonſtratur. 2. Sed bellum debet geri ad uindicandas iniurias, quæ aliter ſarciri non poſſint. 1111. Poſtremò bellum ut ſit fœlix, ab hominibus Deo reconciliatis gerendum eſt.

I Cbelli quidē ſanctitas cꝫ religioſe priſcis temporibus fuerit culta, multorū literis proditum extat. Nec enim niſi rebus repetitis, bellocꝫ ipſo per fœcialē legitimè denunciato, gerebatur. Et quamuis grauiter peccet, qui iniuria facta belli occaſionē præbet: tamen qui iniuriā illatā legitimè ulciſcitur, qui pro aris & focis, procꝫ uita & poſſeſsionibus populorum ſuorū pugnat, is certè de Repub. præclarè meretur. Itacꝫ Abraam ille pater populi Dei, eripiendi fratris cauſa bellū hoſtibus intulit. Multi quocꝫ Hebrꝛorum duces bella plurima geſſerunt, libertatis gratia. Sed belli iuſtam adeſſe cauſam neceſſe eſt: qua remota, non eſt quod ſperemus uictoriā. Quin ſi qua etiā concederet, Deo fortaſſe ulciſcente per nos ſcelera eorū quibus cum res eſſet: tamē necꝫ ea diu frui nobis daret, & metuēdū eſſet ne iuſtitię ille ſummus uindex conuerteret eam in extremū dedecus, & ſummas calamitates. Igitur ſi res fœliciter gerere uolumus, cauſam belli iuſtā habeamus oportet. Deinde uerò conſultandū & de belli genere, & an plus ex

II eo detrimenti metuendū ſit, quàm ſperandū cōmodi. Tum uerò per legatos res repetantur. Quę autē ratio, quis modus debeat eſſe repetendi, iam dicendū eſt. Sunt quos non ulla recens cauſa ad bellum inſtiget: ſed uel poſſeſsionū, quarum nulla indicia præterꝫ in chartis uetuſtate corroſis extent, uel iniuriarū ſupra hominum memoriā factarum, recordatio. Non rectè quidē. Omniū enim rerū, quemadmodū & uitæ, finis debet eſſe quidā. Qui ante annos ſexcentos ſe inuicē iniuria affecerunt, illi iudicē habent alium rerū ſuarum: cui res ſunt eorū cōmittendæ, non noſtris armis uindicandæ. De poſſeſsionibus uerò ante multa ſecula uſurpatis, quid opus eſt bellare? Quid eſt enim, quod non aliquando fuerit alienę ditionis? Pulſi Troiani ſedibus ſuis, alienas terras ingreſsi ſunt: in quibus nō prius conſederunt, quàm uel bellis, uel certè multis laboribus exanclatis. Quis tunc Troiano ſanguine cretus, bello repetat ſedes uetuſtas? Quis Didoni ſanguine propinquus, obtemperat uoto illius, quod à Poeta deſcriptum eſt his uerbis:

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor.

Sed fabuloſa fortaſſe ſunt, quæ de Troia & Didone dicuntur. Au-

Deut. 32. diamus ergo quæ ſacra narrat hiſtoria. Quando diuidebat Altiſ-
„ ſimus gentes, quando ſeparabat filios Adæ, conſtituit terminos po
„ pulorū iuxta numerū filiorum Iſrael. Vbi igitur hodie termini illi, qui à Deo ſeu filijs Iſraelis, ſeu populis alijs ſunt conſtituti? an non omnes mutati? Sed audiamus citeriora. Chaldæorū olim latiſsimè

in orbe

in orbe terrarum patebat imperium. His multis bellis uictis & subiugatis, translatum est ad Persas: deinde ad Græcos, post ad Romanos. Hi uerò maximæ orbis parti imperabant, ac in prouincias remotissimas homines sui nominis cum potestate mittebant. Nūc imperium est penes Germanos. In Italia Hispani magnam partem regnant. Quis Italorum nunc iustè detrectare potest imperium exterorum, quos olim ipsi ditionis suæ habuerint? Hæc enim est rerum uicissitudo, ut qui sæpe uictores erant, aliquando uincantur: & qui uincuntur, imperata uincentiū facere cogātur. Iam & sancta historia testatur, ne gentē quidē illam Dei electam, statum rerū eundem semper tenuisse, aut terras ac sedes easdē perpetuò incoluisse. Etenim præter bella, quibus uexabātur, sæpe alienigenarum imperio subiecti erant. nam & in Aegypto crudelissima seruitute præmebantur, & in Babylonē captiui abducebantur, & tributa pendebant, & regibus à uera religione remotis erant subiugati. Quid ꝙ testamentū Dei immortalis, hoc est hæreditas, ad exteras nationes translata est: Iudæis, quibus promissa erat, abdicatis? Nihil igit̄ noui est, si transferantur imperia, nec semper sint penes aliquē unum. Qui Italicas legerunt historias, narrant, olim Patauinos imperasse Venetis: nunc contrà, Veneti tenent imperiū in Patauinos. Sunt terræ olim à populis Christianis inhabitatæ: quas nunc gētes transmarinæ, eædemꝙ barbaræ occupant. Sunt quæ tenent̄ à populis non quidē alīus religionis, sed tamen nationis diuersæ, quàm olim. Quemadmodū enim omnia sub sole quasi fluctuant, nec statū semper retinent eundem: ita & regna & uices imperiorū mutant̄, transferuntur̄ꝙ à gēte in gentē, propter iniustitiam, ut dicit Iesus Sirach. Quod & Daniel diuinus uates testatur, & res ipsa loquitur: Multas terras, indigenis fame, peste, bello fugatis, & nomē & rationē imperij priorem amisisse, nouamꝙ unà cum nouis incolis assumpsisse. Aegrè ferunt Germani, Polonum imperare Pruteno: iusꝙ suum repetunt, ex albo nescio quo regionum imperij sui. Quasi hoc album tanti faciendū sit, quanti fieret, si quis heri uel nudiustertius relatus esset in numerum reorum. Atqui priusquam hoc album conditum esset, erat tempus cùm Germani Prussiæ minimè imperabant: & post istud ipsum album, consequuta sunt tempora, cùm Prussi contulerunt se ad authoritatem regum Polonorum. id quod hodie rationibus tam Prutenorum uehementer conducit, hunc habere regem: quàm Polonorum, talem habere prouinciam. Perpetua olim inter Prutenos & Polonos bella gerebantur. Et pax quidem sæpe constituebatur, sed eadem leui de causa rumpebatur: pangebantur fœdera, & rescindebant̄. Erat tempus, cū rex Polonus in Mahometanos pararet bellū. Sed Pruteno in Sarmatiā erumpente, coactus est à Mahometanis ad Prutenos arma conuertere. per quam occa-

Eccles. 10.
Dan. 2.

sionẽ, Turcę plures nationes Christianas occuparunt: finesq; sui imperij eò promouerunt, quò scimus oẽs. Quid quòd multis literarum monumẽtis ostẽdi potest, res olim cõtrouersas inter Polonos & Prutenos nunquã à Germanis esse disceptatas? alius erat iudex ordinarius utrorunq;: apud quẽ alteri alteris diẽ dicebant, querelas exponebant: cuius iudicatũ faciebant. Quid igitur faciẽt Germani? plus fumosis albis ac uetustis chartis seruient, aut potius cupiditati & glorię suæ, cũq; rebus tam Polonorũ cũq; Prutenorũ? Pugnabũt cõtra rerum naturã, uicissitudinẽ in rebus mortaliũ ferentẽ? Omnino & pietati & professioni Christianæ hæc minimè conuenirẽt: & res facultatẽ habere non posset, sine ingenti rerũ conuersione. Necq; ratio admittit, bellũ hoc aliquẽ moliri posse, quin prodat animũ suũ rebus Christianis parum consulentẽ. Vtinam hoc Romanũ nomẽ, quo nunc regitur bona pars Christiani orbis, potius conuertat uires suas in hostes imperij sui, qui uellent sublatam omnem ueri Dei religionem: quàm in socios sibi deuinctos & lege, & moribus, & officijs, & religione, & sanguine, & beneuolentia suà, auitaq;. Olim quidem Romanum imperium nationibus omnibus uicinis, ac magna orbis parte subiugata, Carthagine etiam æmula sua sublata, cõcidit ipsum, uiribus suis intra uiscera sua conuersis. Videant & nũc Romani principes, ne si in socios, hoc est in sua uiscera stringere uelint ferrum, rationem imperij præsentem amittant: seque, & nomen ipsum Romanum, quasi ex summo fastigio in aliquod barathrum præcipitent. Habendus est igitur modus rerum repetundarum: ne rem uel ab ouo (ut aiunt) ordiamur, uel ab eo tempore quo Altissimus ponebat fundamenta terræ. Omnino terræ quæ uel à socijs, uel ab amicis benemeritis, multa secula possidentur, coluntur, & inhabitantur, quamuis aliquo iure uideantur ad nos pertinere: tamen æquis conditionibus sunt illis permittendæ potius, quàm bello repetendæ. Quòd bellum cùm maxima fortunarum iactura constet, sanguinisq; humani effusione: tum exitum habeat uel pessimum: uel nunquã tanti æstimandũ quanti erant sumptus, & sanguis effusus, & infinitæ calamitates. Hæc de rebus repetẽdis.

4 Qui non alia necessitate ad bellum feruntur, quàm glorię, aut imperij dilatandi causa, pessimè consulunt rebus mortalium. Dum enim nomen suum inclarescere uolunt, ciuium fortunas ac capita in discrimen adducunt: & cædibus ac cladibus partis utriusq; infinitis loca replent omnia: ac ne satis quidem intelligunt rem, quam tantopere concupiscunt. Nam quid aliud est amplum imperium, cũq; ingens & perpetua solicitudo, de ijs quos regendos susceperisses? Velim igit, qui tãta ardẽt cupiditate dominãdi, cõsiderent & seipsos, & eos quibus imperare cupiãt, & rationẽ omnẽ regẽdi. Necq; eñ satis est, regem aut principem salutari, pompa & ministrorũ frequentia stipari:

ſtipari: eosq; qui dicto ſint tibi audientes, ad manū habere. Regere te oportet, ſi uelis eſſe quod diceris: hoc eſt, conſulere & proſpicere uitæ eorū quos gubernes, dignitati, moribus, legibus, ac fortunis. Innumeræ ſunt dotes, quibus reges bonos præditos eſſe oporteat: quæ & à nobis primo libro breuiter, & ab aliis alibi copioſè explicatæ ſunt. Vocantur patres patriæ, ut non ſecus res populorū ſuorum curent, q; filiorū: pro eis excubent, cōmoda & uitas eorū tueantur: non quieti, nō remiſsioni, non conuiuijs, nō uoluptatibus ſe dedant: ſed & corporis labore, & omni animi contentione eò contendant, ut dignitatē & cōmoda Reip. conſeruent. Multa noua, multa inopinata accidere poſſunt in utranq; partē. Ea regi tanquā ex ſpecula Reip. proſpicienti prouiſa eſſe debent, ut ſi quid aduerſi immineret, poſsit in promptu cōſilia habere, quibus uel auerteret, uel leniret, uel certè aptè & quietè ferret quicquid euenisſet. Turpe eſt enim homini tantarū rerū molem ſuſtinēti, ita ſe gerere, ut ſi quid ſubitò euenisſet, dicendū ei ſit, NON PVTARAM. Qui igitur ad hunc modū præeſſe uellet, ut omniū ſaluti & dignitati cōſuleret: hic quidem rem maximā & difficillimā appeteret. Sed em̄ eundē coſiderare oporteret, num in ſe ſit tantarum rerū efficiendi facultas. Pater tuus, Auguſte rex, omnibus regiæ poteſtatis uirtutibus ſpectādus, cùm faſces regni Hungariæ ac Bohemiæ à morte Ludouici regis, deinde Suetiæ quoq; ei deferrentur, reſpōdiſſe dicitur: Tot ſibi po « pulos diuinitùs commiſſos eſſe, ut optanda ſit illis bene regendis fa « cultas: externa regna, homini ſuis occupato, minimè optanda. O « uocē uiri prudentis, & excelſi animi, ac prorſus tali rege dignā. Erat ille uir multū prouidens, rerū muneris ſui conſideratus æſtimator & expenſor, artium belli & pacis ſciens. Itaq; non mirum erat, populis & ditionibus ſuis ſemper conſulentē, externa imperia minimè ambiuiſſe. Contrà ſunt multi, quos delectent ſpecioſi tituli: qui uoluptatum, & quaſi ſpectaculorū, non rerū magnarū cauſa regnare uelint: qui ſatis ſe functos munere ſuo exiſtimēt, ſi habeant qui pro ipſis res gerant. Cumq; regionū multarū, à ſe longiſsimè diſsitarū, ſint præſides, multa ignorant, quæ ibi agantur: multis falſò ad ſe delatis credere coguntur: ſatisq; eſſe putant, ſi edicta mittāt, diplomata conſcribant, de rebus uix tenuiſsima auditione acceptis. Si quæ in illis prouincijs ſeditiones fortè excitentur, eas ſedare: ſi qui ſubiti caſus aut calamitates uel à ciuibus, uel ab externo hoſte, uel à fortuna inuehantur, eis occurrere nō poſſunt. Quod accidiſſe annalibus noſtris proditū eſt, cùm Vuladislaus Secundus, magnus patruus tuus, Polonis imperans, ad Hungariæ quoq; gubernacula uocatus acceſsit: ibiq; rebus gerendis intentus, Polonica negotia omittere cogeretur. Fit enim profectò, ut, quē admodū in ſæuis tempeſtatibus nauis ſine gubernatore, ita Reſp. ubi præſens non adeſt guber-

nator,in ſummum diſcrimen adducatur: aut,quod de Phaetonte fa
bula narrat,ſeipſum perdat princeps,tantarũ rerũ,quibus ſufficere
3 non queat,onere preſſus. Si igitur imperiũ multorũ regnorum ac
prouinciarũ procul à ſe diſtantiũ difficile eſt, plenum moleſtiarũ ac
periculorũ,ut minimè appetendũ uideatur homini officio ſuo pro-
bè fungi uolenti:quanto minus eſt faciendũ,ut aliquis illud ui quæ-
rat & armis? Quid enim minus decet,q̃ uelle te gubernare eos,qui
id à te non petant? uelle te conſiliũ & operam tuã nauare ijs, qui ea
nõ indigeant? Inſania profectò dicẽda eſt,non magnanimitas,quæ
te ad id armis obtinendũ ſtimulet,quod uoluntate & beneuolentia
4 conſequendũ eſſet. Multi opibus ſuis permagnis plura adijcere
uolentes, omnia perdiderunt. nonnulli ditiones ſuas bello augere
ſtudentes,ſuis expulſi ſunt. Profectò boni uiri eſt, nihil facere tãti,
ut illius cauſa quietẽ uel ſuã uel aliorũ interturbet: charitatẽq̃, qua
generi humano coniunctus eſſe debet,rumpat ac abijciat. Quid eñ
eſt quod pluris faciet? An gloriam? Scythicum hoc quidem eſt,
ac Turcicum,ui, flamma,ferro,agrorum uaſtatione,humano cruo-
re laudẽ quærere. Veræ enim uirtutis eſt,non tam gloriam, quàm
facta glorioſa,quæ cum honeſtate & æquitate coniuncta ſint,ſecta-
ri. Omnino uera gloria non eſt, ubi nulla habetur ratio æqui & re-
cti. Neque in magnis uiris eſt, qui geſticulationes hominum, ru-
munculos, uanos & magnificos titulos tanti facit, ut hæc immani-
bus factis conſectetur. Sed fortè uoluptates, aut etiam aliæ com-
moditates quæruntur bello. Hæ uerò firmiores ſunt, & durabilio-
res, ubi minus curæ eſt, ac ſollicitudinis. Iam quæ interea tua con-
ſcientia? quam tibi affert uoluptatem, qui tantopere ſitias domina-
tionem? Quid apud te Dei reſpectus,cui ratio reddenda omniũ no
5 ſtrarum actionũ? An uerò te non mouent ſcelera, turpitudines,
dedecora,& calamitates infinitæ,quæ bellum conſequuntur? Om-
nino quod in rebus alijs fit,idem in bellis euenire uidemus,ut (quẽ-
admodum inquit ille) delirent reges, plectantur Achiui. Regibus
ac Principibus ſeu prælio ſeu deditione uictis, aut ignoſcitur,aut le
uius q̃ pro culpa in eos animaduertitur:qui tamen cauſæ bellorum
fuere.imò plerunq; authores bellorũ omnes, impunitatẽ cõſequũ-
tur. Inſontes autẽ & immerẽtes, qui cauſam bello nullã præbuere,
ſceleratè mulctantur: dum alij fortunis exuuntur,uel populatione,
uel igne,uel direptione,uel exactionibus:alij terris ſuis exterminan
tur: alij necantur tum fame, tum gladio,tum modis uarijs. Coniu-
ges eorum impudiciſsimè tractantur,uirgines uiolantur, diripiun-
tur pueri,alliduntur infantes. Alij artes ſuas exercere prohibentur,
agriculturam,mercaturam, cultum ingeniorum, & omnia ea unde
uel uictus uel aliæ commoditates uitæ neceſſariæ quęruntur. non-
nulli officinis & artibus ſuis deſertis, ad caſtra, deſidiæ & impuni-
tatis

tatis causa, concedunt. Hinc tot orphanitates, orbitates, prolis neglectio, uirginum & matronarū prostitutio, mendicitas, squallor, pædor, bonorū morū uastitas. In militibus uerò, quorū opera bellum geritur, peccandi consuetudo, licentia, in Deū & diuos conuicia, periuria, latrocinia, grassatio, sacrorū & profanorū neglectus & contaminatio: omniū deniq; uitiorū nefandorū & capitalium sentina et colluuies. In quibus omnibus cōniuere necesse est belli ducē, si milite uti uelit beneuolo & obedienti. Accedunt querelę eorum, qui se tibi socios adiunxerunt in bello: si fortè non ea abs te præmia referant, quæ expectabant: qui & labores, & erumnas, & impensas suas iactare non cessant. Quid dicam de magnis uiris, amicis tuis, qui in acie occiderunt, cupiditatis tuæ causa? Quid de uictis, qui te tacitis odijs semper prosequuntur: occasionibus semper intenti, ut se uindicent in libertatem? Quid denique de ciuibus tuis, quibus pecuniam toties imperabas: toties terrorem incutiebas, ut ne obsisterent cupiditati tuæ: qui à milite uel domestico, uel externo, infinitas ærumnas perpessi sunt: quos putas animos aduersum te gerunt? Profectò ferreum animum esse oportet, qui in tot mala inspiciens, non inhorrescat ad mentionem belli: utcunq; sibi uictoriam polliceatur. Cui tamen uictoriæ quis scit se fore superstitem? Sed ut superstites sint multi: tamen nulla belli commoda tanti sunt, ut cum incommodis compensari queant. Neque enim ex præda, quamuis opima, uoluptatem quis capere potest, nisi latro: neque ex carnificina & immanitate, nisi carnifex. Gloriam autem quis ex calamitate & clade aliorum nactus est, nisi apud centauros & impuros istos: qui uita deprauatissima, & facinoribus fœdissimis, rectum de rebus iudicium amiserunt. Multi tot calamitates bellorum, uiolentias, cædes, ruinas expendentes, existimarunt hominē, absq; nefario scelere, bello se implicare non posse. Verùm exempla sunt in promptu, ducum clarissimorum & sanctissimorum, qui iustis de causis, & necessarijs, plurima gesserunt bella. Magis igitur 2
causæ belli expendendæ sunt, ac eius gerendi rationes. Et principis quidem est, quàm maximè curare, uigilare, prouidere, ut ne ullę fiant iniuriæ: si quæ contingant, omnibus uiribus anniti ut sine armis propulsentur. At si iniurię nec auerti, nec sine armis sarciri possint, bellum omnino gerendum est: cùm quidem hominum sceleratorum, apud quos nec Dei nec hominum ullus est respectus, licētia malefaciendi aliter coerceri non queat, nec res ablatæ repeti, nec iniuriæ illatæ uindicari, nisi ad hoc armorum remedium recurratur. Etsi igitur committendum non est, ut uel cupiditas habendi, imperij que ampliandi, uel ambitio gloriæ ac excellentiæ, nos excitet ad bellum: tamen iniuriæ populis nostris illatæ, studium que Reipublicæ nostræ tuędę ac defendendæ, maximos debēt stimulos ad-

dere ad bellū: ut ſcilicet in pace uiuatur, ſaluis cōmodis & dignitate Reip. Qui enim princeps tale omitteret bellū, nec hoſtium impreſſionem milite collecto frangere, nec res ablatas repetere, nec iniurias ultum ire contēderet: is hoſtibus occaſionē ſimilia facinora deſignandi daret: officium gladij, qui illi in manus, in pœnam malorū datus eſt, negligeret: nec princeps, ſed Reip. deſertor ac proditor putandus eſſet. Qui em̄, inquit Cicero, non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, iniuriæ, tam eſt in uitio, quàm ſi parentes aut amicos aut patriam deſerat. IIII Verumenimuerò non ſatis eſt, iuſtam bellandi habere cauſam ad uictoriā obtinendā. Niſi pœniteat nos delictorum quæ unquam cōmiſimus, niſi actionibus Deo placentibus ornauerimus uitā noſtrā, nulla ſpes nobis eſſe poteſt uictoriæ. Vtitur em̄ Deus miniſterio gentiū alienarū, uindicandis ſceleribus populi ſui. Itaq; & nationes euocat ab aquilone uſq;, ſibilo ſuo tanquā clangore tubæ ad bellū: & Nabuchodonoſorem regē Babylonis ſeruum ſuū appellat, quē ducē elegerit contra Iſraelem. Deſcribit etiam & celeritatē & robur, & apparatū, & bellandi peritiā exercituū ueniētium: ut ſignificet, nihil dubitandū eſſe, quin uictoriā de Iſraele ſint relaturi, aut certè eos in captiuitatem ducturi. Ergo & cauſa iuſta exiſtente, & bello indicto, & uita ad normam Chriſtianam inſtituta, quod cum Dei nutu geretur bellum, & fœlix fore ſperandum eſt, & fœlices ſucceſſus habiturum.

Hiere. 25. Eſa. 5.

CAPUT III.

Belli ſanctitas, & inter opera humana præſtantia, multis modis oſtenditur. & hic exhortatio ad equites, & ad Regem.

ATQVE haud ſcio, an quod ad eū modū geretur, ſit operū humanorū præſtantiſsimum, in quo latiſsimè pateat campus ad plurimas & maximas uirtutes exercendas. Vbi enim fortitudo maior apparere poſsit, quàm in mortis contemptione, cùm uitā tellis hoſtiū pro patria exponi neceſſe ſit? Vbi autē iuſtitia clarior lucere, ubi beneficia plura & cuncto populo gratiora exiſtere, quàm in uita paciſcenda pro ſolo ubi ortus ſis, pro ædibus in quibus altus & educatus, pro uxore, liberis, bonisq; uniuerſis, denicq; pro Repub. & religione Dei immortalis? In his uerò omnib. quanta eſt quæſo materia fidei exercendæ? fidei inquam, in Deū illum præpotentē: ſine qua, tot pericula nemo uolēs prudēsq; ſuſtinere queat. Sed animus ad illas beatorū ſedes, quę legitimè certantibus paratæ ſunt, reſpectans, miſericordiæq; Dei per CHRISTVM IESVM promiſſæ confidens, contra terribile illud mortis malū confirmat ſe: in ijsq; periculis uerſatur, ex quibus iter ſibi expeditū uideat ad uitā immortalē. Itaq; non immeritò ab Apoſtolo IESV CHRISTI proditū eſt, multa ſanctos patres præclara facinora in

Heb. 11.

ra in fide, & in illa persuasione de Dei erga ipsos gratia & benignitate edidisse, regna expugnasse, ora leonum occlusisse, uim ignis extinxisse, gladij aciem effugisse, incursiones hostium auertisse, fortes in bello fuisse. Videtur etiam Deus consilio quodam secretissimo ut nationibus alijs, ita nobis quoq; hostes uicinos opposuisse, qui nos semper exercerent, & in timore continerent: ne si perpetuò in pace uiueremus, rerum omnium securi, uel uirtus nostra flaccesceret, uel ipsi in nos mutuas dextras conuerteremus. Ideo & olim populo suo delecto in terra illa promissa, ad quam magnificè illos perduxit, hostes immiscuit, qui essent illis tãquam materia uirtutis exercendæ: & Romani hostibus finitimis deletis, bella mutua inter se gessere. Quamobrẽ uos, ô equites, & quicunq; Rempub. defenditis armis, cùm ad bellũ accingimini, non ad prædã domesticã, non ad licentiã istã patrãdi omnia quæ libeant, uos accingi putatote: sed ad opus sanctissimũ, ad functionẽ muneris Deo hominibusq; lõgè gratissimi: ex quo ad uos uestrumq; genus gloria, ad Remp. dignitas, ad res uerò singulorum maximæ & plurimæ cõmoditates perueniant. Tibi uerò ô Rex, hæc agenda sunt, iniuriæ & pericula à tuis hominibus propulsanda, licentia seuerè punienda: eaq; omnia curanda & prouidenda, quæ ad pacandã & tranquillandã Remp. domi pertineant: ne si quid per negligentiam tuam in Deum hominesq; cõmittatur, atrox aliqua surgat tempestas, quę & tuo capiti non parcat, Rex, & Rempub. tuã euertat. Vides eñ, quantæ malorum cateruæ foris nos circunstent. Si ea domesticis malis auxerimus, quis nos liberabit ab ira Dei præpotentis? Recordare Rex, Ludouici Hungarorum regis, cognati tui, qui propter licentiam & scelera populorum suorum domestica, & perijt innocens ipse, & regnũ crudelissimo hosti occupãdum reliquit. Igitur per singula dítionum tuarum municipia disponendi sunt magistratus, qui & arceant iniurias, & uindicent illatas. Sed de his alio loco dicemus, nũc quæ bello apparando sint necessaria exponamus.

CAPVT IIII.

1. *De arte & exercitatione militari.* 2. *& quæ obseruãda sint à bellatoribus.*

IT artẽ quidẽ cùm omni in re, tũ militari, necessariã esse certũ est. Quamuis enim ob innumeras belli gerendi rationes, uariasq; & subitas mutationes uix norma aliqua & lex belli faciendi tradi possit: tamen multa à uiris prudentibus congesta sunt obseruatione diuturna, quæ ad uictoriam de hoste referendam multum conferre possint. Quemadmodum autem artes omnes, ita & militaris, crescit decrescitq; tum educatiõe, tum exercitatione. Parum ualent ad rem militarem homines molles, & luxui dediti: quẽadmodũ Turnus dicit, dum Troianis exprobrat mol-

mollitiem ſuam, his uerbis,

Vergil. Aen. 9. *Vobis picta croco & fulgenti murice ueſtis,*
Deſidiæ cordi, iuuat indulgere choræis:
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Significat enim, homines mollicie ſolutos, militiq; parum aptos eſſe: nec loricæ, nec galeæ pondus eos diu ferre, nec arma ſine moleſtia tractare poſſe: ſolem, frigus, inediam, laborem recuſare. Non igitur in cubiculis ac tectis perpetuò militi hærendum. Noſcenda ſunt ei ualla, foſſæ, tentoria: non ueſtibus delicatis nimium indulgendum, ſed ſagis & loricis aſſueſcendum: non in umbris ſemper deliteſcendum, ſed ſole & gelu cutis duranda. Non immeritò enim gloriatur Numanus Remulus, ſe à teneris annis laboribus aſſuefactũ, deſidiã ſemper, mollitiem & luxum ignoraſſe, cùm ita inquit:

Durum à ſtirpe genus, natos ad flumina primùm
Deferimus, ſæuoq; gelu duramus, & undis.
Venatu inuigilant pueri, ſyluasq; fatigant:
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoq; aſſueta iuuentus,
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur, uerſaq; iuuencum
Terga fatigamus haſta: nec tarda ſenectus
Debilitat uires animi, mutatq; uigorem:
Canitiem galea premimus. —

Sed hîc nõ de educatione tantùm Remulus gloriatur, ſed etiã de exercitatione: qua ipſa ars militaris potiſsimũ uiget, fitq; maximi. Ea uerò poſita eſt cùm in equis, tum in equitibus, tũ etiã in peditib. Sæpe equi rebus gerendis impedimento fuere: ſæpe etiã ſtragibus cauſam præbuere. Ergo qui refractarij ſint ac contumaces, uel timidi, uel in defatigatione ſpiritu deficiantur, tum etiã laboris impatiẽtes, ac agitationibus & cõuerſionibus inepti, ex acie eijciantur: idq; per præconẽ proclamari perutile eſt, ut quiſq; ante tempus equos ſibi comparet idoneos. Quod ſi inſtrumentis bonis, opus cuiuſq; artis, bene perficiatur: profectò etiã bellis conficiẽdis equi boni curandi ſunt, qui & alantur diligenter, & frequẽti equitatione exerceantur: tum curſu & recurſu ineundo, tum incitando, tum ſiſtendo: tũ de uia deflectendo, tum per ſalebras decurrendo, nec foſſæ nec riuo parcendo, denicq; & in orbem flectendo, & omne opus bello neceſſariũ uſurpando. Fieret hoc modo, ut nõ equi tantùm, ſed ſeſſores etiã ipſi exercerentur. Quod quàm neceſſariũ ſit in bellis, nõ eſt obſcurũ. Necq; eñ fieri poteſt, ut hilarè imperatoris capeſſant iuſſa, aut ſcienter exequant militaria munera, qui ſunt earũ rerũ inexercitati. Nam quomodo equũ flectet, quomodo tela iaciet, quomodo armis utetur, quomodo haſtis concurret, qui harũ rerũ prius pericu-

culum

culũ fecit nullũ? Olim mos erat ciuitatũ, ut tertiam ciuium partem ad militiã assuefacerent: qui alijs Reip. muneribus immunes essent. itaq; & ipsæ ciuitates sine milite externo tutabantur agros & possessiones suas. Nunc apud nos equester ordo totum onus sustinet Reip. defendendę. Quæ Resp. militẽ habet inexercitatũ, ea tempore necessitatis aut suo illo eodẽ imperito utat, aut exercitũ aliunde accersat necesse est. Suo quidẽ imperito uti, quid aliud est, q̃ hosti concedere uelle uictoriam? nam nec res bene geri possunt ab imperitis, & hostibus animi crescunt, dum norunt scientiam esse bellãdi nullam in ijs cum quibus cõcurrendum sit. Sin uerò milites externi conducendi sunt, illis tamen nec tantùm fidei haberi, nec tantum oneris imponi, nec delinquẽtibus tã iusta pœna irrogari potest, atq; suis: strenuè uerò rẽ gerentibus, plus numerari necesse est. Quid q̃ illi in sua redeuntes, magnam uim secum pecuniarũ asportant? Illud uerò in primis cauendũ, ne milites externi regione in qua bellũ gerunt, locisq; bello opportunis perspectis, rebusq; etiam omnibus quibus uel abundet uel deficiatur, denicq; rationibus belli gerẽdi eorũ à quibus accersiti sunt cognitis, procliuiores sint ad bellum aliquando inferendum, uel sponte sua, uel ab alijs conducti. Libenter enim hostes adiungunt sibi eum militem, qui peritiã locorũ habeat, rerumq; omniũ regionis, in qua bellũ gerere uolũt. Sed quor sum ista? Omnino, quoad fieri potest, milites nostri nominis potius conscribendi sunt, q̃ externi accersendi: modò tales sint, qui rerum militariũ habeant aliquã peritiã. Dicamus igitur, ut cœpimus, de exercitatiõe militari. Cui haud dubiè multũ accederet momẽti, si iuuentus heluationibus contemptis, saltu, cursu, & palæstra sese ad agilitatẽ & promptitudinẽ exercitaret: atq; ad eam rẽ magistris uteret, qui sumptu publico cõstituendi & alendi essent. Statis etiã temporibus sub dio dormire, sitim, inediã, frigus, & æstũ tolerare, feris per auia lustra insequẽdis operã dare, oneribus & dorso & supra hastã ferendis ambulare, in armis cursitare, in equũ ligneũ insilire, statuã seu columnam aliquã tum iaculo tũ ense tum hasta petere, ac tanquã cum hoste cõgredi cõdisceret. Aggeres item, fossasq; & faciendo & transiliendo: in ardua loca subsiliendo, & de illis desiliendo: eademq; tum occupando, tum ab ijs qui deturbare contendant defendendo: fugiendo item, insequendo, ad scopum præfixum iaculando, inuicem hastis concurrendo, ad res serias se præpararet. Sunt & illa exercitia armorum non omittenda, diuersis gentibus usitata, de quibus Statius facit Achillem ita narrantem, *Statius Achil. 2.*

Iamq; & ad ensiferos uicina pube tumultus
Aptabar, nec me ulla feri Mauortis imago
Præterijt: didici quo Pæones arma rotatu,
Quo Mageta sua gesa citent, quo turbine cæstum

Sauromates, falcemq́, Getes, arcumq́, Geſenus
Tenderet, & flexæ Baleáricus author habenæ,
Quo ſuſpenſa trahens libraret uulnera tractu,
Incluſum quoties diſtringeret aera gyro.

Par etiã fuerit acies ordinare, rationem concurrendi contrarijs frontibus uel lento uel concitatiore curſu oſtendere: nonnunquam etiam prælium tum haſtis fragilibus ſine ferro, tum globis leuibus manu funda'ue iactis committere: uocemq́ ſonoram in ipſo concurſu, hoſtis terrendi cauſa emittere. Quomodo item acies uel ſtantes conuertendæ, uel turbatę rurſus ſiſtendæ: ad hæc uel hoſtes inſequendi, uel terga uertenda ſint, diſcere. Sæpe inſequentes hoſtem, uel in inſidias delati, uel alia ratione uicti ſunt. nõ raro qui terga dedere prælio inſtaurato, uictores euaſere. Cautiones igitur horum diſcendæ, & quoad eius fieri poſsit, ſeruandæ ſunt. Ad cuſtodias etiam & ſtationes tum diurnas tum nocturnas, quomodo & agendæ & occultandæ ſint, ad ſpeculandas & explorandas res hoſtium, ad inſidias ſtruendas, milites aſſuefaciendi. In itinere item faciendo, quomodo in locis & ſpacioſis & anguſtis & inuijs ſe gerant, docendi. Ac in ipſis profectionibus efficiendũ eſt, ut, quantũ res ferat, milites ordine inſtructi, cõfertim & cõtractè incedant: ne, ſi in longum diſtrahantur, occaſionem dent hoſti ſe inuadendi: fiatq́ ut, cũm neq́ primi poſtremis, neq́ poſtremi primis in tempore opem ferant, omnes ſeparatim trucidentur. Si uerò per anguſtias uiarum exercitus ducatur, opportunitates locorũ diligẽter occupandæ ſunt. Deniq́ diſcendũ, quomodo effici poſsit, ut magni exercitus parui hoſtibus uideantur: & contrà, quomodo qui parui ſunt, magni in ſpeciẽ appareant. His enim modis hoſtes aliàs ad pugnam eliciendi, aliàs terrendi ſunt. Erat & illa apud ueteres exercitatio, ut milites in flumina, quę fortè in proximo erant, deſcenderẽt, non tantùm ſordium ex ſudore eluendorũ, ſed etiam natationis diſcendæ gratia. Quæ quàm neceſſaria ſit in bellis, norunt quibus unquam res cum hoſte fuit ad loca aquoſa. Aſſuefaciendus eſt miles, ut ſigna ab imperatore data obſeruet: quorum partim ad prælium ineundum, partim ad recipiendum ſe in caſtra, deinde & ad caſtrametandum, & ad diſcedendum produntur. Fiunt autem aliâs uerbis, aliâs tubarum clangore, aliâs etiam notis alijs: ut uexilli haſtę'ue depreſsione, ignis extinctione, & his ſimilibus. Sunt alia exercitandi genera, de quibus, qui in bellis magis uerſati ſunt, exactius narrare poſſunt. Ad eiuſmodi autem exercitationes ludi ſolennes in nonnullis Rebuſpub. cõſtituti ſunt: prę̃mia etiã certantibus propoſita. Itaq́ & noſtræ Reip. ludi ſimiles non eſſent inutiles, quibus iuuẽtus armis omnis generis exerceretur. Tempora etiã quotannis conſtitui è Rep. eſt, quibus ad certa loca oẽs qui lege Remp. defendere

fendere debēt, conueniant: ac ſe unuſquiſq; pro modo facultatum ſuarum cum equis, miniſtris, & armis, tam ijs quibus tegat corpus, quàm quibus hoſtis feriatur, oſtēdat q̄ ſit ad bellū inſtructus. Cautionis eſt, diē unum edici, quo in omnibus municipijs hæc agantur: ne ſi diuerſis diebus fiāt, ſumant alij ab alijs mutua belli inſtrumēta. Præficiendi etiam ſunt uiri graues & rei militaris periti, qui exercitus luſtrent, numerū eorum qui in armis eſſe debēt recenſeant, acies tanquam ad prælīū inſtruant, & quomodo confligendū ſit, quid etiam agendum cum hoſte, doceant: & alias militares exercitationes inſtituant: ſine quibus inſtrumenta, quamuis optima, nihil ualent. Certè eorum exercitiorū cauſa milites limitanei, qui in prælijs uerſati ſint, accerſendi uidētur. Itaq; ex ſingulis municipijs, ad eoſdē limites equeſtris ordinis homines proficiſci par eſt: non omnes quidem ſimul, ſed hoc anno hos, annis conſequentibus alios poſt alios: ut per uices ſtipendia faciendo, & Reip. ſeruiant, & exercitationē armorū induant. Atq; in huiuſmodi exercitijs Palatinos, Caſtellanos, præſides municipiorū, & quicunq; ſunt cum poteſtate, præſtò eſſe conuenit: ut omnia cum authoritate & maiore cum diligentia agantur, militesq; ſint dicto obedientiores. Nam cùm militis ſint partes, & ſiſtere ſe, & progredi, & hoſtem ferire, & regredi, & alia pro re & loco agere: profectò qui in his quaſi umbris præliorū uerſati non ſunt, fieri non poteſt, ut cùm ad ſolem & puluerē, hoc eſt in aciem, & in ipſum diſcrimen erit uentum, bene & fortiter ſe gerant. Et hæc quidē ſunt, quæ bellaturis inhærere, in eorumq; ui ac natura ineſſe uidentur. Nam alia ſunt extranea illa quidē, ſed tamen neceſſaria & ipſa, quæ ab eis, in primis autē ducibus belli cognoſcantur.

Primùm quidē, militum tum ſuorū tum hoſtiū natura, ingeniū, 2
mores, uirtutes & uitia. Nam ex ijs multa in utranq; partē quæ uictoriam uel promoueant, uel impediant, colligi poſſunt. Deinde regionis in qua bellum gerendū ſit, ſitus & natura: montoſa ſit, an plana: quos fluuios, quas ſyluas, ciuitates, caſtra habeat: mores item ciuium & incolarū. Iam locum uel caſtrorū ponendoū, uel acierum ordinandarū, quantū fieri poſsit, prænoſſe in primis conuenit. Ex his enim omnibus multę rerū gerendarū occaſiones arripi poſſunt. Non omnis locus obſidionē fert, non ad omnē machinæ admoueri poſſunt. aliter cum Vlyſſe, uafro illo: aliter cum Aiace, forti quidē uiro, ſed minimè inſidioſo, res agenda eſt. Polyphemum immanē illum, & ferum, ut uincas, potū illi quo inebrietur præbeas oportet. Multa igitur pro genere belli, & hoſtis, cum quo bellū geritur, definienda ſunt. Nam cum his qui ad fugam minimè apti, ſtatariam pugnam faciunt, aliter res gerenda eſt, quàm cum Turcis & Scythis, qui fugam ſimulando, & interficiunt ſe perſequentes, & pugnā inſtaurant, & incautos facilè ſua multitudine circundant. Hæc om-

nia prudentibus bellatoribus tenenda & cognoscenda sunt: quorum consideratio plus sæpe ad uictoriam ualet, quàm robur, & hominũ multitudo. Ideo & Turca, tametsi multitudine hominum, & instrumentis belli superet omnes ferè monarchas: tamen arte & opportunitatibus plures uictorias adeptus est q̃p potentia. Nouit ille nationũ omniũ, cum quibus res illi futura sit, mores: nouit regionũ & locorũ situs. ea sibi per exploratores, uel hominibus Christianis cõductis, depingi curat. nec unquã ad nos uenit, nisi omnia cognita prius habeat, & perspecta. Ita scit ubi acies ordinandæ, ubi decertandũ, ubi resistendũ sit. Sæpe ex nostris moribus certã sibi uictoriam pollicetur. Nam & helluationes, & luxũ omnis generis, & discordias nostrorũ habet perspectas. Hæc igit̃ uitanda sunt, & occasiones omnes cognoscendę. Plericq; mirant̃ tantam olim Romanorũ uincẽdis populis fœlicitatẽ fuisse, ut sibi orbem terrarũ subegerint. Etsi autẽ fortunam Romanorũ permagnã fuisse certum est: tamen nisi exercitatio & disciplina militaris tanta apud eos fuisset, quanta uix apud alias gentes: nisi opportunitatũ omniũ belli geren di obseruantissimi fuissent, nequaquã potuissent tam bene uti fortuna sua. Itaq; multi scriptorũ tradunt, eos non tam multitudine militũ, q̃p arte & peritia uictores extitisse. Et Vegetius narrat, in omnibus scriptoribus inueniri, singulos Coss. Romanos aduersus hostes copiosissimos non amplius quàm binas duxisse legiones, additis auxilijs sociorũ: quæ uel æquabant, uel plura erant. Tantam in Romanis fuisse exercitationẽ, tantã fiduciam, ut cuiuis bello duas legiones crederent posse sufficere. Et hæc quidẽ Vegetius: qui ait, in Romanis legionibus sena milia, interdũ amplius militare cõsuesse: imò interdũ minus. ut in eo bello quod aduersus Antiochũ L. Scipione cõsule gestũ est, duas legiones Romanas, duas sociũm ac Latini nominis fuisse: quina milia & quadragenos singulas habuisse, Liuius tradit. Et hæc quidẽ eò à me dicuntur, ut intelligatur, Romanos parua manu, sed milite exercitatissimo, & ducibus peritissimis, ingentes exercitus sæpe fudisse. Nam & eo tempore bellũ grauissimum ab eis gerebatur, cùm & potentissimũ regem, & tertiam orbis partem quasi nouum mundũ inuaderent. Sed multi querun tur, artem bellandi, & hanc rem omnem de instruendis aciebus, nostra tempestate parum utilem esse, propter uim tormentorum æneorum, quibus multa hominum millia prosternantur. Quod etsi uerum sit: tamẽ & illud confitendum est, multa prælia cõmitti citra telorum emissionem ex eiusmodi tormentis. Deinde & ueteribus fuerunt quædã tormenta, qui tamen arte instructis aciebus pugnabant. Imò Turcæ quoq;, qui multum tormentis utuntur, Macedonico more instruere acies dicuntur: nullam etiam armorum exercitationem omittũt. Et scholas eos habere ad id destinatas, ubi iuuẽ-

tus

tus erudiatur ad bella, certum est. itaq; neq; hominibus nostris ea res omittēda. Iam de armorum genere, de exercitu instruendo, de numero & equitum tam leuis quàm grauis armaturæ, & peditum, & bombardariorum, & sagittariorum, & funditorum, & gerophorontum, & fossorum, de'q; rebus alijs ad conficiendum bellū necessarijs præcipere, non est meum. Sunt artifices earum rerum, à quibus ea discere conuenit. De arte & exercitatione hactenus.

CAPUT V.

De moribus & disciplina militum.

QVONIAM uerò neutrū horum aliquid magni efficere potest, sine bonis moribus, ac seueritate disciplinæ: ideo militibus talis uita degenda est, quæ declaret eos Dei timentes esse, & honestatis amantes. Qui in acie uersari audēt, Dei timoris & proximi amoris expertes, & se & patriam in certissimum discrimen adducunt. Nam conscientiæ uitæ malæ, eos exagitabunt, gladios & arma è manibus eis excutient: terroribus non tantùm ab hoste, sed ab ipsis etiam umbris & foliorum strepitu eos implebunt. Quemadmodum ipsemet Deus ad eos, qui præceptis ipsius non obtemperent, loquitur: Corruetis coràm hostibus uestris: subijciemini eis: fugietis nemine persequente: terrebit uos sonitus folij uolantis. Sint igitur milites Dei amantes, eius'que præceptorum obseruantes: nomen ipsius ne blasphement, ne'ue in uanum sumant: sobrietatem ament: luxum & lautitiam tum ciborum, tum rerum aliarum, ne studiosè consectentur: scorta è castris abigant: libidinibus ne se polluant: modestiam in rebus omnibus seruent: neminem concutiant, nullius res auferant, contenti sint stipendijs suis. Si quis aduersus hæc fecerit, uel punitor pro culpæ ratione: uel si res sit leuior, ab imperatore contemnitor, nulla'que beneuolentiæ significatione comprehenditor. Carthaginenses, milites suos, quamdiu militarent, uino abstinere uolebant. Mahometes etiam genti suæ in armis omnem pulchritudinem & Reipublicæ & religionis ostendens, uino eis perpetuò interdixit: cuius usum rei militari quadam sagacitate uidit obesse. Cyrus Persa uictis Assyrijs, prædaq; & omnibus rebus ad uictum necessarijs potitus, continuit militem suum à mensarum lauticijs: pane & aqua cōtentum esse uoluit: ideo eodem strenuo deinceps usus est. Contrà Cyaxares, cùm milite Medo, cùm cibis exquisitis uteretur, crapulæ indulgeret, uestes delicatas mutaret: in ignauiam se dedit, resq; gerēdas neglexit. Hæc quidem sunt exempla temporū à nostra memoria remotorum. adferrem & quædam nostri temporis, nisi essent odiosa. Illud in confesso est, ex cibis & potionibus

Leuit. 26.

Arist. in Oecon.

Xenoph. de Pæd. Cyri lib. 4.

delicatis,intemperantiã naſci: eamq; nullo negotio delabi ad mollitiem,libidines,& imbecillitatem,quę peſtes ſunt Reipub.maximæ. Quid quod aſſueti menſarum lautelis, facilè in morbos incidunt uarios,cibi mutato genere:quod in bellis euenire neceſſe eſt? Cauendum eſt autem in primis,ne inter milites fiant ſeditiones: quæ ſolẽt ferè naſci, hominibus non eiuſdem linguæ aut nationis ſub eodem duce merentibus. Ideo ſi qui tales ſunt, diuerſis caſtris ſegregẽtur. Ad prædam autẽ,aut annonã diuidendã conuenientes,ne quid ſuo arbitratu agant:ſed res omnis,præfectis illorum cõmittatur. Profectò conſuetudo illa concionandi,quæ apud Romanos in uſu erat, ſi à noſtris imperatoribus uſurparetur, multũ conduceret cùm ad res multas, tum ad concordiã inter milites, mutuamq; beneuolentiam conſeruandã: quæ in bellis eſt maximè neceſſaria. Turca quidem cum Chriſtianis bellaturus,nihil magis optat,quàm ut inter ſe ſint diſcordes. Nunquã ille Hungaros cõcordes uincere potuit:diſcordes uerò, magis arte & occaſionibus, quàm ferro & potentia profligauit. Exercitus Chriſtiani cùm in expeditionẽ educunt, tantę ſeditiones inter duces & populos uariarũ nationũ ſolent exoriri, ut plus laboris ſit nonnunquã compeſcẽdis illis,q; hoſte inuadẽdo. Id certè eiuſmodi eſt,ut animos nobis quidẽ adimat,deſperantibus ab ijs finẽ unum inueniri poſſe, qui ſint tãta animorum diſparitate: hoſtibus autem addat non mediocres, ſperantibus eos facilè uinci poſſe,qui ipſi à ſe uicti ſunt mutuis ſeditionibus. Itaq; diſcordię & ſeditiones uitandæ ſunt: atq; illud efficiendum,ut miles ſe q; maximè obedientẽ præſtet ſuperioribus ſuis. Quid eſt enim uirtus militaris,ſine obedientia,quàm temeritas? quę quam inimica ſit bonis cõſilijs in omni uita, in bellis etiã quàm ſit periculoſa, multa exẽpla teſtantur. Militũ quidem non tam conſiliũ, quàm opera conduci ſolet. Quocirca miles, quãuis ignarus conſiliorũ ſuperiorum ſuorũ (quę ſæpe occulta fieri neceſſe eſt) parêre debet:ſeu iubeẽ in caſtris ſe cõtinere,ſeu manũ cum hoſte conſerere, ſeu in foſſas deſcendere, ſeu uallum muros q; aſcendere, ſeu quiduis aliud factu neceſſarium exequi:id q; uſq; eò,ut ſi etiam præſens mortis periculum adeundũ ſit, ne iuſſa capeſſere detrectet. Sine his enim uictoria nullo modo comparari poteſt:qui finis eſt bello propoſitus. Adde quòd miles dicto obediens, cùm in omni officio facilius continebitur, tum à ſeditionibus minore negotio retrahetur. Miles cùm multis rebus contumax,ac iuſſorum negligens redditur,tum impunitate, ac mala de præfectis exiſtimatione. Ergo & in delinquẽtes eſt animaduertendum:nec quicquam impunè abire permittendum, ne unum delictũ trahat poſt ſe alia: quod in omni uita accidere uidemus. Et præfectis danda opera,ut uirtute & prudentia uindicẽt ſe à mala exiſtimatione. De quib.quidẽ præfectis,ordo exigit ut iã dicamus.

Omni-

CAPUT VI.

In præfectis rerum militariũ, quarum rerum ratio in primis habenda. Et hîc de Palatinis, & imperatore, & de reliquis præfectis rei militaris.

OMNINO Reip. interest, ne uirtutis bellicæ uel prima loca, uel præmia, ambitio occupet: ut' que delectus fiat pro personarum dignitate, sine qua non est quòd aliquis speret se in precio fore apud turbam militum. Vnde igitur dignitas spectanda? 1
Certè nõ tam ex genere aut diuitijs, quàm ex industria, rei militaris peritia, animíq; robore in prælijs perspecto & cognito. Nemo de capite dimicaturus, præfert equum suæ domi natum, sed pauidum & fugacem: equo uel Threijcio, uel alibi nato, acri & magnanimo. Quæ igitur, malum, stultitia est, cùm de salute & quasi capite patriæ agatur, per gratiã promouere fucos tuos, quia domestici sunt & consanguinei: eos' que præferre alienis, industrijs, laborioſis, & fortibus uiris? Facile est dici ac salutari imperatorem, ducem, chiliarchum, centurionem, decanum, aquiliferum: sed esse, ac quod res poscit præstare, id uerò longè difficillimum. Multis eiusmodi honores mandantur solius generis ac diuitiarum respectu, hominibus alioqui inexercitatis, nunquam inter tyrones uersatis, uix militiæ adscriptis: qui quales se in munere suo præstare soleant, & lippis & tonsoribus (ut dici solet) perspicuum est.

Cùm autem Palatini moribus nostris, duces sint in bello, singuli 2
suorum municipiorũ, omnino eos uirtutibus bellicis excellere necesse est. Nihil enim imperito duce turpius: cui consilia, uires, & artes desint rerum gerendarum. Palatini habent sub se Centuriones, Decuriones, Quincuriones, seu alijs nominibus appellatos: cũ quibus consilia communicant, quę par est occultissima habere. Hos uerò lectissimos esse cõuenit: ac plus in omni opere militari, quàm reliquam militum multitudinem, exercitatos. Sic enim & militẽ magis obtemperantem, & ad quæuis obeunda munera promptiorem & alacriorẽ habituri sunt. Sed in primis imperatorem, cuius nu- 3
tu omne bellum administratur, eum esse oportet, qui & prouidere multa, & ex tempore cõsilium capere, & multarum maximarumq; rerum cognitionẽ habere, in ipsa uerò re militari principatum tenere possit: qui & æstum, & frigus, & labores, & omnes belli incommoditates plus quàm alij ferre: qui exercitum in officio continere: qui in animos militum alacritatem & promptitudinem quasi influere: qui, quod in rem fuerit, persuadere uel re uel oratione queat. Quamobrem imperatoris est, loca & castris metandis, fossa uallóq; muniendis, & bello faciendo, opportuna scire eligere: populationibus modũ & rationẽ præscribere: tesseras discernẽdis hostibus à suis dare, aliáq; signa in bello necessaria prodere: excubias manda-

re, ac

re,ac per uices uigiliasq; nocturnas distribuere: locorum peritiam habere: castrorũ & ponendorũ & mouẽdorũ rationem tenere: ordinem & in eundo & in recedendo seruari mandare: militũ animos aliâs terrere,aliâs erigere: ordines tum leuis tum grauis armaturæ instituere: officia distribuere,& alios cẽturiones,alios decuriones, quosdam signiferos, nonnullos etiam prætorianos,qui imperatori semper assistant, facere: acies pro loco & tempore instruere: & ad hostẽ,seu à fronte, seu à dorso, seu à latere adoriundũ,educere: hostiũ acies uel turbare, uel circumuenire studere: eorum consilia explorare,nostra occultare: milites suos ad pugnam confirmare: receptui canere. Vidimus ipsi Hieronymũ Lascium, Siradiæ Palatinum,prudentissimũ & fortissimum heroem,cùm acies suas iam instructas obequitaret: ad præliũ fortiter ineundũ hortaretur: decus ac præmia fortibus,inertibus pœnã ac dedecus nunciaret: occasiones omnes obseruaret, nulli parti exercitus deesset. Technas, astus, fallacias, quibus hosti imponat, sibi caueat, cognoscere debet imperator: cautionesq; belli gerendi tenere. Neq; uerò, quia hosti fides data præstanda est, ideo dolus omnis aduersus illum improbandus. Illud tantùm agendũ,ut bellum sit legitimũ. quo suscepto, nihil ad iustitiã interest,dolo pugnetur,an Marte aperto. Quod & Iosuam Dei iussu fecisse,sacra testatur historia: & Poeta inquit, Iosue 8.

— *Dolus, an uirtus, quis in hoste requirat?*

Ergo & stratagemata ex historijs cognoscenda, & cautiones belli gerendi tenendæ. Etsi enim sæpe illæ uariantur,occasionibusq; extemporaneis plus nonnunquã q; arte ulla utendũ est: tamen non rarò incidunt tempora,quibus similitudine rerũ ab alijs gestarum,de multis necessarijs rebus possumus admoneri. Certè omni in re cautum magis,quàm audacẽ imperatorẽ esse debere,multi duces ostenderunt. In bello etiam Germanico, quod Carolus V. Cæsar anno Christi 1547. gesit, manifestè apparuit. magis ille prudentia animi,quàm uiribus corporis,usus est rebus gerendis. De urbiũ,locorumq; aliorũ propugnationibus, obsidionibus, oppugnationibus ac direptionibus: de fame ab ijs qui obsidẽt propulsanda: de pluteis,uineis,tormẽtis omnis generis uel propugnandæ,uel, si necesse sit,oppugnãdæ ciuitati necessarijs: de cuniculis ad muros subuertendos: de hostibus uel repellendis ne clàm murũ ascendant,uel exturbandis si in urbẽ irrepsissent: de maioribus fluminibus trajiciendis,de stagnis,de montibus,de locis arduis & præruptis: de officio & in uictos,& in captos, & in proditores, & in eos qui sponte sese dediderunt: de inducijs cũ hoste faciẽdis, deq; rebus similibus, operæ preciũ fuerit ea legere quæ multi prodiderunt: ut Vegetius, Aelianus, Frontinus, & alij scriptores præstantes. Quamuis enim animus uirtutis magnitudine & robore septus, ipse excitet se ad res arduas

arduas ſuſcipiendas & conficiendas: tamen ſi ille erit tantarum rerum ſciẽtia auctus, exemplaq; ſibi proponet ducum qui in iiſdem rebus uerſati ſint, maiore hauddubiè fiducia aggredietur ſuos tueri, hoſtes propulſare. Equidem cùm omni præfecto in rebus & actionibus ſuis, tum in re militari expetendum eſt duci, ut ſit imperandi peritus, & militẽ habeat dicto audientẽ. Habeat itaq; milites munerũ militariũ peritos, qui laborare, qui pericula ſubire uelint: qui dedecus fugiant, in re turpi uerecundia tangantur. Taliũ animi facilè excitantur ad imperata explenda. Contrà ignaui, imperiti, leues, & quos nullum ſtimulat gloriæ decus, alacres eſſe non poſſunt, nec frugi, nec aſsidui imperatis exequendis. Itaq; ille mos improbandus eſt, milites conflandi ex fece omni hominũ: numeri tantùm explendi cauſa. Multi enim uxore, liberis, officina, agricultura, re familiari relicta, in bellũ concedunt: ut domeſtico labore & ſudore uitato, licenter uiuant, prædẽtur, alienis rebus fruant. Atq; haud ſcio, an hæc ſit cauſa multorũ bellorũ infœliciter geſtorũ. Audiuimus, ad ſolum clamorẽ Turcarum aduentantiũ caſtra nonnulla deſerta, pugnas infœliciter commiſſas, arces & ciuitates occupatas. Nõ eſt difficile inueſtigare cauſas tot calamitatũ: quarum mentio erat facienda in hac tractatione imperatoris. Eius enim eſt, delectũ facere militũ, ac uidere cuius quiſq; ordinis ſit, quam artẽ exercuerit, quomodo extra tempus belli ſe geſſerit. eorum itẽ ingenia, animos, exercitia noſſe: ut ſciat, ad quam rẽ unoquoq; uſurus ſit in bello. Omnino in uitam militum quotidianam inquiri, non eſt inutile. Scorta uerò, uoluptatum inſtitores, & alios non neceſſarios homines ex caſtris remoueri, prorſus neceſſarium: neq; tam eſt curandum de numero militũ, quàm de peritia. Ipſum igitur imperatorem, cuius eſt curare hæc omnia, anteſtare cæteris neceſſe eſt, indole bona, diſciplina, conſilio, fortitudine, conſtantia, & omni uirtutis genere: ac in primis Dei timentem eſſe oportet, illiq; fidentem. Eſt enim hoc nõ humanum, ſed diuinum opus, non inuitis, ſed & uolẽtibus, & mandata exequẽdi cupidis imperare. Qui autẽ rebus, quas dixi, prædituſ fuerit, eius non uerbis tantùm, ſed aſpectu etiam, militum animi mouebuntur ad bellica, quamuis difficilia, opera.

CAPUT VII.

Exercitus in agros hoſtium primo quoq; tempore educendi.

BELLO indicto, & rebus omnib. apparatis, exercitus primo quoq; tempore in agros hoſtium educantur. Eſt enim hoc capitali odio dignum in multis equitũ noſtrorum, qui nec equum, nec ullã rem neceſſariã bello habeãt: ſed cùm dies indicit profectioni, tũ primùm de equis quo iure quaq; iniuria acquirẽdis cogitant; rebus imbelliũ inſidiant; ſacris profanisq; abu-

tuntur. priuſquã ueniant ad locũ deſtinatũ, nonnunquã hoſtis cum præda pecorũ & hominũ diſcedit: nonnunquã in patrio ſolo expectãt, ubi omnia uel nullo uel exili dato precio cõſumunt. Quo fit, ut à pleriſq; equitũ bellũ expetatur, non illud legitimum quo ſalutem patrię afferant, ſed bellum hoc domeſticũ: hoc eſt, licentia ſumma agendi omnia quæcunq; libeant. Non ſic maiores noſtri, fortiſſimi uiri, qui rebus omnib. ad bellũ opportunis inſtructiſſimi, hoſtibus obuiã procedebant: eorumq; ſolũ quam primũ ingrediebant: ibi & uiuebãt, & hybernabãt, & prælia cõmittebãt: nec prius domum, q; bello cõfecto redibant. Itaq; imperiũ hoc uirtute eorum tantũ eſt auctũ, quantũ ut à nobis bene regaã & conſeruetur, optandum eſt.

CAPUT VIII.

Magiſtratus domi cõſtituẽdi q militũ in bellũ proficiſcẽtiũ licẽtiã et prædã cõprimãt.

ERGO, quod iam à nobis dictum eſt, ex ante diem profectioni indictã, quæ Reſtium tertiarũ nomine uulgò appellaã, uſq; ad diẽ quæ luſtrando exercitui deſignata eſt (intra q̃ tempus omnibus, qui debent, laribus paternis diſcedendũ eſt) magiſtratus ſint parati certis in locis, quos uel Caſtellanos uel tribunos uulgò appellamus, qui iniurias & propulſent, & ulciſcant. Ioannes Baptiſta, militibus quid ſe facere oporteat roganti-
» bus, reſpondit, Ne quẽ concutiant, ne calumniẽtur, ut contenti ſint
» ſtipendijs ſuis. quibus uerbis legem continentiæ, moderationis, iuſtitiæ & innocentiæ eis fixit: præda autẽ, abactione, omni iniuria ac uiolentia eis interdixit. Hodie uidemus ita bellum à multis geri, ut ex comminationibus, periculis alijs intentatis, prędis ac iniurijs maximũ faciant quæſtũ. Optimè eſt à maioribus noſtris conſtitutum, ut equites ſingulorũ municipiorum ad ſuos caſtellanos ſeſe adiungãt, cumq; ijs unà proficiſcantur: ac in proficiſcẽdo ne cõſiſtẽdi aut pernoctãdi cauſa ad ædes aliquorũ diuertant, ſed extra pagos & oppida in tentorijs cum equis & impedimentis reſiſtant. Igitur caſtellanus prius prefectis & incolis loci illius, ubi eſt coſiſtendũ aut nox agenda, ſignificaret ad quam diẽ ſit aduẽturus, ut eò ex locis uicinis adferrẽtur res cibariæ pro eqs & hominib. Quas quidẽ res caſtellanus inter milites, put cuiuſq; exigeret neceſsitas, diſtribueret, precijũq; eis ex lege ſtatueret. Sin cibaria aut alia neceſſaria ad diẽ allata nõ eſſent, ſoli caſtellano eſſet poteſtas, cũ aliquib. delectis, accedẽdi in urbes & pagos, res accipiẽdi & æſtimãdi. Hoc modo caſtellanus noſceret ſingulos milites & equites municipij ſui: de temperãtia & moribus cuiuſq; apud regem & conuentum uniuerſorum fidẽ certam facere poſſet: in intemperantes mox animaduerteret: ac ad locum bello deſtinatũ ueniens, Palatino ſuo in manus redderet. Sunt enim Palatini apud nos bellorum duces: caſtellani uerò, cogendi exerci-

exercitus,& eiusdē in expeditionē educendi magistri. Hic mos militaris profectionis à ueteribus Polonis sanctè obseruatus est. Hodie ne umbram quidē eius tenemus. Pauci cum castellano, plericꝫ omnes sparsim procedūt per pagos & oppida: uel malígno uel nullo dato precio, quicquid libeat sumunt: nec leuiora profectionis uestigia relinquunt, quàm hostes, igne tantùm excepto, relinquerent. Domū reuersis, lites quidē intēduntur iniuriarum, ac damnorū datorum: sed quis & quando finis illarum litiū? processus iudiciarij quales? Nam multi equitū mutatis nominibus proficiscuntur. ger manū nomē eorum nemo rescire potest: nisi fortè sit, qui de facie olim notum indicet. Lex igitur profectionis ponenda est, ac potius olim posita renouanda atcꝫ reuocanda: magistratus constituendi, qui in transgressores mox animaduertant: quícꝫ de hac statione defendendæ domi Reip. non prius discedant, quàm ab ijs tuta fore omnia intellexerint, qui expeditionem bellicam ad prædam domesticam conuertunt. Et hoc quidem uel castellanorum, uel tribunorum, uel quorumlibet aliorum magistratuum munus esto.

CAPUT IX.

Milites in statiuis ne sint otiosi: ludi eis instituantur, & præmia proponantur.

EXercitu in unum locū coacto, uacationem militi à laboribus concedere inutile est. Quòd si hominē unum alere ociosum, molestum sit, totam uerò domum, molestius: profectò multo fuerit molestissimum, exercitū. Itacꝫ cùm à magnis & seriis rebus exercitui ocium est, ne milites torpescant, & in luxum ac epulas effundant se, ludi eis frequentes instituantur, ac præmia proponantur. Quod feciſſe Aeneam Virgilianum constat, qui ocioso exercitui ad hunc modum indicit ludos:

Prima citæ Teucris ponam certamina classis:
Quiq; pedum cursu ualet, & qui uiribus audax,
Aut iaculo incedit melior, leuibus ue sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu,
Cuncti adsint, meritæq; expectent præmia palmæ.

Huiusmodi ludis & à luxu pudendo milites abducentur, & laudis cupidine excitabuntur ad decus & officium: & crebra exercitatione tum uires corporis roburcꝫ conseruabunt, tum paratiores reddentur ad seria certamina, tum uerò existimationem bonam colligent sibi apud hostes: quæ certè ipsa eiusmodi est, ut uel sola persæpe ingentem pauorem & consternationem hostibus incutiat. contrà ignauia, deliciæ, crapula, oscitantem militem reddunt, & amissa existimatione minimè formidandum.

CAPUT X.

Magni momenti in bello fama & existimatio.

EST in ore famaq́ cohors prætoria Turcica, quã Ianizaros uocant: & certè ordo ille disciplina & exercitatione militari est commendabilis. Itaque annis superioribus sola aduentantiũ fama exercitus Christiani adeò consternati fuisse dicuntur in Hungaria, ut nullo prælio facto, aliquoties loco cedere cogerentur. Ipsi etiam Turcæ mollitiem & delicias quorundam Christianorum adeò perspectas habent, ut quoties cum eis præliari cogitent, cum porcis saginatis rem sibi fore dictitent. Tantum in mentibus hominum ualent opiniones de fortitudine ignauiaq́ alicuius cõceptæ, & confirmatę. Danda igitur est opera militibus, ut se ludis & exercitatione assuefaciãt, consilijsq́ idoneis instruant ad ardua Martis opera: ociũ, crapulam, ac omnem luxum tanquam pestem prę sentissimã fugiant: laborem, sobrietatem, temperantiam consectentur. Ab his enim ueluti fontibus, facilè & ad famam hominũ, exterarumq́ nationum profluent: & ad munus suum probè exequendum, contra hostem fœliciter progrediẽtur.

CAPUT XI.

Stipendia ad tempus soluenda: præmia benemeritis constituenda & decernenda: ignauis & male meritis pœnæ.

CVM igitur uirtuti militares honores sint deferendi, tum illud curandum, ut stipendium debitũ omni militanti ad diem soluatur. Etenim solutionis tarditas ac procrastinatio, molesta est omni laboranti: sed in primis, grauissimum Martis onus ferenti. Reddit militem & proteruum, & imperia ducis recusantem, & seditiosum, & ad defectionem cogitantem. Quòd si qua fiat, ut pecunia præstò non sit imperatori, omnino beneuolentia, spe, promissis retinendus est miles in officio: operaq́ omnis adhibenda, ut qui salutem suam omni tempore pro patria morti exponant, pacta mercede ne fraudentur. Qui uerò se in hostem præclarè & fortiter gessissent, honore & prę mio debito ne careant. Turpe est enim, eos qui cicatrices & uulnera acceperũt, qui se mortis periculis pro patria commiserunt, non digna uirtute sua præmia ferre: adulatores uerò, fœneratores, & qui pecuniæ cõquirendæ rationes tenent, commodis omnibus frui. Olim quidẽ tanta ratio habebatur fortium uirorum, qui patriæ defendendæ præclaram nauassent operam, ut ex seruis liberi, ex plebeijs nobiles crearentur, alijsq́ beneficijs augerentur: ac iustis prę mijs deficiẽtibus, uel appellatione, uel cognomine, uel ornatu singulari, uel alijs insignibus honestarentur. Hinc coronæ illæ ciuicæ, murales, obsidionales

nales appellatæ: quibus donabantur, qui ciuem seruassent, qui murum hostis repellẽdi causa conscendissent, qui obsidione suos liberassent. Hinc annulorũ ornatus, cuicꝫ pro expeditionum, in quib. interfuisset, numero concessus. Hinc tituli illi, Pater patriæ, Numidicus, Africanus. Hinc tibicines, & funales cærei: quibus, ut C. Duellius ob rem aduersus Pœnos præclarè gestam, domũ à cœna uel è curia nocte redeundo, uteretur publicè, concessum erat. Hinc supplicationes, ouationes, triumphi, & alia innumera, quæ & testimonia erant publica uirtutis in magnis rebus uersatæ: & significationes gratitudinis ciuium in homines bene meritos: & quasi calcaria ad Remp. tuendam alios excitantia. Quamobrem hodie quoꝫ uiri fortes & donis & honore uerborũ prosequẽdi sunt, & sedibus honorificis donandi, & magistratu ornãdi, & spe maiorũ præmiorum cõfirmandi: acꝫ qui se uirtute ipsi sua nobilitarunt, nobilitatis insignibus ornandi, armis quoꝫ galeatis, uiuida bello uirtute meritis, augendi. Contrà atꝫ hodie à multis fiat, qui cùm galeam nunquã in periculis capite gestarint, eam tamen in armis gentilicijs depictam gestare non dubitent. Potestas etiã eis facienda, & aurea ornamenta gestandi, quæ scilicet uel hosti detraxissent (quod L. Manilium feciſſe narrant historiæ Romanæ, cum hoste deuicto, & torque ei detracta, torquẽ ipsam sanguinolentã, Torquatiꝫ cognomẽ simul induisset) uel præclaro alio facinore meruissent: & eadem ijs qui ius ferendi non habeant, detrahendi. Hoc cum erit moribus usitatũ, pudebit istos ignauos aureis torquibus uulgò sese uẽditare. Certè emeritis quoꝫ militibus possessiones aliquæ essent cõsignãdæ: ubi & ipsi ætate ingraueſcente conquieſcerent, & alijs exemplo essent ad benemerendũ de Rep. & ad fortia facta. Quemadmodum autẽ benemeriti præmijs, ita ignaui & malè meriti conuicijs & pœnis afficiendi sunt, pro culpæ ratione: ut nobiles in plebeios, plebeij in seruos reijciantur: possessiones eis adimant̃, magistratu moueantur: aut, si culpa sit magna, capite plectant̃. Erat moris Romani, ut si à multis flagitium rei militaris admitteretur, sortitione in quosdã animaduerteret̃: ut metus ad omnes, pœna ad quosdã perueniret. Cuius moris M. Cicero in oratione pro Cluentio facit mentionẽ.

Valer. lib. 3. cap. 6.

CAPUT XII.

1. *De pecunia congerenda, in bellum necessaria.* 2. *Duplici ratione apud nos geritur bellum: aliàs ab equitibus uniuersis, nullo precio dato: aliàs à milite pecunia cõducto.* 3. *Aestimationẽ prouentuum alij ad stipendiũ militi conducto persoluendum referunt: alij ad id, ut unusquisq; equitũ, qui belli onera legibus debeant, certũ militũ numerum in hostẽ mittat.* 4. *De monte pietatis extruendo, qui constat dimidijs prouentibus semel, uigesimis autem partibus prouentuum quotannis soluendis: de utilitatibus eiusmodi montis, de loco, de quæstoribus.*

T quoniam neruus belli pecunia est, ideo dicamus
1 de ratione eius congerendæ: de qua sæpe & multũ
ordinibus regni frequẽtibus disputatũ est. Hæcq́
præcipua causa est tot apud nos cõuentuũ anniuer
sariorum. Etenim prẽter bellum aliquod ingens &
asperũ, quod immineat uel à Turcis, uel ab alio ho-
ste, habemus Scythas hostes finitimos, in omnes belli occasiones in-
tentos: apud quos non seritur, nõ metitur, laboribus honestis par-
citur, ex rapto uiuitur: nec legibus apud eos, nec fidei locus est ma-
gnus. Hi quoties sentiunt neminem militum nostrũ in stationibus
adesse, adsunt ipsi mox: ac impressione facta, uastant omnia ferro ac
igni: prædasq́ cq́ maximas possunt, & pecorũ & equorum & homi
num abigunt. Atq́ hi sunt hostes nostri perpetui, qui nec rebus re
petitis, nec fœcialibus missis, bellũ inferunt: ac potius latrociniũ in
nostris terris exercent. Aduersus hos milite opus est, qui in statio-
2 nibus perpetuò excubet. Est autẽ duplex ratio apud nos belli ge
rendi. Aliàs enim in bellum itur ab ijs, qui id lege debent & mori-
bus: & horum quidem singuli suis impensis militare tenẽtur. Nam
& priuilegijs multis gaudent, & possessiones habent, ex quibus id
debent Reip. Atq́ utinam illi ipsi animũ inducerẽt, per tempus pa
cis impensis non necessarijs parcere, ut per tempus belli necessariæ
eis suppeterent. Nam si ex possessionibus suis bellũ pro Repub. ge
rere debent, certè fructus ex illis perceptos non in luxũ conuertere,
sed ad necessitatẽ Reip. seruare deberent. Nunc quoniã in pace in-
gentes ab eis impensæ fiunt in uestes, epulas, ornatũ uarium, & ne-
scio quas res alias: fit, ut temporibus Reipub. difficillimis ægrè suũ
tueantur officium. Et hæc ratio est una belli gerẽdi: quam quidem
uocant expeditionẽ uniuersorum, bellũ Reip. debentium. Aliàs e-
nim non ab ijs qui legibus debẽt, sed milite conducto geritur bellũ.
Numeratũ est autẽ ad hæc ferè tempora stipendiũ militi cõducto à
colonis, pro iugerum numero: cuius stipendij cogendi causa, su-
prà diximus conuentus annis singulis præcipuè indici. Sed eiusmo
di stipẽdium multis iniquum uisum est, in quo cogendo iugera tan-
tum numerarentur: interea nec quantitatis eorum, nec bonitatis ra
tio haberetur ulla. Sunt agri quibusdam in locis, non tam cultione
cq́ natura opimi & fertiles: sunt alibi quamuis bene culti & subacti,
tamen parum benigni. Ad hæc, quædam regiones sunt melliferæ:
quædã pascuis abundant, lignis, armentis, & rebus alijs, unde colo-
ni multas percipiant commoditates. alibi terra arenosa, nisi gra-
uescat pluuia, malignè alit colonum suum. Iam iugera ipsa non sunt
eodem modo laxa in omnibus municipijs. Quomodo igitur sti-
pendium, quod par & æquale ab omnibus penditur, potest esse æ-
quum: cùm quidem iugera agrorum imparia & inæqualia sint, tam

spacijs

ſpacijs terræ, quàm frugum prouentu, ac commoditatibus alijs? Igitur quæſitę ſunt annis ſuperioribus rationes aliæ Reipub. defendendæ. Permulti erant, qui multis & grauiſsimis adducti cauſis, 3
omnes omniũ qui ſint in hac Rep. prouentus æſtimandos cenſerẽt: atque eius rei cauſa uiros delectos obire, inſpicere, & conſcribere poſſeſsiones & reditus omnium uellent: hoc eſt, fructus omnes annuos, & ex reditu pecuniario & ex agris prouenientes. Nullius enim facultates ab eiuſmodi cenſu, ſecundum quem tributa Reip. penderentur, excluſas uolebant: indignum rati, ut immunis eſſet oneribus Reipub. qui commoda ex ea perciperet. Itaq; neq; regias, neq; ſacerdotum facultates hoc cenſu liberabant. Et horum quidẽ ſententia diuiſa erat. Alij enim, qui expeditionem uniuerſorum ſine multis populorum noſtrorũ calamitatibus, accidere poſſe minimè ſperarent, numerandũ pro rata parte ab omnibus putabant: nõ ſem per quidem eadem quantitate, ſed tamen ſemper pro ratione redituum uniuſcuiuſq;, quemadmodum neceſsitas Reip. poſtulare uideretur: atq; inde ſtipendiũ militi conducto perſoluendũ. Alij, qui inſolentiæ equitum obſiſti, eos'que in debito officio contineri poſſe putarent, nihil numerato opus eſſe dicebant: ſed unicuiq; pro modo prouentuum, certum equitum peditum'ue numerum imperandum. Qui quidem equites ac pedites, uel omnes unà, ſi ingens hoſtium impetus eſſet reprimendus, progrederentur in aciem: uel ſi leuiores impreſsiones (quales ſunt iſtæ anniuerſariæ Scytharum) auertendæ, certa equitum peditumq; pars. Ad quam rem municipia omnia harũ prouinciarum in ſeptẽ uel octo partes (quæ uel tribus, uel alio quouis nomine appellarentur) diſtribuẽda eſſent, ut ſingulę annuo tempore bellica munia ſuſtinerent: & anno exeunte, in locũ priorũ ſequentes uenirent: atq; ita, unis alijs ſuccedentibus, in orbẽ belli uices per omnes tribus irent, & redirent. Haberent etiam ſingulæ tribus Palatinum unũ, plures'ue, qui duces eſſent illarum: cum quidẽ ueteribus inſtitutis Palatini municipiorum, duces ſint in bello. Quotenæ autẽ redituũ ſeu marcæ noſtrates, ſeu floreni reſpondere debeãt equiti uni: unde etiam pedites deſignãdi ſint, an ex ijs quorum annui reditus numerũ non aſſequantur pro equite conſignandum, an uerò aliunde, res eſt multæ deliberationis, nec niſi Senatuſconſulto definienda. Ea uerò ratio bellandi, ſi ad effectum deduceretur, neq; admodum grauis eſſet, & commoditates Reipub. multas afferret. Nam & iuuenes exercitatiores, & patres eorum ad arma omnis generis, equos, currus, & cętera bello neceſſaria paranda ſolicitiores redderet: & una tribu militante, alias domi quieſcere ſineret: omnes'que & à luxu auocaret, & expectatione ordinis uicis ſuæ ſuſpenſos, negotijſq; intentos teneret. Nam alij quidem cogerẽtur ipſi in hoſtẽ ire; ut qui ſunt ordinis equeſtris,

cuius

cuius hoc munus est proprium. Alij uerò, etsi non irent ipsi, tamen pro se equites peditesq; mitterent: ut Rex, & sacerdotes. Quorum ille, in omnes Reip. partes intentus, diu ab ea abesse nequit, nec nisi in expeditionibus uniuersorū esse consueuit. isti, ne in his quidē: sacris enim uacantes, arma horrentia Martis tractare nequeunt. Quo magis curare illos deceret, ut tales pro se uicarios darent Reip. qui illi aduersus hostē utilē operam nauare & possent & uellēt. Si quis uicariorū non eam quam deberet Reipub. operā præstitisset, cōtra Remp. fecisse iudicandus, & pœna constituta esset puniendus. Et hæc quidē belli gerēdi ratio annis superioribus aliquoties in Senatu tractata est. quæ cùm apta sit & percōmoda huic Reip. nunquā ab armis cōquiescenti, mirū est quamobrē sit repudiata. Sed quod culpa seu temporū seu hominū omissum est, posset adhuc publico ordinū consensu sarciri. Cuius rei frequentibus municipiorū legatis in conuentu initia nonnulla ponerentur. Qui enim ad conuentus mittuntur, possent singuli de numero & equitū & peditum dicere suorū municipiorum. Ad quam rem & Palatinorum, & Castellanorū, & præfectorum, & aliorū qui non imperiti rerum eius de quo ageretur municipij essent, sentētiæ accederent: ita ut paruus error accideret, hac ratione ineunda. Sed longè exactius res agereť per eos qui publicè deligerentur, ut ipsi accederent singulorū possessiones, suis oculis omnia lustrarent, aut etiam narratione aliorū discerent, eaq; omnia in tabulas inferrēt, ac tandē in conuentu uniuersorum proponerent. Iam commodū, quod ex censu accederet, illud certè est minimè cōtemnendū, quòd seu numerandū esset, seu miles mittendus, non facilè in Rempub. fraus aliqua admitteretur. Est qui possessionum suarum nomine, tenetur cum centum equitibus expeditioni interesse. Is fortè uniuersum suum comitatum conflauit ex ijs, quorum singuli ex suis possessionibus uno equo militare debent. Ac nostris quidem moribus, totum illum comitatum, hoc est nonagintanouē equites, nō opus esset separatim facere sumptum in expeditionē. Simul enim unusquisq; illorum duas sustineret personas: simul & in asseclis illius, cui operam suam locasset, haberetur: & suum munus sustineret, quod Reip. ex possessionibus propriè deberet. An uerò Respub. ad hunc modum non insigniter fraudatur, dum pro 199 equitibus, tantùm 100 in aciem educuntur? Quòd si æstimatio census fieret, non facilè numerus diminueretur uel militum, uel pecuniarū, quas quisq; ex fundis reditibus ue Reipub. deberet. Hæc de censu, atq; adeò de duabus rationibus bellan
4 di. Dicamus de tertia. Erat enim non nemo, qui quasi montem pietatis extruēdū è Repub. esse putaret. Sic enim symbola uocabat, seu pecuniam, quæ ab omnibus pro modo facultatum semel quidē iusto numero conijceretur, deinde quotannis nonnullo etiam supplemen-

plemento augeretur. Sed & hæc ratio, & aliæ quas narraui, quoties propositæ, toties etiam reiectæ sunt. Mira enim sunt nostræ gentis ingenia: quæ consilia noua & inaudita, quantumuis honesta sint & utilia, tamen omnino respuat. Semper igitur ad conuentus generales recurritur. illi maximo omnium ordinum concursu agitantur: sumptus maximi in eis exercẽtur: bona temporis pars conuiuijs extrahitur: postremò colonis & oppidanis pecunia imperatur. Hic finis, hæc meta solet esse consultationum omnium. ad hanc ubi peruentum est, iam neque causis audiendis, necp; legibus emendandis magnopere studetur. Etsi autẽ, ut dixi, difficile est nostros homines ad aliam rationem, quàm quæ hactenus usurpata est, inducere: tamen quia duas iam ostendi, explicabo & hanc tertiam, si fortè uel temporibus uel uoluntate adduci poterimus, ut aliquam illarum amplectamur. Montem pietatis, sicuti ego accepi, clarissimus & sapiẽtissimus uir IOANNES LASCIVS, religionis & Reip. nostræ princeps, quodam in conuẽtu Petricouię habito, ad hunc modum erigendum censebat, ut quasdam uocaret summas primarias, alias secundarias, nonnullas tertiarias. Primarias dimidijs fructibus æstimabat, quas semel tantùm numerari satis esse iudicabat: cõputatis quidem in fructibus, & censibus pecuniarijs, & agrorum emolumentis. Secundarias, ex uigesimis redituum partibus conficiebat: quas omni anno solui uolebat. Tertiariæ fortuitæ essent, de quibus infrà dicemus, primarijs & secundarijs constitutis. Et quamuis nec primariæ nec secundariæ constitui possent, nisi reditibus singulorũ æstimatis: adeò uix quicquam sanciri potest ad perpetuitatem, nisi primùm censu constituto: sed quoniam primariæ non nisi semel soluendæ essent, non desperabat Lascius, omnes Reipub. amantes ea bonitate fore, ut libenter & prolixè eas soluerent, sine fortunarum & bonorũ suorũ exacta æstimatione. Si fortè propter difficultatem numariam arduum esse uideretur, ut tota summa primaria simul numeraretur: credebat tamen, sine magna molestia biennio, uel ad summum triennio numeratum iri & à Rege, & ab omnibus possessiones perpetuas habentibus, atque adeò omnibus Ecclesiastici ordinis uiris, ijs quidem qui beneficia sacerdotalia perpetua perciperent. Eximendos enim hoc numero putabat eos, qui anno uertente quasi motoriam fabulam agere, ac præsidum suorum uoluntate loco cedere cogantur. Sed qui sacerdotijs gaudent perpetuis, ab his pro facultatum uniuscuiusque sacerdotij & redituum ratione (eorum quidem qui ex agris, censibus, proueniunt) & primarias & secundarias summas numerandum esse. Idẽ & de principibus profanis, & de equestris ordinis uiris, possessiones agrorum & census alios habentibus, intelligendum esse censebat. Hæc erat de monte pietatis Lascij sententia. Quæ in eo

quòd primariam ſummam ſemel tãtùm numerari ſatis eſſe dicebat, ea interpretatione explicanda uidetur, ut quiſq; bonorum aliquorum poſſeſſor ſemel in uita ſua ſoluat: in cuius locum qui ſuccedat, ſemel etiam in uita ſoluat. & ſic de alijs in priorum loca ſuccedentibus intelligendum. Nam ſi in poſſeſsiones bonorum eccleſiæ uenientes, ſinguli pro ſe numerant aliquid uel Papæ, uel alijs pontificibus: certè æquum eſt, ut omnes, aliquas poſſeſsiones adeuntes, numerẽt Reip. cuius totum hoc eſt, q; inter multos nomine uel hæreditatis uel meritorũ diuiſum eſt. Nõ erit aũt difficile, Eccleſiaſticos homines ad cõtribuendũ inducere, ſi, quemadmodũ Rom. Pontifici penſiones ob ſacerdotia adepta, ita Reip. eandẽ ob cauſam pecuniã, quã diximus, ſoluere eſſent deuincti. Quis eñ eſt, qui non libẽter uel integros anni unius prouentus ſemel in uita ſua numeret, ut deinceps, uita ſuppetente, eis fruatur? Ergo qui in ſacerdotium aliquod uenire uellet, hoc nexu in primis obligaretur. Ne autem aliquid fraudis admitteretur contribuendo, ſacerdotiorum omniũ indices (regeſtra uocant) iuſſu lociordinariorũ ſcriberentur: & uel ad ſynodos eccleſiaſticas, uel ad conuentũ uniuerſorũ perferrẽtur: eorum q; ſacerdotiorũ ęſtimatiões per poſſeſſores, legitimè citatos, fierent, ac in tabulas publicas referrentur, ut tandem ſecundum eas ſolutiones fierent. Lex etiam poneretur, ut qui falſæ æſtimationis conuictus eſſet, is & periurus iudicaretur, & ſacerdotio priuaretur. Ac ne tanta liberalitas ſacerdotibus fraudi eſſet, uiolatores rerum ſacerdotalium grauibus pœnis punirentur: primùm quintupli (loquimur enim exempli cauſa) ſolutione, deinde decupli, poſtremò exilio. Ex bonis autẽ exulis ſolutio fieret iniuriam paſſo: reliquum monti pietatis addiceretur. Si uiolator, nõ tantùm haberet rerum, ut ex eis damnum ſarciri poſſet: hic ad præſidem loci delatus, ipſius ſumptu & labore quæreretur: & uel in carcerem conijceretur, uel ſeruituti eius qui damno affectus ſit addiceretur, uel alijs pœnis ſubijceretur. Præſes id non faciens, prefectura priuaretur, ac contra Rempublicam feciſſe iudicaretur. Quòd ſi homines eccleſiaſtici, quibus immunitates legibus ac moribus noſtris datæ ſunt, tanta liberalitate utentur erga Remp. quid tandem facere cõuenit homines profanos? quorũ defenſio Reip. eſt propria, qui bonorũ ſuorũ certos habẽt hæredes, qui priuilegijs multis donati ſunt à Republica. Certè contribuente una parte, alias iactare aliquas libertates iniquum eſt. Omnes uehimur quaſi una naui Reipublicę. Vno mẽbro corporis laborante, alijs uita iucunda eſſe nequit. Hoſte etiam, quem Deus auertat, graſſante, eodem in periculo ſunt bona omnium, tum profanorum, tum ſacris initiatorum. Haud ſcio an in numerũ contribuentiũ ad modũ iam dictũ aſcribẽdi ſint ciues & oppidani, agros colẽtes. Nam colonos quidẽ, quos Cmethones uocamus,

uocamus, omnino excipiẽdos puto: qui & quotannis numerẽt dominis ſuis, & labores omni die ferant. Maximi certè & perennes ex eis percipiuntur fructus: uixq; alio quàm mancipiorum aut beſtiarum loco habentur. Et ratio igitur & æquitas ſuadet, ut qui uix aliquando reſpirent ab oneribus, reſpirent tandem ab hoc tributi genere. Sed de oppidanis & ciuibus agros poſsidẽtibus quid dicemus? Haud equidem puto ſingulorum tãtas eſſe poſſeſsiones, ut primariæ ſummæ conficiendæ multum addere poſsint: ex quibus nimirum uix ipſi ſe cum familia in annum alere ualeant. Deinde in moribus multorum eſſe, ut ſæpe agros uendant, & alij ueniant in alias poſſeſsiones, in aperto eſt. Neque uideo, qui uelit primariam numerare ſummam de agro, quem ſit altero aut tertio pòſt anno uenditurus. Puto igitur ſatis eſſe, ut omnium iugeribus æſtimatis, dent ſinguli oppidani agros poſsidentes, pro rata parte, quotannis ad ſecundariã ſummam conficiendã, ſinguli ſcilicet fructuum annuorũ partẽ uigeſimam. Idem de equitum poſſeſsionibus cenſeo, colonis, ſeu (ut nunc loquimur) emethonibus carentibus. De mercatorib. opificibus, cauponibus, qui fundos nullos habent, ſed rem quærunt artibus ſuis, difficile poteſt certi aliquid ſtatui. Omnino res committenda uidetur ciuitatũ magiſtratibus: ut qui res & artes ciuium ſuorum in conſpectu habent, modum & rationem illis quotannis præſcribant, quantum Reip. ſoluendum ſit. Vidi in quibuſdam Rebuſpublicis obſeruari, ut mercatores & opifices magnum arte ſua facientes quæſtum, quantum quiſque lucri haberet, iureiurando profiteretur. qui quidem mos cur improbãdus ſit, nihil uideo. Imò aratores quoq;, quin iugera ſationum ſuarum (ſi neceſſe ſit) iureiurando profiteantur, nihil cauſæ uideo. Mercatorum quidem & opificum capita mercium non poſſunt ſine iactura fortunarum ſuarũ diminui. Eodem enim numero, quo fundi agrorum, habenda ſunt. & quemadmodum aratores, non fundos ipſos, ſed fructus ex fundis prouenientes, ſeu pecuniam pro illis contribuunt: ita capita mercium ſalua & integra mercatoribus permittenda ſunt. tributum uerò ex lucro, tanquam fructu (quod iureiurando profitẽdum diximus) imponendum illis eſt. Caupones, qui in pagis ſunt, neſcio cui rectius cõmittantur quàm dominis ſuis. Opifices uagi, qui certas ſedes non habent: inſtitores item, qui uix arte ſua ſeſe ſuſtentant, liberi ſint ab omni onere ſoluendi. Quod de oppidanis, mercatoribus, opificibus, cauponibus hîc dictum eſt, id ad duas priores bellandi rationes (ſi alterutra illarum probaretur) transferri poſſet. omnis enim ſumma ab his omnibus cõgeſta, uel ad belli uſum, uel ad aliam Reip. commoditatem cõuerteretur. Quæ quidem ſumma nõ mediocriter augeretur, ſi Pontifex Rom. annatas à noſtris epiſcopis alijſq; presbyteris ſolui ſolitas, noſtræ

Reip.donaret. Nisi fortè annatis à Pontifice Rom.remissis,non iã seperatim Reip.soluẽdę essent:sed in summa,quã ab episcopis diximus numerandã,includẽdę. Huc etiã iure optimo referendę essent hęreditates,& possessiones caducæ & uacuæ: bonaq; omnia,testamẽto uel intestato à quouis tũ ecclesiastici tũ secularis ordinis homine relicta, quæ ad neminẽ lege perueniãt. Iã pecunia omnis mulctatitia, quã quorũuis criminũ rei peracti morib.legeq; soluũt, nescio na rectius aliquò referaẽ(ea quidẽ excepta quę ei qui lęsus sit debeẽ) q; in hoc Reipub.ærarium: unde & defensio paretur, & alijs necessitatibus pub. prouideatur. De extruendo monte pietatis, quem si placet fiscum Reip.appellemus,satis ut arbitror dictum est.Nunc quis eius fructus,qui locus,qui custodes. Locus tanti thesauri sit omnium munitissimus,& à finibus hostium remotissimus. Ego prę arce Cracouiensi nullum uideo aptiorem. nam & munitissima est, & frequentissima. Nisi fortè cautiorem Reip.hunc thesaurum fore putamus,si alio quàm uel regius uel ecclesię thesaurus loco asseruaretur.minus enim damni fore, si unus horum, quàm si omnes simul eodẽ loco repositi,in discrimen adducerentur. Hæc si ratio habenda est,non mihi displiceret arx Petricouiẽsis, si frequẽtior esset: aut certè ecclesia ipsa Petricouiensis, quæ sita est in maiore populi frequentia.Sed spero facilè locũ,uel si nouus extruendus esset, inuentum iri,si primùm de ipso monte inter omnes cõueniret. Diximus aũt in Secundo libro,de templo pro iudicibus generalibus cõstruẽdo.Proximè illud tẽplũ esset amplũ ædificiũ,cuius inferior pars haberet parietes lateritios,eosq; fornicatos. Ea dedicaret huiusmodi mõti pietatis.superior iudicibus cõsecraretur,ad ius dicẽdũ, & suũ cuiq; tribuendũ. Qui quidem fiscus, ut tutus foret Reip. sanciendum esset,ne quid,nisi conuentus authoritate, ex eo alicui daretur. Eius custodes tres essent, qui Fisci præfecti appellarentur: unus maioris, alter minoris Poloniæ, tertius regis authoritate designaretur. In his unus, minimùm, ordinis Ecclesiastici fieret: iurati quidem omnes. Qui pecuniam omnem, datis & acceptis hincinde syngraphis, tum acciperent, numerarent, in fiscum inferrent: tum exponerent. Rationes tum accepti tum dati omni anno in conuentu, uel coram ijs qui publicè designarentur, ederent omnes quidem unà. Hoc que diserte cauendum esset, ne quid præfectis, in dando præsertim & accipiendo seorsim, sed omnibus coniunctim facere liceret. Qui pecuniam huiusmodi conquirerẽt,ac ad fiscũ afferrent,quæstores nõ ineptè uocarenẽ:quos & ipsos certos ac iuratos esse conueniret. Atq; hi syngraphas præfectorum fisci, uicissim præfecti quæstorũ ad fidẽ mutuò faciendam in conuentu apud designatos rationibus conferendis exhiberent. Vnde constaret de pecunia tum accepta, tum expensa, tum reliqua. Præfectos fisci ad

eum

eum locũ ubi asseruaretur, ædes habere conueniret. Nunc quis fructus fisci seu montis eiusmodi esse possit, uideamus. Ille uerò permagnus fuerit, quòd futurus esset tanquam belli neruus, aduersus omnem hostẽ. Aduersus Scytharũ quidem latrocinia, sperarem nunquam exhaustum iri: aduersus alios, aut sufficeret, aut maximo esset adiumento. Est autẽ hoc rebus gerendis perneccssariũ, pecuniam in numerato habere. difficulter enim, cum opus est, conquiritur. & tum exercitus uel serius conscribuntur, uel citius quàm oportet, dimittuntur: multæq; occasiones prętermittuntur rei bene gerendæ. Iam nullius fortunæ perinde atterentur dimidijs fructuum partibus semel in uita, uigesimis autẽ quotannis numerandis, quàm si semel, hoste potentissimo imminente, effundendæ, & quasi euertendæ essent. Ex eodem thesauro iudicibus generalibus, de quibus in Secundo libro diximus, milleni duceni floreni pecuniarũ in annum: custodibus autem fisci, treceni numerandi essent, in res necessarias. De cæteris iudicum uitæ necessitatibus, eodem in libro Secundo dictum est. Hoc etiam thesauro ita constituto, colonos & Cmethones nostros seruitute ista perpetua liberaremus. Hunc uerò fructum non certè in postremis numeremus: atq; haud scio an sit omnium longè maximus. Videre licet uitam colonorum haud dissimilem uitæ mancipiorum: terræ & uomeri affixi sunt perpetuò: totos dies uel sibi ipsis, uel dominis laborant. Multis uix panis in medium annum sufficit: reliquo anni tempore agunt uitam miserrimam. Qui ditiores sunt, hi multis iniurijs sunt opportuni: multas habent artes mali domini, eos deglubendi. nec enim Cmethoni de domino suo apud aliquem queri, nec eum in ius uocare licet. Numerant quotannis & dominis & presbyteris. Si quis à tributo annus est uacuus (quod ætate nostra aliquoties accidit) tamen expeditionis bellicæ prætextu, dominis suis sæpe numerare coguntur. ita nomen tantum numerandi eis mutatur: res non mutatur. Haud scio an seruitus Aegyptiaca maior fuerit, hac Cmethonum seruitute. An igitur non putamus rem humanissimam & æquissimam esse, ut uel hoc onere tributi soluendi liberentur? Ministros, qui in annũ operas suas nobis locauerunt, ita tractamus, ut & cibũ, & uestẽ, & pecuniam illis largiamur: illi uerò nec nobis, nec Reip. hoc nomine pendere coguntur. Quid autẽ Cmethones sunt aliud, quàm ministri perpetui, cum liberis & familia sua? an non satis habent, perpetuos labores ferre? quotannis & dominis numerare, & presbyteris decimare? Profectò & æquitas uiolatur, & ab humanitate multum discedit ur, dum & hæc necessitas defendendę Reip. illis imponitur. Quis enim ignorat, supra ætatem & memoriã nostram has regiones omnes ab illis defendi esse cœptas? nam quid interest, defendant per seipsos Remp. an ijs numerẽt qui defendãt?

Quòd si id Reip. omni iure debuissent, an non satis iam functi officio uideri possint? an non adhuc tẽpus sit meritis illorum uicẽ reddere? Atqui hoc est ordinis equestris, qui prærogatiuis honorum adipiscẽdorum in Rep. gaudent, qui possessiones amplas possidẽt, ut uel ipsi Rempub. ab hoste defendant, uel ijs numerẽt qui sint defensuri, hanc̃q; gratiam de tot beneficijs Reipub. referant. Quod quidem factu illis non esset difficile, si quem luxui modum præstituere uellent. Quantũ enim uidemus ab illis impendi in uestes pretiosas, in conuiuia, in aureas torques? His rebus & gratiam quærunt, & magnificentiam apud uulgum ostentant. Vtinam isti qui nouorum tributorum solent authores esse, sumptuarias leges condi procurent. Etenim si sumptibus non necessarijs pepercerimus, erit unde sumptus necessarios Reipublicæ suppeditemus. Ego quidem ita existimo, maiorem & diuturniorem fructum capturam Rempublicam ex defensione ad eum modum constituta, quàm ex Cmethonum tributis quantumuis magnis: Deum̃q; opt. max. facturum, ut temporibus aduersis ipse sit liberator & protector noster. quemadmodum Dauid rex & propheta testatur inquiẽs: Beatus uir qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Quibus igitur pollicitationibus ad misericordiam egenis & pauperibus colonis tribuendam accendi possumus, si his diuinis beatitudinis & liberationis in die mala futuræ non accendimur? An non putamus fore, ut si in illos duriores esse pergamus, pro beatitudine maledictio nobis & ira Dei immineat, nullusq; que in die mala nobis misericordiæ locus relinquatur? Magnus igitur fructus putandus est montis, quem diximus, pietatis, si per hunc Cmethones nostros à seruitute ista liberauerimus. Addamus Quartum fructum, & ipsum non contemnendum: ut si fortè Respublica in præsentia uel non egeret defensione, uel thesauros haberet abundãtes, possent inde ciues (quo nomine intelligo omnes qui manent unà in hac Republica, sintq; eius quasi membra) mutui nomine sumere, quantum quisque uel pignoribus uel fideiussoribus cauere posset. Deberet autem mutuatarius à centenario florenorum in annos singulos quatuor aut quinque florenos, seu minus, reditus uice, numerare: quæ pecunia omnis adiungeretur monti pietatis. & hæ summæ Tertiariæ uocarentur. Sed cautio sit idonea de summa mutuo data: cuius prior ratio haberetur in exigendo, quàm aliarum cautionum priuatis hominibus datarum. debent enim publicæ res præponi priuatorum. Ne liceat rem pignori Reipublicæ datam diuendere. Si quis eam emit, suo damno emit. omnis enim summa ex pignore resarciri debet. atq; hoc etiam à mutuatario cauendum est, ut ad necessitatem Reipublicę uel summam mox ipse soluat, uel ex pignoribus eam repeti ius fas'que sit. Iam

quòd

quòd quæstores nonnulli tributorum usitatorum præstricti sunt sæpe grauibus suspicionibus uel auaritiæ, uel perfidiæ, uel expilationis iniustæ, sperarem equidem suspicionibus eiusmodi nullum deinceps locum fore, si & qui summas afferrent ad montem pietatis, & qui acciperent, fide & tabulis signatis agerent omnia. Profectò in municipijs seu territorijs, uel ut hodie loquimur, Palatinatibus singulis, necesse est suspicionis fugiendæ causa duos esse quæstores iuratos: qui coniuncta manu & pecuniam exigerent, & chirographa subscriberent: ita quidem, ut neuter sine altero quicquam ageret: diligentiores essent, & maiore fide agerẽt omnia, cùm sibi mutuò conscij essent, rerum à se unà administratarum. Eadem fide & diligẽtia præditi esse debent custodes, de quibus suprà diximus, montis pietatis: qui & ærarij præfecti dici possent. ad quos chirographa unà cum pecunijs collectis à municipalibus quæstoribus afferri deberent, & ab istis ad municipales alia: ut cùm ad rationes conferendas uentũ esset, utraq; chirographa utrisq; testimonio esse possent. Et id quidem in omni solutione & exactione perutile fuerit, ut & qui dat, & qui accipit, testentur id chirographis mutuis utrinq; datis: quæ iureiurando utriq; ad ærarium referrẽt. Hoc modo nunquã aut uix posset fraus committi pecunijs exigendis, & recipiẽdis. Et hæc quidem de monte pietatis, seu ærario: de q; alijs defendendæ Reip. rationibus. quas in Senatu aliquoties propositas & tractatas scio: sed nunquam usurpatas, nemo ignorat.

CAPUT XIII.

Et soluendum tributum Reipublicæ causa imperatum: & à principibus sine causa non imperandum.

TRibutũ & uectigal Reipub. causa imperatũ quisq; soluere debet, nõ tãtùm pœnę magistratus fugiendæ causa: sed etiã, ut ait Paulus, propter cõscientiã. Non enim defensio Reip. fieri potest sine magnis sumptibus & præsidijs. ideo Paulus & tributa & uectigalia pẽdi, & onera publica subire iubet: subiectionisq; necessitatem grauissimis uerbis auget, dum ait, oportere nos subditos esse non solum propter iram, uerùm etiam propter conscientiam. Omnia igitur legitima belli munera, quę à magistratu iniunguntur, obeunda sunt subditis, si Dei offensionem uitare, pœnasq; grauissimas fugere uelint. Sed tamẽ magistratus ipsi uideãt, ne abutantur ijs quę Reip. causa data sunt. Propterea enim Paulus dandũ esse affirmat, ut principes debitũ Reipub. munus expleant. Qui igitur absumant, aut aliò conuertant tributa quàm necesse sit, ij tãquam populi sanguinem sugere: qui uerò sine causa ea imperẽt, ij rapacitatis ac tyrannidis uitio se contaminare putandi sunt.

CAPVT XIIII.

Prouinciæ omnes uni principi ſubiectæ, eodẽ modo uel contribuant, uel militent.

ADDAMVS huc, quod etiã in multis conuentibus actũ eſt, è Repub. maximè eſſe, ut non tantùm municipia Poloniæ, ſed & prouinciæ aliæ quæ regno coniunctæ ſunt, ad eandem rationem uel tribuendi uel militandi adducantur. Facilius coniunctis uiribus communem hoſtem repellemus, cꝙ ſi ĩſdẽ diſperſis, alĩ ferant onera, alĩ ocioſi alienæ calamitatis ſint ſpectatores. Omnes uehimur quaſi una Reipub. naui: eam nos aduerſus omnem tempeſtatem defendere communibus uiribus æquum eſt. Nam ſi te ceſſante nauis in diſcrimen ueniat, tu reus eris naufragĩ. Immunitates uerò munerum in publica calamitate iactare, aſtutorum hominum eſt, & omnia ad ſuam utilitatem conferentium: atcꝙ haud ſcio, an etiam alienum malũ expectantium. Relictus eſt Hercules ab Argonautis, cùm Colchum pro aureo uellere cum eis petẽdo, labores nauticos, prętextu excellẽtię quaſi priuilegĩ cuiuſdã, ferre cum illis cõmuniter nollet. Deſerẽdi & iſti eſſent in periculis, qui per ſpeciem priuilegiorum communes operas nauare nolunt Reipub. defendendæ. Prudentiæ eſt, uidere an quæ prouinciæ ab ĩſs locis ubi bellum gerendum ſit, ita remotæ ſunt, ut magis ſit è Repub. illas contribuere, cꝙ militem à ſe longis terrarũ interuallis mittere: qui & proficiſcendo incommodaret locis per quæ iter faceret: & ad locum belli ueniendo, de uiæ longinquitate ineptus redderetur tractandis armis. Illud difficile eſt ſtatuere, bonum ciuem eſſe, qui alĩs de ſumma Reipub. periclitãtibus, ipſe cum poſſet, nec militare uellet, nec in commune quicquam conferre.

Ariſt. Polit. 5.

CAPVT XV.

Parta uictoria quid agendum.

PARTA uictoria, ſi forè cæſis fugatiſcꝙ hoſtib. prouinciã eorum nolimus occupare, agendũ eſt de pacis cõditionibus cũ uictis: cõfœderationeſcꝙ tales faciẽdæ, ut ne illis renouare bellũ unquã liceat. Et quẽadmodũ Virgilius apes à prælio & ludo inani retrahere iubet hac ratione, — *Tu regibus alas*
Eripe, non illis quiſquam cunctantibus altum
Ire iter, aut caſtris audebit uellere ſigna.

Ita uictori faciendum, ut poteſtatem cùm uictis omnibus, tum præcipuè eorũ ductoribus adimat belli faciendi. Igitur & ſumptus belli ab eis exigendi ſunt: & obſides accipiendi: & mulcta indicenda: & tributa auxiliaꝙ contra hoſtes noſtros, ſi quando uſus ſit, imperanda. Quòd ſi prouinciam hoſtium occupare licebit, tum conſilium capiendum de ea uel alicui committenda, qui ſit perpetua nobiſcum

ſcum amicitia coniunctus: uel à nobis ſeruanda & retinenda. Verè dictum eſt à Poeta:

Non minor eſt uirtus, quàm quærere, parta tueri.

Itaq; ſi prouincia retineri non poſsit ſine maximis difficultatibus ac ſumptibus, qui ex ea nunquã ſarciri poſsint, potius uel ipſis uictis, uel alij cupiam, cuius fides & amicitia nobis ſit perſpecta, certis legibus & conditionibus committenda eſt. At ſi prouinciam eiuſmodi ditionis & imperij noſtri facere, rationibus Rei'que publicæ noſtræ conducat: utpote quæ & ſuis impenſis ſe tueri queat, & ad res noſtras opportunitates multas habeat: tunc quidem ut eam pacatam, incolasq; nobis non infeſtos habeamus, de ea legibus & moribus conſtituenda, *conſilium iniri oportet*: & de ipſis incolis tũ placandis, tum in officio continendis: quibus homines tui, quibus maximè fidas, præficiãtur, penes quos ſumma rerum exiſtat. Neq; inde diſcedendũ, *niſi præſidijs relictis: quę tãdiu illic* habenda ſunt, q̃ diu eſt metus uel rebellionis ab incolis, uel impreſsionis à proſcriptis & uicinis populis. Quoniã uerò milites & ſumptui ſunt Rebuſpub. & odio, propter uitæ intemperantiã, libidinesq; : nemoq; niſi in ſummo diſcrimine, eorũ requirat operas: deinde in regione, in qua domiciliũ non habẽt conſtitutũ, ita uiuunt, tãquã altero die diſceſſuri: atq; de rebus, quas in bello acquiſiuiſſent, exportandis, ſemper cogitant: ideo ut prouincia liberetur multis malis, incolis etiam prę cidatur occaſio moliendi aliquid mali aduerſum nos: non incommodum fuerit, domicilia ipſis militibus, illis in locis ubi opera eorum ſit neceſſaria, donare: certos agrorum modos aſsignare, ubi & uxores ducant, & familiam alant, & ſint patres familiâs. Non erunt nec odio nec oneri tanto ei prouinciæ, cuius incolæ facti fuerint: prouinciamq; ipſam pacatiorem indies efficient ſua præſentia, conuictu, comitate, humanitate, cæterisq; uirtutibus exercendis. Sed tamen nihil militibus concedẽdum eſt, cum incolarum iniuria. Hoc fiet, ſi uel uxores cum poſſeſsionibus eis concedantur: uel fundi uacui, locaq; ad ædificandum aſsignentur: uel, ſi id minus fieri poſsit, translatis in tuam Remp. hominib. prouincialibus cum omni familia, ubi eis domus & agri concedantur: eorumq; fundis, domibus, agris ijs conceſsis qui prouinciã tueantur, ſalutemq; & dignitatẽ noſtram defendant. Interea cum incolis agendũ, ut id quicquid moleſti eis uideatur, boni conſulant: rationes prouinciæ egere talibus præſidijs: nec ab externis hominibus, nec à ſeditioſis ciuibus Remp. aliter defendi poſſe: fore tamẽ, ut cùm res pacatiores fore uidebuntur, præſidia omnia deducant. Sed ne plura. Quæ in tua Rep. tam domi q̃ foris, & pacis & belli tẽpore, curãda agẽdaq; ſuperioribus libris diximus, eadem omnia in prouincia per te parta agẽda ſunt. Incolę beneuolẽtiam tuam Principis cognoſcant. Sentiant

tiant te patrem ſuum eſſe, & paſtorẽ: idq; & iure dicẽdo, & iniurijs uindicandis, & omnibus quæ Reip. neceſſaria ſint exercendis. Præfecturis & magiſtratibus prouinciæ illos ornato: ad militiã, cùm fides eorum erit perſpecta, adiungito: aliaq; munera, quę tutò poſsis, cum illis communicato. Hoc modo animos eorum tibi deuincies, ac in partes tuas pertrahes. Et hæc cum incolis. Cum uicinis autẽ populis fœdera ineunda ſunt. Cum proſcriptis, qui uelint ſupplices eſſe, ita agendum, ut mulcta eis pro delicti qualitate irrogata, recipiantur in gratiam. Niſi fortè delictum tale eſt, ut nullo modo in Remp. recipi poſsint. Sin minus, recipiendi ſunt. Reddes tibi eos hoc modo ex inimicis amicos, & multorum tibi ſtudia conciliabis. Omnino & inter arma clementiæ debet eſſe locus: quatenus quidẽ natura & conditio belli ferre poſsit. Poſt partam uerò uictoriã, punitis ijs qui authores belli in te fuere, in reliquos humanitas omnis exercenda eſt. Quid quæſo homini ab homine accidere crudelius poteſt, cũ ſi res illius adimat, in ſeruitutẽ eum redigat, uitã ei eripiat? Si uictor igitur nec rebus, nec libertate, nec uita hominũ uiolanda, poteſt fungi ſuo, hoc eſt, ueri principis, atq; adeò patris & paſtoris officio: quid tandem cauſæ eſt, quo minus humanitate & omni clementia utatur in uictos? hoc eſt, in fratres ſuos, ſeu errore, ſeu temeritate, ſeu ſuperbia, ſeu quouis uitio lapſos. CHRISTI, illius mortis & inferni uictoris, uox eſt, qua iubemur ignoſcere alijs, quemadmodũ nobis uelimus ignoſci. Vbi igit̃ locus eſt maior ignoſcentiæ, humanitati, clementiæ? præſertim cum populos in fide & obſeruãtia cõtinere diu non queas, niſi clemẽtia. Malus emi eſt (ait Orator, & idem Philoſophus, Senator, & Imperator) diuturnitatis cuſtos, metus: contrà, beneuolentia fidelis eſt uel ad perpetuitatem.

CAPUT XVI.

Epilogus, ubi cauſæ belli iuſti repetuntur: & exhortatio ad pœnitẽtiam ſcelerũ.

HACTENVS à nobis expoſita ſunt, quæ ante bellũ, quæ in bello, quæ poſt bellũ gerenda uideantur. Conſilia ſcilicet, quæ ad pacẽ cum dignitate tuendam pertineant, uel exquirimus, uel ab alijs data narramus: honeſta quidẽ, ut nobis uidẽtur, & laudabilia: ſucceſſum uerò à ſummo & præpotenti Deo petimus, ſine cuius ope nullæ uires quantumuis magnæ, nulla cõſilia quantumuis bona nobis proderunt. Itaq; & hoc curandum eſt, ut omnia bello neceſſaria conquiramus & apparemus: id quod à ſanctiſsimis uiris, qui præerant Rebuſpub. factitatũ animaduertimus: & Deum ſuppliciſsimè rogemus, ut adiuuet conatus noſtros. Ergo & cum Deo redeundũ eſt in gratiã, & habenda iuſta bellandi cauſa. Non nos incendant ad bellum cupiditates uel gloriæ, uel finium propagandorum. Iuſtiſsima belli cauſa fuerit, iniurias propulſare,

pulsare, populosq; nostros ab hoste tueri. Sed ad hæc accedat uitæ & morũ nostrorum emendatio: sine qua difficile dictu est, ut spera-re quis possit uictoriam. Inuitus facio, ut in exemplum proponam uicinum nobis & socium regnũ Hungariæ: sed quia & ipsum notis-simum est omnibus, & res in eo gestæ à memoria nostra remotæ non sunt, ideo spero mihi hanc ueniam datum iri, si breuiter de eo dixero. Erat regnum illud & uetustate nobilissimum, & bellicis laudibus clarissimum, & auro argentoq; ditissimũ, & omni armen torum genere locupletissimum, & uini frugumq; prouẽtu fertilis-simum. Quid igitur in eo regno deerat ad uitam beatè fœliciterq; degẽdam? Habuit regem memoria nostra sanctissimũ Vladislaũ, regis nostri Sigismundi patris tui germanum: habuit postea Ludo-uicum, tuum (rex Sigismunde secunde) patruelem fratrem. Ab u-troq; bella gesta sunt cum Turcis, iustissima illa quidem, ut ego ar-bitror. nam & iniurias ultum ibant, & populos suos ditionesq; tue-bantur. Verùm quia peccata Hungariæ (sic enim dicendum est) exundauerant, ideo uicta est, & optima eius pars ab hoste occupa-ta. Quid igitur? an Turcica fortitudine? Ego quidem ita arbitror. Sed idem ipse affirmare ausim, Deum fuisse, qui fortitudinem Tur-carum in populum suum excitauerit: qui illos ad uindicanda scele-ra populi sui euocauerit: qui & arcus tetenderit, & sagittas exacue-rit: & ungulas equorum ut silicem, & rotas quasi impetum tempe-statis, & rugitum eorum tanquam leonum formidabilem effece-rit. Cur enim non eodem modo de hoc mihi loqui fas sit, quo Deus (ut refert Esaias, diuinus uates) loquitur, in Iudæos Nabuchodo-nozorem missurus? Quòd si Deus Nabuchodonozorẽ seruũ suũ uocat, quo duce Iudæos profligauerit: an non uocabit Turcam ser-uum suũ, per quẽ Hungaros punierit? O quàm dolenter hæc à me dicuntur. Sed audiamus cætera. Post Ludouici interitum, duo re ges (liceat mihi quæso de his & loqui & sententiã ferre, quæ sint e-xemplo nobis cęterisq; monarchis) duo igit̃ reges de Hungarię re-gno contẽdere, bellaq; gerere cœperũt: alter à principib. Christia-nis desertus, in fidem ac clientelã Turcę se contulit. at ille patronus, clientis sui amicũ primò, sociũ, fratrẽ, deinde dominũ se appellauit. Alter regũ illorũ, bella cũ Turca gessit: populos multos & ex Ger-mania & ex alijs nationib. in Hungariã eduxit. Sed quid tandẽ effe-cit? Exercitus illius partim fugati, partim ꝓfligati: oppida, ciuitates arces multę, atq; adeò regia ipsa capta, occupata, morib. & religio-nibus Turcicis imbuta & infecta. Quid igit̃ putamus in causa esse uictoriæ huius Turcicæ? an nõ uidemus Turcã esse, per quẽ Deus & punit, & puniturus est peccata populi sui? Quę si nos ipsi nõ pu-nierimus, aderit Turca seruus Dei uiuẽtis, cũ equis, curribus, arcu-bus, sagittis, & frameis suis, nõ aliter nos (heu horrore perfundor,

hæc

hæc referẽs) puniturus, quàm Hungaros punierit, uicinos noſtros. De hoc & in querela noſtra de pœna homicidij copioſè, & hîc breuiter diximus: ut earum rerum tibi, Rex, et populis tuis cogitationẽ (in qua te uerſari quotidie cupio) pro mea parte inſciam. Si igitur hoſtem hunc à ceruicibus noſtris auertere uelimus, demus operam, ut uitam noſtram in melius commutemus. Etenim mores corrupti noſtri, fides & officium neglectum, uita pœnitere neſcia, maximum & firmiſsimum robur eſt hoſtis aduerſus nos. Contrà, præcipua arma noſtra in pœnitentia & precatione poſita exiſtimemus: quibus iram Dei placemus, & tantas calamitates à nobis propulſemus. Hoc cum erit factum, tum cauſæ iuſtitia nobis erit adiumento. Neque enim nos inferemus bellum, ſed propulſabimus: neque pro ambitione aut gloria, ſed pro aris, focis, liberis, uxoribus, denique pro Repub. & religione pugnabimus. Frangentur tunc uires Turcicæ, & omnium hoſtium. non eis proderunt artes belli, non hominum multitudo. Deo enim pro nobis pugnante, hoſtes omnes & diaboli ipſi cedant neceſſe eſt. Et hæc quidem de ciuili hominum ſocietate, quæ domi moribus & legibus gubernatur, foris armis ab hoſte defenditur, dicta ſint. Nunc ad Eccleſiam, & cœtus ſacros tranſeamus.

LIBRI III. DE BELLO,
FINIS.

ANDREAE FRICII Modreuij Secretarij Regij de Ecclesia liber unus.

Item,

DE SCHOLA LIBER VNVS.

Additi sunt,

DIALOGI DE VTRAQVE SPECIE COENAE DOMINI DVO.

Ad hæc,

Disputatio de uerbis Pauli 1. Corint. 1. Bonum est homini mulierem non tangere: attamen propter fornicationem unusquisq; habeat suam.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

ANDREAS FRICIUS MODREVIUS PA-

tribus Concilium Christianum œcumenicum legitimè habituris, uiris ampliſs. gratiam & pacem à Deo patre noſtro, & Domino

IESV CHRISTO.

Inter ea quæ ab alijs hominibus puto uos accepturos, uelim & hæc accipiatis, Patres ampliſsimi: quæ ego ex uarijs ſcriptoribus in hunc librum cõgeſsi, eccleſijſq; cùm noſtris, tum alijs omnibus, mulieris Euangelicę exemplo tanquam obolum obtuli. Vobis autem, qui Eccleſiam totius orbis Chriſtiani uerè & legitimè ſitis repręſentaturi, non tantum offero: ſed dignã ſint gazophylacio Eccleſiæ, nec'ne, iudicandũ permitto. Dominus, cuius negotium agitis, imbuat uos ſpiritu ſuo: ſcientia & uirtute augeat, ad res agendas: omniaq; conſilia ueſtra gubernet, ad conſociationem & ſalutem eccleſiarum ſuarum. Amen.

AVTORES, QVORVM TESTIMONIJS USI ſumus, hi ſunt:

Sacra Biblia.
Origenes.
Cyprianus.
Ambroſius.
Hieronymus.
Auguſtinus.
Saluianus.
Petrus Lombardus.
Gloſſa Bibliorum.
Thomas Aquinas.
Durandus.
Tho. Caetanus.
Eraſ. Roterodamus.
Io. Eckius.
Stephanus Vuinton.
Io. Hoffmeyſterus.
Ambroſius Catharinus.
Albertus Pighius.
Alfonſus Virueſius.
M. Antonius Flaminius.
Iſidorus Clarius.
Martinus Bereſius Aiala.

Canones Apoſtolorum.

Concilium { *Nicænum.* *Chalcedonenſe.* *Neocæſarienſe.* *Ancyranum.*

Sexta ſynodus.
Gratianus.
Sextus decretalium.
Liber digeſtorum Iuſtiniani.
Codex eiuſdem.
Innocentius quartus.
Pius ſecundus.
Io. Ant. Præpoſitus.
Abbas Panormitanus.
Euſebius Pamphilus.
Theodoretus.
Hiſtoria tripartita.
Baptiſta Mantuanus.
Cicero.
Titus Liuius.
Polydorus Vrbinas.

ANDREAS FRICIVS MODREVIVS SIGISMVNDO AVGVSTO REGI POLOniæ, magno Duci Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Mazouiæq; domino & hæredi S. D.

POSTERIORES operis noſtri de Republica emendanda libros, alterum de Eccleſia, alterum de Schola, prius temporum iniuria in lucem prodire uetitos, nunc Maieſtati tuæ offero, clariſsime Rex. Quos te ſpero recepturum eo animo, quo decet uirum principem, omnibus partibus Reipub. conſulentem, recipere, quæcunq; ad ipſam Rempub. pertineant uel conſtituendam, uel emendandam. Quorum ſi neutrum, quod tanta re dignum eſſet, in noſtris libris reperiretur: conatus tamen inſeruiendi Reipub. magnus, niſi me fallo, reperietur: ut etiam ſi ob rei difficultatem minus conſequar quod uolo, illud tamen me ſperem conſequuturum, ut me cupidiſsimũ eſſe omnes cognoſcant bene merendi de Republica. Quam quidẽ cum cogitatione & ſcriptione noſtra cõplecti uellem, non uiſum eſt hæc duo omittere, de quibus in his poſtremis libris agimus: ex quibus ſcilicet ſumma perueniant commoda ad res mortalium. Quarum curationem ut ſuſcipias Rex, tuo munere dignam, uerborum multitudine cohortandi tui cauſa nihil opus eſt: cum res ipſa, facto quid opus ſit, palàm toto orbe loquatur. Turbis opinionum innumeris cunctus ferè orbis Chriſtianus iampridem tumultuatur. Quas ipſas opiniones annis proximis, tuam in Sarmatiã ſeſe effudiſſe, nemini eſt ignotum. Non enim iam in occulto, ut olim, ſed palàm, & frequenti ordinum omnium conuentu, res religionis in controuerſiam ueniſſe audiuimus. Vulgò homines à receptis Eccleſiæ dogmatis recedunt: nec dubitant ſibi ſumere de religione poteſtatem ſtatuendi. Neque uerò id tam perſonarum eccleſiaſticarum odio (exceptis ijs qui ex bonis illorũ diteſcere uelint) aut aliqua animi malitioſa affectione, ut nonnullis uidetur, faciunt, quàm grauibus & uehementibus opinionibus: quas ex uarijs ſcriptis arripuerunt, & hauſerunt. Qua in re illud ineſt incõmodi, quòd nemo eſt ferè qui de ſua ſententia ambigat: nemo, qui aliorũ ſententias non improbet. Quòd niſi his maturè occurratur, quid aliud expectandum fuerit, quàm ut unitas eccleſiarum, quam à maioribus accepimus, rumpatur, & indies magis ac magis dehiſcat? Vna uerò hæc ratio maiori rupturæ occurrendi, unitatiq; reſtituendæ eſſe uidetur, de qua tu ſummo ſenatus conſenſu dixiſti, ut de tota cauſa ad Concilium œcumenicũ referretur.

Nam etsi ea tibi, quæ religionem nouarent, minimè probarẽtur: tamen noluisti tuo arbitratu ui ea tollere, cœlesti haud dubiè uoce monitus: quæ ne frumentũ eradicaretur, iubet lolium usq; ad messem relinqui. Hanc igitur nos messem, Concilium œcumenicum præsenti in sermone interpretemur. Vel enim illud, uel nihil aliud, discrimen malarum & bonarum herbarũ in Ecclesia facturum esse uidetur. Sedenim Concilium, ex quo tanta rerum molimina pendent, rectè & ordine ut habeatur, tuum est Rex, tuiq; similium, qui imperia terrarũ obtinetis, in primis curare. Etenim si sacrosancta esse debẽt omnia quæ in illo sancita erunt, quãta tandem cura, quanta diligentia, quanta prudentia adhibenda est eo celebrando: ne si quid secus quàm deceat, in eo decernatur, cogantur imperia eius iniusta alij exercere, alij pati: aut certè existimatio & autoritas eius ab omnibus abijciatur. Atq; in hac parte tam præclari muneris bene curãdi, aliquis fortasse non immeritò in nostra natione aliquid desideret: quòd Concilio hisce annis bis coacto, ne semel quidem legati à nobis in eo uisi sint. Veruntamẽ occasio non minus idonea, quàm proximè erat, nobis offertur, sarciendi quod neglectũ est, siquidem Concilium iterum cogetur. Quam occasionem prętermittere minimè licet: ne alijs uel Christiani non esse uideamur, uel ea nihil curare quæ Christianorũ sint omnium. Qua enim fronte auderent, qui sunt cum potestate, imperijs & decretis alienis uel ipsi seruire, uel alios gubernare, quę illis nihil curantibus, populis imprudentibus, ecclesijs nostris incõsultis perlata essent? Non'ne Respub. ipsa mandata principis negligenda putat, quæ ordinibus inconsultis ad eam perferuntur? Quid igitur, an ijs rebus quę uitam æternã attingant, putamus ecclesias obstrictum iri, quæ illis imprudentibus in Concilio decernerentur? De cuius Concilij legibus à nobis disseritur in hoc libro. Ac summa illa est, tum rectè illud constitutũ uisum iri, cum iudices in dissensione eorum qui dicent sententias, totius Concilij autoritate erunt electi: ne si in hoc capite fuerit erratũ, fiant inde lapsus procliues in deteriora. denicq;, si libertas cuicq; dabitur dicendi quod sentiat. Sed eam libertatẽ à uera doctrina proficisci necesse est. Itaq; qui mittẽtur, uideant ut doctrina & rebus necessarijs, quasi armis ante tempus se instruant. Qui dicit diuitias & facultates plus prodesse rebus agendis, quàm ingenium & doctrinam, ille leget Midam aliquem. Eademq; ratione & curandis ægris, & causis agendis, & nauigationi diuites præficiat. idem, si placet,

— *Iungat uulpes, & mulgeat hircos.*

Verùm res ipsa clamat, ad opus omne magnũ & arduum commodè tractandum & peragendum, artifices potius quàm inscios adhibendos: dignitatemq; eorum qui rebus agendis præficiantur, non ex opibus, sed ex uirtute & doctrina pendendam esse. Qui igitur legabuntur,

gabuntur,arma prudentiæ & bonarũ artium ante tempus sibi com parare debent: ut cum tempus aduenerit,eant sine mora bonis omi nibus: atq; ea quæ agenda sunt,agant bene præmeditati,disciplinis idoneis & disputationibus onusti: sine quibus nihil prorsus ualent opes,honores,stemmata,quantumuis uetusta & illustria. Super hæc uerò Concilium uia & ratione procedet, si omnia ad uerbum Dei maximè erunt directa. Doceri enim homines uolunt:autoritatibus humanis se premi non uolunt. Conscientiæ hominum non ineptorum,incredibilibus cõficiuntur angoribus. Qui angores,nisi uerbo Dei fuerint depulsi,nec fulminibus anathematum,nec metu periculorũ,nec mortibus quidem ipsis ex animis euellẽtur. Cætera quæ huc pertineant, in hunc librum de Ecclesia collegimus. In quibus omnibus procurãdis,te SIGISMVNDE AVGVSTE Rex, ostendere æquum est patriæ tuæ,cui præes, quantum sit in te studium religionis,quantum desiderium pacis & concordiæ ecclesiarum, quanta solicitudo ac uigilantia ad res perturbatas tranquillandas. Id à te boni uiri omnes optãt,patria flagitat,Ecclesia CHRISTI postulat,Deus ipse requirit. Quorum expectationem frustrari nõ potes,sine graui iactura salutis tuæ. Hortatur Dauid rex principes populorum, ut tollant portas suas: per eas enim ingressurum regem gloriæ. Quæ igitur portæ sunt concilio Christiano imminente, quas reges & principes regi cœlesti introeunti aperire debeant: quàm ut curent, quantũ in ipsis est,omnia quæ ad talem cœtum sint necessaria? ut excitent ingenia ad rerum,quæ ibi tractandę sint,inquisitionem? ut Pontificem Max. & Monarchas appellent, atq; ad curam similem inuitent? ut uel ipsi interfint huiusmodi cœtui, uel pios & ad regnum CHRISTI eruditos eò allegent? qui & sciant & uelint & audeant ea loqui & agere,quæ conuentui illi idonea sint ac necessaria: ut tandem unitas regni CHRISTI optatissima,studium q; iustitiæ eius nobis restituatur: cui pax,concordia,salus,ac cætera bona adiiciantur. Celebratur literis & sermonibus multorum,laus ac gloria Constantini Imperatoris Romani: qui ad errores extirpandos, pacem q; ecclesiarum constituendam, Concilium Nicææ coegerit: ac se episcopis comministrum usq; præbuerit,dum nihil supereset controuersiarum. Imitati sunt Constantinum Martianus, Theodosius,& alij principes populorũ. Tu uerò Rex, & apud præsentes gradum dignitatis nanciscêris amplissimum, & apud posteros nomen tuum immortalitati consecrabis, si religionis dignitati, quantum possis, consulueris: legibus & bonis moribus Rempub. excolueris: studia literarũ cum suis cultoribus tua benignitate foueris & prouexeris: sine quibus nec religionis doctrina retineri, nec Respublicæ conseruari possunt. Vale. Cracouiæ.

M. D. LIII.

ANDREAE FRICII MODREVII SECRETARII REGII, IN LIBRVM DE ECCLESIA Præfatio, ad Legatos ad Concilium Christianum œcumenicum à natione Polonica designatos, IOANNEM DROIOVIVM Vuladislauiensem, & IACOBVM VCHANIVM Chelmensem, Episcopos, & STANISLAVM TANCINIVM Comitem, Castellanum Leopoliensem, uiros amplissimos, patronos suos.

MITTO ad uos librum de Ecclesia meum: eundē illum, quem ab hinc ferè triennium typographo Cracouiæ diuulgandum dederam. Sed qui tunc temporibus in lucem prodire uetitus est, idem nūc absolutus & auctus, cum fœnore prodit. Quod enim opificibus uulgò accidere solet, opus artis suæ absolutū dare pollicētibus, cum illud quod promisissent ad diem minimè effectum reddant: idem mihi accidisse uideo superiore tempore, cum opus de Repub. quinquepartitum in lucem emittere professus, tres tantum partes illius dederim: reliquas titulotenus exhibuerim, re præstare nequiuerim. Et res quidem erat inchoata: uerùm quo minus ad effectū perducta esset, interceſſerant homines nonnulli, boni quidem & eruditi illi, sed tamen nimium meticulosi, dum uererentur, ne operis nostri editione aliquod religioni Dei immortalis uulnus infligeretur. A quo quantum aberat uoluntas & studium nostrum, tantum doloris animo meo contractum erat, illo rumore in uulgus sparso & peruagato, plagam in Fricij libellum propterea immissam esse, ne quid ex eo detrimenti religio caperet. Veruntamen in hoc animi mei dolore, quod mihi remedium ad maculam hanc detergendam idoneum uidebatur, petebam ab ijs quorum nutu & arbitrio res agebatur, ut locum & tempus constituerent, quo uitia in scriptis nostris coràm indicarent: uicissimq; uel nostras defensiones audirent, uel sua meliora proferrent. Eo enim me ingenio præditum esse, ut rectius docenti facile essem pariturus. Quod cum minimè obtinuissem, cōfugi ad aliud remedium. Nam collectis in unum omnibus, quæ à quolibet mihi darētur crimini, scripto me purgaui. Quod scriptū cùm ad alios publicè priuatimq;, tum ad illos ipsos huius causæ actores misi: sperans, ac etiam petens, ut cum coràm nollent, scriptis mecum de hoc toto negotio agerent. Verùm ne id quidem impetratum est. Quod magno argumēto mihi erat, & multis bonis uiris, nostram sententiam quæ in libro continebatur, ueram esse, & religioni Christianæ minimè incommodam: utpote quam Theologi improbare uel nollent, uel non possent. Quomodo enim uel non possent uiri doctissimi, si falsam esse intelligerent? uel nollent homines studio religionis flagrantissimi, si quid periculi rei Christianæ imminere putarent? Nam quòd principiò libellum non euulgandum putauerunt, occupationibus, quibus multis magnisq; sæpe distinentur, impediti, parum despexisse uidentur rationes nostras. Quas ubi longiore temporis interuallo, & nostris etiamnum nouis scriptionibus melius perspectas habere cœperunt, consilium quod prius intenderant, repudiasse uisi sunt. Ego uerò, cum tempus iustum mihi uideretur, hanc ueluti fabulam absoluendi, librum perficiendum

ciendum curaui. Neq; enim licet, neq; libet, amplius resistere nonnullis bonis uiris, qui quod reliquum libri esset, & per literas, & ipsi per se & per alios, à nobis describendum petebant: rati scilicet aliquid in hoc libro contineri, quod Reipub. Christianæ prodesset. Itaq; ne quam de nobis, hocq; libro nostro spem maiorem quàm deceat apud aliquos relinquamus, ne'ue quod reuera est aliis inuidere uideamur, librum sub incudem dedimus. Non tantum autem promissi fides, ac operis inchoati constantia, non tantum aliorum postulata me ad id excitarunt, sed maximè etiam ratio muneris mihi impositi. Cum enim regijs uerbis imperata mihi esset profectio ad Concilium uobiscum, qui à nobis publicè delecti estis, officio mihi prorsus deesse uiderer, si cogitationis nihil conferrem in res in Concilio tractandas. Cumq; sententias nõnullas cum multorum applausu legi animaduerterem, indignas sanè Ecclesia Dei, & libertate Christiana, nihil contra illas dicere cum possis, hominis esse uidebatur in re Christiana dissoluti ac negligẽtis, cõcordiæq; Christianæ minimè studiosi. Quid enim illud, quod nonnulli magna contentione iactant, minus peccare sacerdotem scortando & adulterando, quàm uxorem ducendo? Quid illud, ad iudicium de rebus religionis solos episcopos in Concilio admittendos? Non'ne alterum horum est blasphemum, alterũ tyrannicum? Disputaui igitur non de articulis fidei catholicæ, ne quis me calumnietur: sed de istis ipsis & similibus sentẽtijs: quas non adeò ratas esse & fixas, ut inter articulos fidei Christianæ numerandæ sint, quisq; legens nostra, facilè animaduertet. Imò tales esse nonnullas, quæ libertati illi Concilij œcumenici ab omnibus expetitæ, uehementer repugnent: potiusq; esse, de illis ante tempus Concilij dispicere, quàm ut intactæ per manus omnium circumferãtur: ne quis tandem in concilio Christiano uel autor ac suasor illarum, uel approbator esse audeat, nisi publico ecclesiarum consensu approbentur. Cum autem nihil tantum efficacitatis habeat in ueritate inuestiganda, quàm si ex utraq; parte causarum fiat contentio: officij est cuiusq; Reipublicæ Christianæ amantis, ut quantum possit, quæ à nobis uel ob imperitiam, uel ob ualetudinis infirmitatem, alias'ue causas prætermissa sunt, aut secus quàm oporteat tractata, ea cõtradictionibus excutiat: ut ne quid suo tempore in Concilio, nomine nationis nostræ dicatur, nisi quod disputationibus mutuis tersum fuerit, & limatum. Non sum adeò sensus communis expers, ut non uideam, in quem aculei illi emittantur, qui à quibusdam collecti & coaceruati sunt ad hunc modum: ISTE theologus, iuris utriusq; consultus, grammaticus, rhetor, medicus, geometer, aliptes, augur, schœnobates, & quid non? qui in decretorum libro Gratiani diligenter uersatus esse uideri uult. Vides Lector, uenenatum agmen morsuum, haud scio an ex aliqua satyra desumptum. nisi quòd in eo aliquot emblemata addita sunt, uel elegantiæ causa, uel ut grandius sonaret, essetq; maledico carmine mordacius. Quod quo animo fecerint autores, iudicent alij. Mirum est autem, cum hæc componerent, non eos cogitasse, quam personam sustineant. Coguntur multi, & quidem præcipui eorum, de moribus, legibus, religione, pugillatione, luctatione, funambulis, & id genus rebus sæpe disputare: ut non minus hæc in ipsos conferri possint omnia, quàm in quem ista scripserunt. Nobis uerò conscientia nostra pluris est, quàm hominum quorumuis aculeatæ uoces. Nihil tam turpe remur, quàm est iners & desidiosum Iuuen. sat. 3.

ſidioſum ocium. Studium honeſtarum rerum honeſtiſsimum eſſe putamus. De rebus incognitis ſententias dicere, turpe eſſe ducimus. Mei ſimilibus, quantum poſſumus, bono exemplo prælucere ſtudemus. Hoc quibus diſpliceat, fruantur ſuo iudicio: habent alios quos imitentur. Nos tamen non ideo de ſtudijs noſtris aliquid remittemus. Si cui occurrat quid melius, quàm nos tradimus, cur non proponit ſine contumelia? Maleuoli eſt hominis, damnare ea quibus meliora inuenire non poſsis. Deterrere uerò conatus aliorum ab honeſtis ſtudijs, minimè piorum eſt: ſed & nefariorum, & prorſus tyrãnorum. Librum igitur de Eccleſia, multis in locis auctum, typographo dedimus diuulgandum. Apologiam etiam, qua nonnulla loca, & ea præſertim de quibus negotium nobis faceſſebatur, fuſius explicata ſunt, auximus: eamq; in ipſum corpus libri inſeruimus, non quidē perpetuata oratione, ſed ſparſim: ut cui parti libri aliqua pars Apologiæ reſpondeat, quiſq; uidere poſsit. Quæ qui leget, planè cognoſcet, nihil noui nos unquam molitos eſſe, neq; quicquam in re Chriſtiana definire uoluiſſe: ſed ea propoſuiſſe, quæ in diuinis ſcriptis, & apud probatiſsimos ſcriptores legerentur: Concilioq; Chriſtiano de his omnibus liberam definiendi poteſtatem reliquiſſe. Hæc præfari uoluimus, hoc in loco. Uobis uerò, quibus prouincia rerum Concilij apud nos publicè data eſt, hunc laborem noſtrum peculiariter commendandum duximus: atq; etiam uos, nationis noſtræ nomine appellandos, ut perſonam, quæ uobis impoſita eſt, rectè tueamini. Omnium qui in hac Repub. ſumus nomine, religionis negotiũ in Concilio tractare debetis. Omnes ſi uos alloqui uellent, non iniuria hæc ad uos facerent uerba: Mittimus uos de medio noſtri uiros lectiſsimos, ad eum conuentum, qui orbi Chriſtiano pacem ſit allaturus. Scitis, qui in rebus magnis ſemper uerſati eſtis, quanti motus religionis non tantum in noſtris regionibus, ſed in omni Chriſtiano orbe ſint facti. Cauſas eorum motuum, diſciplinæ ac morum corruptionem, legum ſolutionem, doctrinæ & rituum inquinationem eſſe, non ignoratis. Hæc tollenda ſunt. Quæ uerò decent & opus ſunt, ea in rectum ordinem adducenda: ut & motus excitati tollantur, & pax optatiſsima eccleſiis adducatur. Omnes ea prudentia præditi eſtis, ut quid facto opus ſit uideatis. Omnes & ordine & dignitate locos principes tenetis in Repub. & in Eccleſia. Agite igitur, per Deum immortalem, uti decet. prudentes & fortes ſententias dicite. Utq; uobis quiduis aliud quàm fides & animus deſit, in id uerò toto animi impetu incumbite. Magnam & illuſtrem prouinciam ſuſcepiſtis: ex qua rectè adminiſtrata, incredibilia & omnino diuina bona non ad Sarmatiam tantum noſtrã, ſed ad totam Rempub. Chriſtianam ſint peruentura. Ea à uobis omnes expectamus, quæ à ſumma uirtute, ſummaq; prudentia expectanda ſunt. Si à uobis noſtræ expectationi ſatis erit factum, quas tandem gratias uobis non debebimus? quæ præmia, quos honores ad uos non deferemus? Sin minus, quæ turpitudo, quod dedecus, quæ labes ex hac ipſa prouincia uobis deportanda, ad extremum uitæ uobis ſuſtinenda, & ad omnem memoriam uobis tranſmittenda eſſet, intelligitis. Sed nos, qui maiorem ſpem de uobis concepimus, quàm ut uelitis fallere tot tantasq; expectationes, Deum precamur, ut uos ad nominis ſui gloriam, atq; ad utilitatem Eccleſiæ, reiq; publicæ conſeruet: uires uobis addat firmas, roburq; animi inuictum: ſcientia & prudentia uos augeat

ad res

ad res gerendas: uosq; tandem ad nos ſaluos & incolumes reducat: ac poſt exhauſtos labores, donet unà nobiſcum per IESVM CHRISTVM, *uita ſempiterna. Ite & redite optimis ominibus. Cauete, ne uobis legatis res Chriſtiana ſit peiore loco.*

Hæc quidem eſt oratio, uiri ampliſſimi, quam à cunctis noſtris prouincijs ad uos iamiam profectionem ad Concilium parantes, habitam putate. Cui quid ego addam, nihil habeo. Illud tantum à uobis peto atq; contendo, ſi rationes à nobis allatæ, quæ me ad editionem huius libri impulerunt, iuſtæ ſunt, ut & uos eam editionem probetis, & nos ab iniurijs accuſatorum defendatis. Non hoc dico, ut laudetis mea, ſi laudem non merentur. Nam & uos fortaſſe non idem ſentitis, quod ego: & quiſq; eam libenter ſequitur rationem in religione, quam in ſe Dei reſpectus commouit. Illud dico, ut officium, ſedulitatem, attentionem meam probetis, qui non alieno tempore, ſed Concilio imminente, hanc quaſi uelitationem exerceam. Non enim debellatum à me uideri uolo, ſed pugnæ occaſionem præbitam, ex qua honeſta & ſempiterna quies ſit ſequutura. Turpe eſt tacere, cum res in motu ſunt, earumq; pacificatio breui expectetur. Vetus eſt uerbum, ſilentio periiſſe Amyclas. Publicè apud nos defenduntur ſententiæ & inſolentes, & à concilio pacifico alienæ. Hæ an non magni præiudicij nationis noſtræ uicem obtinerent in Concilio, ſi eo appetente, nihil contra eas uiciſſim publicè diceretur? Si igitur libertatem Concilij appetitis, ſi ſcortationes & adulteria presbyterorum extenuari inuiti auditis, ſi magnos in Eccleſia abuſus eſſe cernitis, qui emendationis indigeant: defendite nos, ſtudijs noſtris fauete: Conſulite in medium, & rebus ſuccurrite feſſis.

Sin nos deſeritis: ſed nolo quicquam triſtius loqui. Valete.

Cracouiæ. M. D. LIII.

ANDREAE FRICII MODREVII LIBER DE ECCLESIA: VNÀ CVM APOlogia pro eodem libro.

PRAEFATIO.

Comparatio miniſtrorum Eccleſiæ horum temporum, cum ijs qui ab initio naſcenti Eccleſiæ præfuerunt.

INTVENTI mihi, & cum animo meo reuoluẽti, quę in Eccleſia IESV CHRISTI his temporibus acciderunt: eaq; cum initijs naſcentis Eccleſię diligentius conferenti: permirum uideri ſolet, quónam modo factum ſit, ut plurimi mores priſci ſenſim quidẽ, ſed tamen indies magis ac magis in præceps, quaſi prono amni, à puritate & ſanctitate primæua fluere cœperint, & diſcedere. Etenim cum cogito de religionis noſtræ illis anteſignanis, qui à CHRISTO delecti, orbem terrarum

ab idololatrijs repurgarũt, atq; ſemine uerbi Dei feminarũt: uideo illos numero pauciſsimos, bonorum poſſeſsione pauperrimos, iniurijs infinitis maximè opportunos fuiſſe: res tamen tantas geſsiſſe, quantæ poſt memoriam hominum maximæ poſſunt commemorari. Doctrinam IESV CHRISTI in totum orbem ſparſerũt, & diuulgarunt: inimicitias hoſtium magiſtri & domini ſui appetiuerunt: pericula & mortes ipſas ultrò ſubierunt. Contrà, cum hominum noſtræ & ſuperioris ætatis, qui in loca illorum ſucceſſere, mores conſidero, diuerſa omnia in eis, & prorſus contraria animaduerto. cœtus eorum ubiq; frequentiſsimi: rerum multarum ditiſsimi: iniurijs uel minimè, uel modicè expoſiti. Et tamen in tot opportunitatibus pauciſsimi ſunt, qui docere populũ uelint, puritatemq; doctrinæ ac ceremoniarum à CHRISTO & Apoſtolis traditarum conſeruare ac retinere. Itaq; & mores corruptos, & ritus deformatos, & diſciplinam ſolutam uiderunt & adhuc uident ſecula noſtra. Inter quæ & illa Apoſtolorum tempora qui interiecti erant, ij quidem eiuſmodi fuere, ut quo quiſq; temporibus Apoſtolorum uicinior, hoc in munere apoſtolico fungendo diligentior: quo noſtris, hoc ſegnior fuerit. Etenim ſi res antiquas ex literarum monumentis memoria repetamus, multos inueniemus ordinis ſacerdotalis uiros maximis uirtutibus præditos fuiſſe, fructuſq; quàm uberrimos eccleſijs tuliſſe: quales fuiſſe Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, Athanaſium, & innumeros alios conſtat: qui doctrina ſua illuſtrarunt Eccleſiam, non ſecus quàm ſol iſte qui aſpectu ſentitur, illuſtrat orbem radijs ſuis. imperitos erudiebant: alienos à religione ad CHRISTVM adducebant: doctos confirmabant: impijs gladio uerbi Dei reſiſtebãt. neq; fuit illis quicquam antiquius, quàm ea perpetuò agitare, quibus maximè inſtructi eſſent ad omnia ſui officij munera exequenda: quę quidem in docendo, & ſacramenta populis adminiſtrando, maximè poſita erant. Itaque & ipſi memoriam nominis ſui clariſsimis monimentis immortalem effecerunt: & poſteritas ex magnis illorum meritis in diuorum numero illos collocauit. Maiore in precio tum in Eccleſia Dei erat doctrina, quàm diuitiæ: pluris æſtimabatur uirtus, quàm natalium ſplendor. Atq; utinam mos ille præclarus ad noſtram hanc memoriam remanſiſſet: non tot procellæ doctrinæ, turbines ac tẽpeſtates morum in Eccleſia Dei extarent. Sed cum progredientibus ætatibus, uetus illa diſciplina ſenſim, ut ferè præclara omnia, minui cœpit, fit, ut noſtra hac exigua, aut propemodũ nulla ſit. Quotus enim quiſq; eſt, qui hodie ſacerdotio ambiẽdo, opus appetat, non opes? doctorem agere uelit, non dominum? imò quotus quiſq; eſt, qui eam religionis ſcientiã afferat ad hunc ordinẽ, ut uel mediocriter prodeſſe poſsit Eccleſiæ? Mitto mores multorum perditos: de cura cognoſcendæ

Modus loquendi Ciceroni familiaris, quo ſignificatur, adeò illos Chriſto fuiſſe amicos, ut quos illi ſcirent eſſe inimicos, illorum ſe inimicos eſſe profiterentur.

Hanc interpretationẽ addere placuit, propter moroſa quorundam iudicia.

scendæ doctrinæ Christianæ mihi sermo est. Omnes, aut certè maxima pars sacerdotũ, & eorum quidem in primis qui opimis sacerdotijs gaudent, omissis studijs religionis Christianę, student rebus alienissimis. animus eorũ est in patinis, abacis, uestę preciosa, equis, numerosa familia: optima temporis pars consumitur in ludis & uenationibus: cæterùm placet ociũ, atq; deliciæ. ac nisi liturgia & preces horariæ supererent, uix ulla ueteris sacerdotij uestigia apparerent. Qui literis sese dediderunt, quiq; publicè docent populum, ij nec honores sibi debitos consequuntur, nec authoritatem: & certè in Ecclesia tanquam in aliena Repub. uersantur. Paulus ille Tharsensis, secundum Apostolos & Prophetas priorem doctoribus locum dat, quàm gubernatoribus. Hodie uerò non tantum præ gubernatoribus, sed etiam præ hominibus ociosis, sed diuitijs & genere præstantibus, longè postputantur doctores. Itaq; cum eruditio & generi & fortunis in Ecclesia Dei posthaberi cœpta esset, ipsiq; summi gubernatores clauum docendi nunquam tenere consueuissent, factum est, ut turbulẽtissimis tempestatibus coortis, inepti essent ad gubernacula tractanda, quæ mari tranquillo nunquam tractare didicissent. Vtinam autem uel uicarios haberent tanto muneri pares. Sed fit nescio quo modo, ut nemo ad eam artem seriò animum adiungat, quam ab ijs negligi uideat, qui eius nomine in principum dignationem peruenerunt. Sed quæ nam sunt illæ tempestates, quæ procellæ, Ecclesiam CHRISTI quatientes? Eas uerò facilè unusquisq; cernet, qui hanc ecclesiarũ nostri temporis faciem diligentius fuerit contemplatus. Tantæ enim sunt inter partes dissensiones, tanta certamina, ut permulti boni uiri dubitent, quid sequendum, quid fugiendũ sit. Vident duces clarissimos sæpe armis & castris magis, quàm uoluntatibus & studijs dissidentes. audiunt ab utrisq; Ecclesiæ sanctissimũ nomen opponi: ut etiamsi aliter sibi putent esse sentiendũ, autoritati tamen cedere cogantur. Iam mihi consideret quisq;, quas turbas in animis hominum efficiant tantæ dissensiones? Nemo bonus sine animi dolore aspicere potest, hanc fratrũ à se inuicem discessionẽ: ita enim inter se distracti sunt, quasi alium Deum colerent, alio baptismate initiarentur, aliam regni cœlestis expectarẽt hæreditatẽ. Vtriq; utroq; dignos putant, in quos probra & maledicta conferant, quos æternis supplicijs deuoueant. Quid enim sibi uolunt certamina inter eos suscepta? quid libri ab utrisq; cõscripti, pleni disputationum, debacchationum, conuiciorum? In quibus hominibus est aliquid Christianæ charitatis, ij non possunt hæc in CHRISTI membris & fratribus sine ingenti dolore uidere. Quos nulla tangit cura illius, ij ridẽt hæc omnia, & tanquam in aliena calamitate uiuunt ociosi: neq; hoc eis uenit in mentem, eiusmodi esse hanc tempestatem, quæ nulla ui corporis sedari

posſit: niſi legitimis rationibus ex diuinis oraculis petitis fuerit auerſa, horreſcet indies magis, ſemperq; fœdas in animis hominum nubes glomerabit. Vtinã uerò ij quos penes eſt ſumma poteſtas, conuertant tandem ſuos conatus omnes, ad eam ipſam tẽpeſtatem ſedandam & componẽdam. Quorum etſi hanc curam præcipuam eſſe conuenit: tamen quemq; etiam pro ſua parte anniti decet, ut ne quid intermittat ſtudij, operæ, ſolicitudinis, ad eam auertendam. In qua perſuaſione nobis uiſum eſt, ut quaſdã uias indicaremus, quibus id effici poſſe ſperaremus. Neq; uerò clam nos eſt, tractationẽ hanc longiſsimam, ſimulq; difficillimam eſſe: uerùm quid impedit, ut ſi non omnia, quędam tamen, neq; uerò ea omnino protrita, pertractentur à nobis, qui ab hoc genere doctrinę, ſtudio & uoluntate minimè ſimus abhorrentes? Tametſi ſtudia hæc nec perpetua ſint, nec paria tantæ rei. Puto autem hoc argumentũ, tempori huic eſſe accommodatum, cum de Concilio œcumenico, bis quidem iam his paucis annis coacto, & toties ſoluto, frequentes deliberationes inſtituantur. Primùm igitur de doctrinæ conciliandæ rationibus, ac controuerſijs horum temporũ nonnullis, diſputabo. Pòſt agam de moribus ac legibus quibuſdã, Eccleſiæ ritè gubernandæ neceſſarijs. Vtinam alij quoq;, quorũ id magis intereſt, uel hæc nobiſcum recolant: uel ad ſimilia & maiora excitentur; atq; ad res gerendas, quantum poſsint, animum appellant.

CAPUT PRIMUM.

Concilio opus eſſe ad errores & controuerſias tollendas.

C illud quidem in aperto eſt, Concilio opus eſſe, quo (ut dixi) controuerſiæ hac tempeſtate de religione excitatæ ſopiantur, & extinguantur. Multi dolẽt, partibus hanc ſcribendi licentiam, qua animi hominum de religione diſtracti ſint, permiſſam eſſe: propterea quòd & ueteres hoc tempore errores ſuſcitati, non noui reperti eſſent: & ijdem errores adeò olim confutati, ut magis fuerit è Republica, confutationes ueterum euolui, quàm nouis edendis operam dari. Verùm qui ſic loquuntur, queri magis deberent de ijs, qui hanc licentiam partium, cum poſſent, cohibere neglexerũt. Amplius ſunt triginta anni, cum dogmata Eccleſiæ in dubium uerti cœperunt. ab eo tempore ſcribendi & reſcribendi modus fuit nullus. Quis igitur finem præſtituere debuit iſtis rebus? quis, niſi cõſenſus & cõſpiratio orbis Chriſtiani, ac Eccleſia ritè congregata, in qua ſuus eſſet cuiq; locus liberè dicendi quod è Repub. uideretur? Eam porrò cõgregationem noſtra tempeſtate quis fieri curauit? Pontifices quidẽ ſummi iam inde

à Leone

à Leone Decimo sæpe indixerunt, alius post alium, concilia: sed indictiones illæ nunquam ad effectum perductæ sunt. Mitto quærere, cuius culpa. Illud non dubito affirmare, in ijs qui præsunt rebus humanis culpam hærere omnem, quo minus concilium celebratum sit, quod dissensionibus finem imponeret. Nam de Cõcilio hoc Tridentino pudet tædetq; loqui: quod post tot indictiones, prorogationes, trãslationes, antiquationes, bis paucis hisce annis coactum, bis quoq; solutum est: non quidem sine reliquorum conciliorum authoritatis imminutione, omniumq; bonorum & intelligentium uirorum summa perturbatione: non aliud de illo ipso concilio cogitantium, quàm quod de naui mercibus preciosissimis onusta cogitarent, ex alto ad littus petente, ac deinde nautarũ pestifera discordia deserta, ui fluctuum ac gurgitum quatienda ac submergenda. Quisque igitur, quantum potest, curare debet, ne hæc ipsa nauis in Oceanum tempestuosissimũ rursus abripiatur, ubi terræ appareãt nullæ, cœlum undiq;, & undiq; pontus: sed aliquando tandem ad quietissimũ portum deducatur, optatissimas omnibus merces suppeditatura. Hoc uix ulla ratione effici poterit, quàm concilij legitima & constanti celebratione. At errores huius temporis & uetusti sunt, & olim confutati. Esto. Sed ita renati sunt, itaq; creuerunt, ut nec uetustas ipsa, nec confutationes ullæ, uires eis ademisse uideantur. Non igitur scelus sit, inquirere in illos eosdem errores: qui hoc minus olim cõsopiti uidentur, quo maiore seculorũ interuallo reuiuiscunt: uicturi etiam magis, ac uires ualidiores sumpturi, nisi ex humanis pectoribus radicitus fuerint euulsi.

CAPUT II.

Quemadmodum Ecclesiam, ita & Concilium generale ex Latinis, Græcis, Armenis & Ruthenis constare debere.

ATQVE utinam non tantum Latinarum ecclesiarum fiat coniunctio, sed & aliarum quæ nobiscum militant sub signis ijsdem IESV CHRISTI: ut Græcarum, Aethiopicarũ, & quæ in nostris prouincijs sunt Armenarum & Ruthenarum. Perfacile est autem uidere, quibus rebus cõcordent nobiscum, quibus discrepent tum Armeni, tum Rutheni. Illorum ritus ANDREAS Lubelius, theologus præclarus, patefecit: horum disputationes & mysteria, uir ingenio, dicendi copia, ac maximarum artium cognitione illustris, STANISLAVS Orichouius euulgauit: rationesq; concordiæ de Spiritus sancti processione (quo capite à nobis maximè differre uidentur) ostendit, in ea quidem epistola quam ad PETRVM Gamratũ archiepiscopum & episcopum, & primas in hac Repub. ferentem scripsit: sperans

fore, ut tanti uiri autoritate concordia ecclesiarum in uniuersis pro uincijs nostris constitui posset. Sed surdo canebatur fabula. Sunt qui putent, Ruthenos & Armenos ad Ecclesiam CHRISTI non pertinere. Verùm cum illi sacramentis ijsdem utantur quibus nos, secp; sub CHRISTI uexillis militare præ se ferãt & gaudeant, absit à me, ut eos pondus hoc tot secula ferentes, æstum in uinea Domini tolerantes, ab hoc patrefamiliâs arcẽdos putem. Quin ita statuo, consociationem uniuersę Ecclesiæ sine illis constare non posse. Non enim sola Latina ecclesia, pro ecclesia uniuersa habenda est. Quod pars est, totum esse nequit. In Ecclesiam CHRISTI priores Græcos ueniisse, quàm Latinos, ipsa oracula testimonio esse possunt, quæ græcè ab Apostolis prodita sint. Sunt in Asia populi, Ioannis Presbyteri (hoc enim nomine monarcha ille uocatur) imperio subiecti, qui CHRISTI religionem sequi dicuntur. In his igitur, & omnibus CHRISTVM profitentibus, Ecclesia uniuersa cernenda est. Nisi hi omnes cõsentiant in unum, uniuersæ Ecclesiæ consensus non erit. Non igitur res indigna nostris Latinorum ecclesijs esset, si, cum quibus de Repub. consentimus, uni monarchæ paremus, cum eisdem consensionẽ facere, ac eos in unum nobiscum ouile reducere tentaremus.

CAPVT III.

Concilium repræsentat Ecclesiam uniuersam: in eoq; non tantum clericis, sed & laicis fas est interesse, sententias dicere, & de controuersijs iudicare.

QVod multi affirmant, Concilium œcumenicum legitimè congregatum, Ecclesiam catholicam repræsentare, non uideo cur ab aliquo iustè reprehendi debeat. necp; enim aliter posset uniuersa Ecclesia congregari. Itacp; ut omnia toti Reipub. rata sunt, quæ à Rege cum primoribus ritè congregatis decernuntur: ita apud cunctam Ecclesiam firma esse debent, quę à concilio rectè & ordine fuerint instituta. Quod uerò addunt, neminem laicorum in concilio admittendum esse ad iudicium, de ijs quę ad fidem catholicam pertineant, reprehendendum mihi esse uidetur. Qui id sentiunt, solis episcopis potestatẽ hanc iudicandi permittunt, multis de causis. Primùm, quia cõcilia ab Augustino, Marcello, & Leone, uocantur episcopalia. Deinde, quia Pulcheria Augusta iussit clericos, monachos, laicos expelli de locis ubi cõcilium haberetur. Ad hæc, quia episcopi in concilio Chalcedonẽsi non admiserunt ad cõcilium Aegyptiacos non catholicos, optantes se admitti, & contendẽtes. Tum addunt, Martini abbatis, Theodosij & Valentiniani Imperatorum dicta & facta, huic sentẽtiæ seruientia.

Postremò

Postremò proferunt ex Actibus Apostolicis, concilia semel & iterum ab Apostolis tantum & senioribus congregata. Verùm appellatio uetustissima cõcilij nos in diuersam trahit sententiam. Vocantur enim cõcilia, de quibus loquimur, tum uniuersalia, tum œcumenica: quibus uocabulis non sola certè cõgregatio episcoporum intelligenda est. nam & uniuersale est, quod ad totum orbem pertinet: & οἰκουμένη orbem terrarum, uel terram habitabilem significat. Cum igitur concilium Ecclesiam repræsentet, debet esse inter hanc & illud analogia quædam: ut sit uera, & non ficta aut commentitia repræsentatio. Sed analogia inter illa esse nequit, nisi, quemadmodum Ecclesia uniuersa ex episcopis omnibus per totum orbem sparsis, clericis diuersorum generum, & laicorum multo maxima parte conflatur: ita cõcilium ex totidẽ generibus illarum multitudinum constituatur. Sententia igitur Nicolai Papę mihi amplectenda uidetur, qua censet Imperatores ab ijs synodis excludendos non esse, ubi de fide tractetur. Quæ fides, inquit, uniuersalis est: quę communis omnium: quæ non solum ad clericos, uerùm etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos. Videtur Nicolaus Papa eius sententiæ esse, ut quod omnes attingat, ab eo nemo excludi debeat. Res est autem clara, & testata per multos uiros, inter laicos inueniri doctrinis multis perpolitos, in theologia etiam exercitatiores, quàm sint multi episcoporum: ut non possit esse sine magna Ecclesiæ pernicie, his concedi, illis adimi potestatem uel sententiæ dicendæ, uel iudicandi de cõtrouersijs. Quid igitur prohibet, quo minus naturam ducem tanquam Deum sequamur, eiq; pareamus? Quid enim illa præscribit? non ne, artifices à peritia & usu, nõ à personis humano arbitrio impositis, deligendos esse? Quis in longinquam regionem nauigatione transmissurus, gubernatorem ex titulo eligit? Quis morbum lethalem à se depulsurus, medicum titulotenus quærit? Quis in periculũ & discrimen extremũ uocatus, patronũ adhibet professione sola insignitũ? Omnino, qui hæc rectè curata uolet, serioq; rerũ quas diximus magnitudinẽ secum expendet, non titulorum professione bonos artifices metietur: sed & gubernatorem & medicum & patronum deliget artibus instructissimos, usu exercitatissimos ac paratissimos, opera & fidelitate conspicuos & probatissimos. Quod si tanta diligentia homines non stulti utantur, rebus quibus hæc uita gubernetur & sustentetur procurandis, an remissiores erunt in rebus religionis? quarum ope & mare hoc mũdi huius transmittendum sit, ad regionem illam uiuentium tendentibus: & uitia mortifera, quę sunt morbi animi, abigenda, sanctè & cum pietate uiuere optantibus: & damnatio, morsq; æterna uitanda, ad beatam & immortalẽ uitam properantibus. Titulos igitur insignes, qui hominibus nullis meritis plerũq; dantur, missos

9 c. d. ubi nã.

missos faciamus. Honores, qui ſępe malis & indoctis conceduntur, omittamus. Actiones non perſonis, quæ non rarò temerè hominibus imponũtur, ſed rebus cõſentaneas tribuamus. Nemo doctus & intellígens exiſtimator, eligẽdo artifice eum ſumit, qui uel ſe non eſſe profiteatur: uel ſi profiteatur, in eo ipſo peccet quod profiteatur. Et quomodo orbis Chriſtianus eos de controuerſijs religionis patietur iudices, qui uel negent ſe huic doctrinæ operam unquam dediſſe: uel ſi aiant, ſpecimen tamen huius facultatis egregium nullum dare poſsint? Ingenium igitur, doctrina, prudentia, uirtus, & reliquæ diuinæ dotes in unoquoq; ſpectandę ſunt. Quibus qui deſtituatur, ne fiat illi poteſtas dicendæ ſententiæ, multo minus iudicandi de controuerſijs, quamuis multorum epiſcopatuum habeat & nomina & poſſeſsiones: qui uerò præditus ſit, ne ob laici appellationẽ excludatur ex eo cœtu, ubi ſolæ illæ uirtutes regnare debẽt.

Iam argumenta contraria cum noſtris conferre non eſt difficile. 1. Neq; enim eſt quiſquam, opinor, qui putet ſynodũ uniuerſalem, quia ab aliquo Concilium ſynodale uocatum eſt, ſynodum propterea uniuerſorum eſſe deſijſſe. 2. Neq; Pulcheria Auguſta, iubens clericos, monachos, laicos pelli de concilio, legem imponere potuit uniuerſo Chriſtiano orbi: qua lege ex uniuerſitate aliquos excludi deceat. Non eſt mulierum, ad Reipub. adminiſtrationem ſeſe ingerere: quanto minus, legem toti orbi ponere? Viris uerò an non pudendum, tanti facere muliebre factum, ut illud in argumentum ducere non dubitent? 3. Epiſcopi catholici, ſi aliquos ſeu non catholicos ſeu hæreticos expellebant de eo cœtu, ubi controuerſijs fines imponendi eſſent, hoc prætextu, quòd concilium tantum epiſcoporum ſit, primùm magnam prębebant ſuſpicionem conſiliorum ſuorum non probandorum: quæ, interceſſoribus excluſis, inire conabantur. Deinde illud cõſequebantur, ut edictis & anathematis ſuis cogere & ferire eos non poſſent, quos cœtibus ſuis intereſſe prohibuerunt. Melius igitur Põtifices Romani proximè uita functi: qui quoties concilia indicebant, nunquam intermiſerũt, quin uocarent ad ea principes Lutheranos cum ſuis eccleſijs. Quẽ enim magis attingit tractatio de cõtrouerſijs, quàm qui diſſentiũt? 4. De Martino neſcio quo abbate, qui ſubſcribere noluerit concilio Chalcedonenſi, propterea quòd epiſcopus non eſſet, nihil habeo quod pro certo dicã. qui enim uir, & qui abbas fuerit, ignoratur. Fortaſſe uel inſcitia eorum quæ ibi geſta ſunt, uel res quæ ei non probandæ uidebantur, à ſubſcribendo eum deterruerunt. 5. Vidit, inquiunt, hoc Theodoſius Imperator, qui ad ſynodum Epheſinã ſcripſit his uerbis: Illicitum eſt, eum qui non ſit ex numero epiſcoporum ſanctorum, eccleſiaſticis immiſcere tractatibus. Hoc ſi ille uidit, certè per nebulam denſiſsimam uidit. Clarius uel ille idem alio tempore, uel alter

uel alter eius nominis uidit, qui Constãtinopolitanæ synodo interfuit. 6. Vidit, inquiunt amplius, & Valentinianus, qui sibi, cum unus de populo esset, fas non esse talia perscrutari dixit. Melius uiderunt episcopi Hellesponti Bithyniæ, qui misso oratore Hypatiano, Heracliæ Perinthi prę́sule, rogarunt eum, ut ad emendationem intereſſet: ut est in historia Tripartita, lib. 7. cap. 12. Sed opponamus alios Imperatores, melius (ut opinor) uidẽtes. Constantinus concilium magnũ Nicænum conuocauit, illíq; præfuit. Verba quæ ad ecclesias ex eo concilio scripsit, hæc memorantur: Nam & ego « tanquam unus ex uobis sum. Minimè enim negauerim, quo maxi- « mè gaudeo, me esse cõministrum uestrum. quod legere licet apud « Theodoretum, lib. 1. cap. 10. Martianus quoq; Imperator, exemplo Constantini, dixit se interfuturum synodo Chalcedonẽsi, ut narrat Gratianus 96. d. Nos ad fidem. Idem Gratianus eadem 96. d. Vbi' nam: scribit, Nicolaum Papam sic ad Michaelem Imperatorem scripsisse: Vbi' nam legistis Imperatores antecessores uestros synodali- « bus conuentibus interfuisse: nisi fortè in quibusdam, ubi de fide tra « ctatum est, quæ uniuersalis est, quæ communis omnium: quæ non « solum ad clericos, uerùm etiam ad laicos, & ad omnes omnino per- « tinet Christianos. Quod à Glossa confirmatur his uerbis: Quod « omnes tangit, ab omnib. debet tractari & approbari. Huic respon « so Nicolai Papæ tali tantaq; ratione firmato, cedant necesse est & argumenta ex appellatione synodi episcopalis, à contrà sentientibus usurpata, quia habemus appellationem magis usitatam & uulgatiorem Concilij œcumenici: & muliebria mandata, quæ nulla ratione nixa sunt: & episcoporum nescio quorum factum temerarium, nimisq; suspicioſum: & reliquorũ, quantumuis honoribus illustriũ, parum illustria dicta factaq;. Possumus etiam appellationem concilij episcopalis sic Gratiani authoritate refellere, qui sic orditur distinctionem 18: Episcoporum cõcilia sunt inualida ad definiendũ, « ad cõstituendum, non autem ad corrigendum. Sic enim opinor ad « modum dialecticum colligi licet: Nihil quod inualidum est ad definiendum, aut constituendum, est concilium generale: Concilia episcoporum sunt inualida ad definiendum & constituendum: Concilia igitur episcoporum non sunt cõcilia generalia. Nam quid sunt episcoporum concilia, nisi ubi soli episcopi congregantur? Quod si his constituere nihil licet, certè non efficient concilium generale, cui potestas sit definiendi & constituendi. 7. Apostolorum concilia nobis non modò non aduersantur, sed suffragãtur etiam. Nam & ad eligendos eos qui quotidiano ministerio occuparentur, multitudinem discipulorum conuocatam esse, memorat Lucas: quo nomine ineptum est intelligi apostolos solos cum presbyteris. Et in conuentu qui ob circunciſionem agebatur, non tantum fit mentio

Socrates lib. 5. cap. 8.

Act. 6.

Act. 15.

Apoſtolorum & ſeniorum, ſed & totius Eccleſiæ & fratrum. Quibus nominibus an non ſunt complectẽdi & laici, & reliqui ordines Eccleſiæ? Certè ut populi appellatione ciues uniuerſi, ita fratrum & Eccleſię, cuncti qui CHRISTO nomina dedere, ſignificantur.

» Tunc uiſum eſt, inquit Lucas, Apoſtolis & presbyteris, unà cum
» tota Eccleſia, delectos ex ſe uiros Antiochiam cum Paulo & Barna-
» ba mittere. Et paulo pòſt: Apoſtoli & presbyteri & fratres degen-
» tibus Antiochiæ fratribus ſalutem. 8. At ſolis epiſcopis dictũ eſt,
Act.20. 1.Pet.5. ut regant Eccleſiam: ſolis, ut paſcant gregem: ut docendo & iubendo oues ducant. Vtinam id rectè, conſtanter & fideliter facerent. Tum enim rectè inferres: ouium eſſe, diſcendo & obtemperando ductum illorum ſequi. Hoc ubi abſit, non'ne locus erit CHRISTI
Matth.15. uerbo: Cæcus ſi ducat cæcum, ambo in foueam cadent? Quod uerbum à CHRISTO de ſcribis & phariſæis dictum eſſe, Matthęus refert: quorum in locum epiſcopi & presbyteri ſucceſsiſſe putãtur. Arguũtur à CHRISTO ſcribæ, quòd traditione ſua Dei præceptum reſcindãt. Vocantur ab eo tum hypocritæ: tum populus qui ore & labijs ad Deum accedant, animo procul abſint: tum cultores Dei eiuſmodi, qui fruſtra Deum uenerentur, humanorum præceptorum doctrina docenda: poſtremò & cæci. Itaq; doctrinam illorum coram multitudine hominum improbat, rectamq; doctrinam
Matth.16. tradit. Ac pòſt alio tempore admonet, cauendum eſſe phariſęorum fermentum, hoc eſt doctrinam. Neq; ego is ſum, qui epiſcopos ad
Matth.7. ſcribas aut phariſæos comparare uelim. Sed CHRISTI hoc uerbo de cauendo fermento, & illo de cauendis falſis prophetis, quod ad plebem pertinet, admoneor, plebis eſſe diſcernere inter fermenta: interq; falſos & ueros prophetas, epiſcopos, doctores. Itaq; ſi tu uis, ut oues ad ductum epiſcoporum ſeſe applicent, an non æquum eſt eis concedi, ut de ducendi ratione iudicent? Quomodo enim ca
Gal.1. uebũt à falſis & perfidis ductoribus? quomodo illis anathema erit, quiſquis diuerſum ab Apoſtolica doctrina tradiderit, ſi illarum eſt tantum pręeuntes paſtores & epiſcopos ſequi: non etiam iudicare, quales ſint qui præeant? An non metuẽda eſſet illis fouea à CHRI
Hierem.23. » STO denunciata? Quamobrem Deus olim ad Iſraelitas: Nolite,
» inquit, audire uerba prophetarum, qui prophetant uobis, & deci-
» piunt uos: uiſiones cordis ſui loquuntur, non de ore Domini. Alio
Hierem.14. » itẽ loco: Hæc dicit Dominus Deus de prophetis, qui nomine meo
» uaticinabantur, quos ego non miſi. Et ipſi fame ac gladio peribunt:
» & homines quibus uaticinabantur, præ fame & gladio iacebunt
» paſsim in uijs, carentes ſepultore. CHRISTVS etiam generatim
Ioan.5. » & uniuerſè præcipit, inquiẽs: Scrutamini ſcripturas, quæ de me te-
Act.17. ſtantur. Ad hæc Lucas laudat quoſdam ſummo genere natos, inter eos qui Theſſalonicę Paulũ & Silam audierunt: quippe qui ſumma cum aui-

cum auiditate receperint sermonem illorū, quotidie scripturas examinantes, an hæc ita se haberent. Sed hoc, inquis, alijs in locis temporibusq; facere licet ouibus: in cōcilio minimè. Quid ita minimè? Nescis, istas oues omnibus dotibus prędita esse, quibus pastores? nescis, ex eis pastores esse solere? nescis, quanta & quàm multa queri debeant de pastoribus? non ne satis est tibi, si extra tempus concilij habeas eas morigeras, imperijs pastorum obediētes, iurisdictioni & execrationibus eorū subiectas? Tempus uerò concilij an non eis liberū permittes, quo, ut episcopi de illis, ita illæ de episcopis iudicare possint? At tu tibi, cum tui similibus, doctè caues: Pontifici cum episcopis, hominibus illi iuratis, summam potestatem & imperium permittis, clericos & laicos authoritatibus & argumentis magnis, si dijs placet, ex cōcilio abigis. O pulchrū stratagema. Quin ergo laici iam herbam porrigūt episcopis: faciunt quod illos iuuet: numen illorum uenerentur: uitæ necisq; suæ illos dominos fateantur. Necq; enim est quod concilij tam imperiosi exitum alium expectent, quàm ut uel damnentur, uel ad ea adigātur quæ chara sint episcopis, quorum est tota potestas. Expediamus igitur tuum stratagema: faciamusq; ex tuo præscripto, ut episcoporū & sacerdotum tantum sit sententias dicere in concilio: sitq; aliquis huius ordinis stupidus & bardus, qui pręter nomen & opes, episcopi in se habeat nihil. Hunc tu non excludes à sententia dicenda: non enim licet suo quenquam iure priuare. Non excludes & à iudicādo de ijs quæ ad religionem catholicam pertineant: spoliare enim aliquem iudicio, quod sibi debeatur, priuare approbatione uel subscriptione, orbare censura suo ordini cōgruenti, summæ fuerit iniuriæ. Sit eregionè homo laicus, omni doctrina liberali prædituſ, in re theologica exercitatissimus: qualem fuisse Ioannem Picum Mirandulanū, quę stiones illæ, quas Romę proposuerat publicè disputādas, argumento sunt. Hunc tu, quia laicus est, expelles è concilio. iubebis eum, ut discendo & obtemperando sequatur iussa & doctrinam illius episcopi quem finximus, & quales sine fictione inuenti semper sunt innumeri. O quàm turpe hoc spectaculum fuerit, uidere in sede honoris celsissima sedentes truncos: edicta cōponentes: imperantes: minis omnes terrētes: ac qui non obtemperassent, flamma & ferro punientes. Contrà, homines procul à sedibus illorum in imo loco stantes: nutus & uerba illorum obseruantes: dictis & iussis per omnia parentes: ac si quam etiam ab illis iniuriam accepissent, ne mutire quidem audētes: quin potius pro malefactis gratias immortales agentes. Summe orbis conditor, ac Ecclesiæ author & defensor, Deus omnipotens, tam fœdum monstrum à concilio tuo Christiano auerte: bonis omnibus detestabile: ueræ Ecclesiæ horrendum: solis hostibus Ecclesiæ gratum: diabolo ipsi iucundissimum. Pro-

fectò intolerabilis est & grauis arrogantia, cum pars una, altera exclusa, uim & autoritatem totius sibi sumit & uendicat. Dominatio etiã omnis importuna non potest non esse grauis CHRISTI populis: quibus ne Paulus quidẽ dominari uult, fidei nomine. Quam quidem dominationem uerisimile est ab istis quæri, qui talibus sententijs proludũt: Concilia sunt episcopalia: nemo igitur ad iudicandum de rebus fidei catholicę admitti debet, præter episcopos catholicos. Theodosius & Valentinianus cum non essent ex ordine episcoporum sanctorum, noluerunt se tractatibus episcoporum immiscere: igitur reges & principes eiusmodi cura supersedeant. Vos uerò uiri admirandi, non ignoratis contraria exẽpla clarissimorum principum & Imperatorum. In primis autem Constantini illius magni, qui concilium Nicænum coegit: illi præfuit: quæstionibus excutiendis, ritibus examinandis, moribus dijudicandis se socium & symmistam adiunxit. Cuius illa grauissima uox recitatur à scriptoribus rerum ecclesiasticarũ: ex eo quidem scripto, quo absentes de rebus in concilio gestis certiores fecerat, quodq; in ipsa urbe Nicęa locis omnibus proposuerat: Non enim, inquit, negauerim, de quo maximè gaudeo, fuisse me cõseruum uestrum, quoad cuncta essent competẽter exquisita: ac donec sententia omniũ gubernatori Deo placita, ad unitatem & consensionem in lucem produceretur: nec quicquam amplius ad dissensionem aut fidei controuersiam supereset. Imitati sunt Constantinũ alij Imperatores. Martianus Chalcedonẽsi synodo interfuit: Theodosius Constãtinopolitanæ. Hęc cum uobis, & plura alia exempla nota sint, silentio illa prætermisistis: ne quid causæ, quam agitis, incommodaretis. In quo an eam ingenuitatem pręstiteritis, quæ uiros bonos deceat, iudicẽt alij. Mihi uerò sententia illorum magis probanda uidetur, qui arrogantiam, quã prius dixi, & dominatũ hunc imperiosissimũ minimè ferendũ putent in Ecclesia: in qua nec unius, nec omnium, sed optimorũ & doctissimorum ex ordine utroq; tum sacro tum profano sententiæ principatum tenere debent. Ac nisi illam arrogantiam exuerint episcopi, pro tyrannis habendi uiderentur: nec suo cœtui illud arrogare possent, ut is repręsentet Ecclesiam. Nulli enim tyranni, nulli oligarchæ, aut alij improbè imperium affectantes, quantumuis prætexant nomen Reipub. negotia eius agere, aut ipsius personam rectè tueri possunt: sed illi tantum, quibus uel lex eam personam imposuit: uel ipsa Respub. qua inuita ac imprudente nemo eam repręsentare nec potest, nec debet: nisi fortè titulotenus tantum, quemadmodum homo pictus hominẽ repræsentare dicitur. sed hoc modo & ipsorum concilia & ipsimet pro pictis habendi essent, non ueris episcopis: uereq; in eos conueniret Canon, qui pronunciat, non omnes episcopos esse episcopos. Nos uerò ad ulteriora progrediamur.

2. Corinth. 11.

Euseb. de uita Constãt. lib. 3. Socr. lib. 2. cap. 9.

w. Quod eius q; uniuersitatis nomine, uel contra eam agatur. L. nulli.

3. q. 7. non omnes.

diamur. His enim generatim de concilio expositis, de partibus eius dicendum est. Et primùm quidem de ijs qui sententias dicent, pòst de iudicibus.

CAPUT IIII.

De legatis ad concilium mittendis. 1. *A quibus eligi, & quibus rebus præditi esse debent.* 2. *In primis autem doctrinâ necessariâ.* 3. *Deinde libertate dicendi.* 4. *Compendium in multitudine eorum qui dicturi sint sententias, est optimum, si pauci deligantur, qui de re proposita explicent omnia.* 5. *Dicentes sententias ita sint affecti, ut nihil dicant cupiditate gloriæ, nihil partium studio: armaq; & argumenta sua ne celent aduersarios.*

IN ijs qui sententias dicturi sunt, requiritur doctri- 1
na & libertas dicẽdi. De quibus nos copiosè disse-
ruimus in oratione de Legatis. à quibus etiam, &
quibus rationibus ipsi legati eligi debeãt, fusè pro-
sequuti sumus. Omnium certè ecclesiarum uolun
tate electio fieri debet: non regis tantum & sena-
tus arbitrio. Nam si in Repub. nihil constitui potest morib. nostris,
nisi consensu ordinum omnium: nec religionis causa committenda
est alicui, imprudentibus & inconsultis ijs ecclesijs quæ Christiano
nomine gaudent: quarum est & legatos ad concilium mittendos
eligere, & illis res eò perferendas mandare. Nam & plebs habet
quod exponat aduersus sacerdotes, & sacerdotes quod aduersus
plebem: & utriq;, quod aduersus alios, à quibus putent sibi fieri in-
iuriam. Eligendi autem sunt, non qui tantum dogmata nostrarum 2
ecclesiarum tueri queant: sed qui & eadem maximè impugnare, &
contraria defendere sciant: non ut præfractè tueantur quod susce-
pissent (id enim ab eo loco alienum esse debet, ũbi ueritas quæra-
tur) sed ut omnibus, aut certè plurimis, quæ in utranq; partem de
re controuersa dici possint, in conspectu positis, uerum elici possit,
& teneri, falsum uerò explodi & eijci. Atq; utinam si non multos,
saltem aliquos habeamus, qui ad tantam rem apti sint, & commodi.
Nam homines leuiter eruditos mittere in theatrum illud doctrinæ
totius orbis Christiani, cùm nomini nostro est inhonestũ, tum re-
bus Christianis inutile & pernicioſum. Oratio quidem inculta, sen-
tentijs & acumine uacua, audientiam sibi facere nequit in cœtu do-
ctorum & prudentum uirorum: quæ tandem ipsa intra unos pa-
rietes minimè occultatur, sed & foras exit, in uulgusq; emanat, &
ad posteritatis memoriam notatur. Magna laborat rerum inscitia,
qui per ambitionem hanc sibi prouinciam mandari optat. Multo-
rum subeat nomina uitiorũ necesse est, qui sibi infirmitatis suæ con-
scius, tantum onus suscipere audet. Eligantur igitur, qui omnia, aut
certè plurima, quæ de controuersijs horum temporum in utranq;

partem dici posſint, non audita tantum, ſed penitus habeãt perſpecta. Vt alia ſunt tempora, aliæ leges, pacis quàm belli: ita cõcionum ad uulgum, & diſputationum leges diuerſæ ſunt. Et quæ tranquilla & pacata Eccleſia mouẽda non ſunt, ea per tempus cõcilij & mouenda & exagitãda, ut poſtea ueritas eluceſcat, nihilq; in poſterum dubij relinquatur de rebus controuerſis. Nihil ad eam rem ualet nec nobilitas, nec ſtemmata, nec perſona quam quis gerat, nec ulla fortunæ bona. Valeant iſta domi, ad cõcertationes conciliorum opus eſt ingenio, arte, exercitatione. Agamemnon quidem Græ-
Homerus Iliad. 10. corum rex, in eo concilio quo de mittendis aliquibus exploratum caſtra cõſiliaq; Troianorum agebatur, ad Diomedẽ operam ſuam
» ſponte ante omnes pollicentẽ, ſic inquit: Quum permulti ſint, qui
» ſe tibi in aperta pericula ituro comites adiungi uelint, hancq; ſibi
» mandari prouinciam certatim poſcant, delige arbitratu tuo ex om-
» nibus optimum: neq; per uerecundiam committas, ut omiſſo me-
» liore, deteriorem legas: reſpiciens aut ad nobilitatẽ generis, aut ad
» magnitudinem potentiæ. Vidit nimirum Agamemnon præſentia pericula, in quibus nec generis nec honorum reuerentia, nec potentiæ pondus ualeret: ſed robur, ac inuicta uis animi, atque in rebus agendis dexteritas. Itaq; cum metueret, ne Menelaus frater ob generis & potentiæ cõmendationem deligeretur, Diomedem, ut rerum aliarum, comite itineris & tantorum periculorum deligendo, rationem haberet, hortatus eſt. Diomedes itaq; ſociũ ſibi Vlyſſem dari depoſcit: cum quo res geſsit, quæ ab Homero deſcriptæ ſunt. Quo magis & nos, ſi rei, qua de agetur in concilio, cõſiderauerimus magnitudinem, non alterius rei habebimus rationem, quàm uirtutis & doctrinæ. Odioſum ſanè eſt hoc genus hominum, qui neminem quantumuis literatum, religioni, reiq; publicæ poſſe prodeſſe putant, niſi ſtemmatum aut dignitatis nominibus fuerit clarus: qui nolunt quenquam, uel omnis doctrinæ copia abundantem, quicquam in Repub. poſſe, niſi tanquam ſupplex ſit eorum imaginibus ac dignitatibus, à quibus omnia cenſent pendêre oportere: quod quàm detrimentoſum ſit Reipub. alio loco oſtendã. Vidimus alicubi ipſi uirum quendam, magnis in rebus præclarè uerſatum, doctrina & uirtutibus inſignem, in ſumma fuiſſe inuidia: non alia de cauſa, tantum ob nominis notitatem. O labem nefandam noſtrorum temporum. O maculam pernicioſam Reipub. in qua uirtuti non obſcurè, ſed palàm & plenis buccis inuideatur. Sed agant tandem iſti, qui hæc curant, quicquid uolunt: cogant concilia, arceant à ſuis cœtibus quoſcunq; uelint, mutent quadrata rotundis: illud tamen nunquam efficiẽt, ut homines ſine doctrina uerſari cum laude poſsint in his diſputationibus, de quibus nunc loquimur: quantumuis illi præſtẽt honoribus, ac nobilitate. Narrant, qui diligẽter utriuſq;

utriuſq; partis legerũt ſcripta, multa in illis deſiderari ad rem quam tractent explicandam neceſſaria. plerunq; uti ſcriptores uel enthymematis (dicendum eſt enim uerbis in ſcholis uſitatis, ut res intelligatur) uel ſyllogiſmis parum accuratè compoſitis. Eorum retexendorum artem qui non tenet, is non facilè perſpicere poteſt quid deſit, quid ſuperſit, quid aliter quàm artis præcepta exigant poſitum ſit. Quid igitur faciet in illis ſubſellijs, is qui ab huiuſmodi doctrinis ſit imparatus? Certè aut audiet quæ ab alijs dicuntur, tanquam aſinus lyram: aut aſſentietur, contradicet ue temerè rebus incognitis: quod ſine dedecore ac clade Reipub. fieri non poſſet. Ergo & artes huiuſmodi omnino percipiẽdæ ſunt, quibus captioſæ concluſiones diſſoluantur: & diſputationes utriuſq; partis cognoſcendæ. Nemo poteſt docti perſonã tueri, qui non multum & ſtudioſè fuerit uolutatus in eo, de quo agendum dicendumq; ſit. Tempore & exercitatione artes creſcunt: nec ſubitò, nec ex rebus quaſi in remotiore pictura oſtenſis, comparantur. Qui putat rem bene geri poſſe à perſonatis, comœdias ſomniat: de rebus ſerijs non cogitat. Qui exiſtimat nec fideliter nec rectè aliquid geri poſſe, niſi ab hominib. imaginum uetuſtate claris: uideat ne ſui amore nimio captus, uirtuti aliorum inuideat: quam peſtem eſſe ſummam Reipub. & uerę religionis, omnes prudentes iudicant, & multa exempla teſtãtur. Plura, ſi placet, huc addi poſſunt, ex noſtra huius argumenti oratione. Qui ſine doctrina aut dono interpretãdi tribui ſibi optant ius concilij habendi, hoc eſt iudicandi res cõtrouerſas, decreta faciendi, & anathemate feriendi diuerſum ſentientes: uideant quo iure ſibi uendicent ſpiritum ſanctum, quem à ſuis donis ſeiũgere perabſurdum eſt. Non perſonatos Spiritus ſanctus congregat in ſuo nomine, ſed dotibus ſuis præditos: ut illi rectè curare queant ea quæ Eccleſiæ & ſaluti hominum ſint neceſſaria. Itaq; & Paulus, cum dixiſſet, neminem poſſe dicere dominum IESVM, niſi per Spiritum ſanctũ: mox de donis Spiritus ſancti diſſerit, inter quæ numerat ſermonẽ ſapientiæ, ſermonem ſcientię, prophetiã, & linguarum interpretationem. Nota etiã ſunt illa de epiſcopis & ſacerdotibus: Epiſcopus ſit aptus ad docendũ. Legem requiram ex ore ſacerdotis. Omnis ſcriba doctus ad regnum cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamiliâs, qui depromit è theſauro ſuo noua & uetera. Omnino qui cœleſtem doctrinam non rectè didicit, nec eam lõgo uſu & exercitijs fidei aluit, is ueras & ſalubres ſentẽtias de religione dicere non poteſt. Parum igitur hoc aptum eſt cõcilio Spiritus ſancti, ut aliqui eruditione ac dono interpretãdi deſtituti, tantumq; aliorum dictatis nitentes, ſedeant iudices ad decreta facienda, & anathematiſandum. Non eſt hoc, Spiritus ſancti impulſu reſpõſa edere: ſed, ab hominibus quod loquaris emendicare. Nota eſt fabula de mẽbris corporis humani,

quæ ui-

quæ uidendi officio fungi uolunt,cum nihil minus sint quàm oculi. Et illa de Cumano asino, quem licet pelle leonina indutum metuit nemo,nisi rerum imprudens. Non minus ridiculi uidentur laruati isti,qui aliorum dictata recitant, quibus prætexunt Spiritum sanctum: cum quidem ipsi donis ac facultatibus eius minimè instructi
3 sint,& oculis suis uidere nihil queant. Quod si homines rudes & idiotæ,ex sententijs hominum pendentes, non Spiritu sancto duci uidentur: quid de illis dicemus,qui non à magistris, sed à potestate aliqua accipiunt,quod decernant? Non'ne uidentur perinde agi ab illa ipsa potestate cui obtemperant, atq; equus agitur à sessore: ut non quò uelit currat,sed quò à sessore calcaribus impellatur? Non igitur tantum doctrina in ijs qui sententias dicent,est necessaria,sed & libertas dicendi. Quam etsi multa impedire possint, tamen præcipua illa duo esse uidẽtur,amor commodi, & metus alicuius, & in primis quidem Pontificis, hominumq; illi addictorum: qui uulgò putantur omnibus infesti,qui non id loquantur quod imperiũ eorum promoueat. Verùm homo Christianus Dei amorem, & metum eius præferre debet: quidq; filius Dei à nobis requirat, considerare.uult certè ille,ut uel capitis fortunarumq; periculo suum nomen profiteamur:& qui illum apud homines negauerit,hunc se minatur negaturũ apud patrem cœlestem. Quæ autem pœna tristior esse potest,quàm negari à filio Dei,ac incidere in manus Dei uiuentis? Neq; igitur dignitatis, neq; utilitatis maior ratio habenda est, quàm ueritatis.neq; committendum, ut cum Socrates alijq; philosophi ne morte quidem à ueritate abduci potuerint,homo Christianus pluris faciat uitam,aut ullas cõmoditates, ueritate Dei immortalis: ad cuius tribunal omni homini per mortem ueniendum est, ibiq; ratio actionum & rerum omnium reddenda. Quòd si qui uel iureiurando, uel alia pactione Pontifici maximo, aut cuiuis alij obstricti sunt, se nihil contra dignitatem aut utilitatem illius dicturos, facturos'ue: illi intelligant, nullo uinculo, nullo fœdere astringi fidem alicuius ad iniquitatem, aut ullam impietatem. Nam in omnibus pactis id uel tacitis exceptionibus cauetur, ne quid fiat contra honestatem,ne'ue contra iussa & uoluntatem Dei. Scitum est & illud,quod Aristoteles dicit,Amicum sibi Platonem,amicam ueritatem: sed tamen ueritatem præferendam esse. Quid quod iurantes Pontifici,id præ se ferunt,se uicario CHRISTI iurare? at si uicarius aliqua in re discedat à fide eius cuius uices gerit,iam nõ uicarius,sed desertor potius habẽdus est. Igitur in eo quod cum CHRISTI uoluntate à Papa uidebimus geri, uicarium CHRISTI Papam agnoscemus: in eo quod secus fecerit,nec uicarius illius nobis erit,nec fides illi seruãda,quę Domini nomine illi data sit. In summa,si quod Pontifex uult,honestum est,pium,sanctum,utile,hoc ipsum uel iniurati

iurati amplectamur: ſin turpe, pietatem & ſanctitatem erga Deum lædens, hoc uel omni iureiurãdo obſtricti repudiemus. Necꝫ uerò illud ab re fuerit, ut quicunꝫ dicturi ſint ſententias, iureiurãdo adigantur, ſe nullius, præterquàm ueritatis, rationem habituros eſſe: atꝫ ea quæ uera & recta eſſe ſentiãt, patefacturos, uel ſuo, uel totius orbis periculo. Nihil magis mouet pias mentes, quàm Dei reſpectus: à quo præmia rectè factorum, pœnæ ſceleratè commiſſorum ſint expectandæ. Et hæc quidem de ſeruitute uitãda, libertate amplectenda, in dicendis ſentẽtijs. In magna multitudine dicentium 4
ſententias, illud ferè fit, ut qui priores dicunt, potiora eligant: eaꝫ quaſi occupent, quæ rei propoſitæ magis ſint accommoda: qui poſteriores, uel eadem quæ à prioribus dicta ſunt, repetere cogantur, uel deteriora loqui, uel in priorum ſententiam ire. Equidem qui ſibi imperare poſſunt, ut dictis aliorum quæ ſibi placeant, aſſentiantur, laude ſua non carent: quippe qui & tempori parcant, cuius iactura eſt maxima: & bonis aliorum ſententijs ingenuè ſubſcribant, & faſtidium auditoribus párere nolint. Sed tales rari ſunt. pudet enim pedarios ſenatores dici. Malunt pleriꝫ uel deteriora loqui, uel priorum ſentẽtias mutatis uerbis, aut ne mutatis quidem, repetere. Quod quia fit nullo fructu, imò & cum temporis iactura, & cum nauſea auditorum, ideo illud magnum & utile compendium operæ fuerit, duos deligere, qui de re propoſita contrarias recitent ſententias: nimirum alter aientem, alter aienti cõtrariam: omniaꝫ, quoad eius facere poterunt, explicent, quæ tum ad cauſæ confirmationem ualeant, tum ad locorum contrariorum diſſolutionem. Sin res eſt prolixior & intricatior, quàm ut unus commodè omnia quæ ad ſuam ſententiam pertineant, euoluere & commemorare queat: daretur pars utraꝫ ternis, pluribuſue: quorum primi teſtimonia afferrent ſanctarum literarum, alteri conciliorum uetuſtorum, tertij interpretum. Quòd ſi præter contrarias ſententias eſſet tertia aliqua, eius quoque explicandæ negotium alijs tribus pluribuſue daretur. Vbi illi, quibus res ad modum quem dixi, mandata foret, peregiſſent partes ſuas, nihil iam neceſſe eſſet alios dicendis ſententijs multum occupari. Imò quin antiquus Romanorum mos, in ſenatuſconſultis per diſceſsionẽ faciendis uſurpatus, in concilio quoque uſurpetur, cauſa nulla eſt. Nihil quidem hac ratione ad breuitatem aptius excogitari poteſt. Nam ſolo tranſitu in partes, quiſque oſtenderet quam ſequeretur ſentẽtiam. Qui nihil haberet quod in parte ſua deſideraret, is tempore non abuteretur profundẽdis uerbis inaniter: ſed alienis dictis candidè aſſentiretur. Qui aliquid deſideraret, hunc nihil impediret adferre ea quæ neceſſaria uiderentur, ſeu ad cauſam confirmandã, ſeu ad ea confutanda quæ contra illam facerent. Qui de Repub. deꝫ religione dicunt ſententias, eos mi- 5

nimè decet uictoriæ aut gloriæ cupiditate ardere: atque adeò arma occultare, quibus conficiant aduersarium. Equidem qui de fama, capite, fortunis pugnant, arma & stratagemata occultare consueuerunt, quibus adoriantur hostem: utpote quem armis illi imprę uisis putent se facilius conficere posse: nec quicquam referre, uirtute an dolo uictoriam consequantur. At in concilio aliud est genus certaminis: ubi nemo uictoriam sibi quęrat, nemo famæ aut fortunis suis consulat. Sola enim ueritas ibi inuestiganda: unitati ecclesiarum, & animis hominum pacandis & tranquillandis necessaria. Ea à quocunque reperta, non secus amplectenda est, quàm si de cœlo ad nos delaberetur. Igitur arma ibi nullo modo occultãda sunt. utricę cum utrisę prius communicent argumenta sua, quàm in disputationem ueluti in palæstram erit uentum: ut tum nihil audiatur noui, quod non prius cognitum & meditatum fuisset: diligenterę expensum, quàm aptè quadret ad rem, qua de agatur. Quòd autem à nonnullis obiicitur, arma aduersariis tradenda non esse: id fortè locum habet in eo prælio, ubi de capite pugnatur, aut de consequenda gloria agitur. Id enim in disputationibus theatricis, nobis adolescentibus seruari meminimus: ut qui thesin positam defendisset, aduersario, etiam uerissima affirmanti, minimè cedendum putaret: qui contrà pugnasset, is defendentem docere minimè curaret, sed eum uincere quauis ratione conaretur. Seruiebatur enim coronæ: pulchrum uidebatur digito monstrari, Hic est. Cæterùm ubi ueritas quæritur, ubi Deo tantum, gloriæ nostræ nihil seruitur: ibi arma communicanda, & ueluti subministrãda sunt aduersariis, ut præuisa nihil noceant ueritati: & quæ recta uidebũtur, simpliciter accipiãtur à quocunę profecta: quæ erronea, nemine impediente reiiciantur. Non studeatur partibus: diuinum ueritatis donum solum spectetur, & comprehendatur. Dei est negocium, quod in cõcilio tractatur: agitur salus animarum: consulitur tranquillitati conscientiarum: opera datur unitati ecclesiarũ, CHRISTI sanguine acquisitarum. Quisque igitur qui ad id negocij deligetur, CHRISTVM sibi ante oculos proponat: tantarum rerum spectatorem, remuneratorem, uindicem. Si in cõmune consuletur, Dei gloria & salus animarũ quæretur, facilè concordia inibitur. nam ab omnibus partiũ studio infectis, sibi & suæ existimationi seruientibus, nihil boni effici potest: ac metuendum etiam, ne si tales præerunt tractationi, pro concordia quæ constituẽda esset, res omnis exeat in simultates, discordias, turbas & hostilitatem. In argumentis excutiendis uideant delecti, ne quid omittant earum artium, quæ ueluti instrumenta, inuentę sunt ad ueritatem indagandam. Loquor cùm de artibus aliis, tum de dialectica: qua imbuti qui non sint, sæpe uera pro falsis, falsa pro ueris accipiunt. Quod si in præsentia à multis tacetur, qui cõtenti sententia

tentia delectorum, in id quod cõcluſum eſt, uel ſimulatione, uel adulatione, uel inſcitia inquiri nolint: tamen ſemper aliqui reperientur, qui uel clam uel palàm reprehendere audebunt, & ad poſteritatis memoriam notabunt. Et hæc quidem de officio dicentium ſententias, dicta ſint. Nunc de iudicibus concilij agamus.

CAPUT V.

De iudicibus concilij, & de ordinaria ſucceſſione in Eccleſia.

DITA ſunt quorundã ſcripta, Tridentinam ſynodum improbantia, & ob iudicis perſonam, & ob libertatem ademptam ſententiæ dicendæ. His accuſationibus obuiam iri neceſſe eſt. permittenda omnibus liberè dicendi poteſtas. Iudices etiam, in partium diſſenſione, eligendi concilij totius autoritate, ex utraq; parte: qui communiter de rebus controuerſis dijudicent. Sin illi diſſenſerint, nec ſpes ſit eos de re propoſita conuenire poſſe, capiatur aliquis unus, qui arbiter ſit in rem propoſitam. Hic ſi aliter eligi non poſsit, ſortis miniſterio eligendus uidetur. quandoquidem hoc genus eligendi Deo placere, cùm in ueteri Eccleſia apparuit: tum in noua, Matthia in apoſtolatum ſumendo. de quo nos alibi latius diſſeremus. Ambitioſæ ſunt magis, quàm fructuoſæ diſputationes, de Pontificia poteſtate ſupra conciliũ. Quorſum enim cogitur concilium, ſi maior eſt poteſtas Papæ? Cur quidam Papæ, ſententia concilij non tantum in ordinem redacti, ſed & hæretici pronunciati? Non eſt maior urbs orbe, nec pars toto, nec caput corpore, in quo & ipſum caput & omnia membra cõtinentur. Quòd ſi corpus ſine capite truncum eſt, certè etiã ſine reliquo corpore caput nulli functioni aptum eſt. Corporis uerò ex eiuſmodi membris compacti, quæ ijſdem ornamẽtis ingenij, ſtudij, artis, morum, exercitationis, prædita eſſe poſsint, quibus caput ipſum, membra illa quę multitudine quaſi infinita, uarietate admirabilia ſunt, ſoli capiti, uel paucis quibuſdam cum capite coniunctis, poſtputare, minimè conducit Reipub. Profectò qui Pontifex uelit ſibi plus tribui, commodis ſuis magis fauere uideretur, quàm religioni: cuius cauſa non tantum cõmoda, ſed & pontificatũ poſthabere, & uitam ipſam bonus paſtor profundere non recuſet. Sunt tamen multi, & quidem docti & eruditi uiri, qui aſſeuerẽt, Papam ut ſingularem perſonam, in fide errare poſſe: ut Papam, non poſſe. atq; etiam affirment, prouinciam de controuerſijs religionis interpretandi & iudicandi, ipſi Pontifici cõmittendam eſſe: uidelicet ad exemplum Moſaici pontificis, cui iudicium rerum dubiarum cõmiſſum fuerit: idq; à CHRISTO præceptũ eſſe, ut ſcribis & phariſæis in cathedra Moſis ſedentibus obtemperemus. Sed enim CHRISTVS ipſe, cum ca-

thedræ Mosis mentionẽ facit, obedientię metas prę fixit. Qui enim scribę extra cathedram euagentur, ab illorum fermento iubet abstinendum esse. De Mosaico uerò pontifice quod dicitur, primùm illi causas ciuiles commissas fuisse, textus uerborum indicare uidetur: dum meminit causarum perplexarum & difficilium, inter sanguinem & sanguinem, inter litem & litem, inter plagam & plagam. Atq; hoc modo lex illa huc trahenda non erit, ubi de controuersijs religionis tractamus. Deinde, ut etiam quis ostendat, Pontificum fuisse iudicium de controuersijs religionis: illos tamen erroribus
Exod.22. obnoxios fuisse, multis exemplis ostendi potest. Aaron idololatra, ac potius idololatriæ princeps author ue erat: dum uitulum au-
4.Reg.16. reum conflaret, Iudæis adorandum. Vrias pontifex iussu regis Achas altare extruxerat, in quo ipse cum rege idolis Assyriorum sacrificabat. Tempore Hieremiæ pontifices & sacerdotes iactabant, nunquam defuturam legem sacerdoti, neq; consilium sapienti, neq; prophetæ oracula. At ecclesiã illius temporis idololatrijs uacuam non fuisse, ipsemet Hieremias multis in locis testatur. Dicit etiã capite 23, à Hierosolymitanis prophetis profectam esse impuritatem in omnem regionem. Pontifices sub tempus nati CHRISTI quales erant, res ab illis gestæ ostendunt. nam & CHRISTVM ad mortem tradiderunt, & illius Apostolos doctrinã salutis spargere prohibuerunt. Et tamen illi ipsi pontifices erant: quorum iudicio qui non paruisset, supremo supplicio afficiebatur. An uerò obtemperant Apostoli iussis illorũ, metu mortis? Imò animo magno & excelso respondent, Plus Deo obediendũ esse, quàm hominibus. Significant, hominem, quantauis authoritate sit, errare posse. Paulus
Act.23. etiam Ananiam, eiusdem classis pontificem, parietem incrustatum
» uocat, irã Dei illi imprecatur, atq; his uerbis eum obiurgat: Tu ue-
» rò sedes, ut me ex lege iudices: & tamen contra legem iubes me cæ-
» di? Quibus uerbis Paulus primùm citat legem illam Mosaicã, qua sancitur, ut Pontifex ex præscripto legis iudicet: deinde ostendit, tales pontifices multa contra legem solere facere. Tempora etiã post CHRISTVM natum ostenderunt, iudicium de religione pontificibus committi non posse. Nam & in erroribus uersantur multis: & pro hæreticis nonnulli iudicati sunt. Auxentius, non'ne Mediolani episcopus fuit proximè ante diuum Ambrosium? atq; idem ille Arianus habitus est. Eugenius Quartus, Papa erat. atq; idem ille non tantum uiolator & cõtemptor sacrorum canonũ synodalium: non tantum simoniacus, periurus, iurium & bonorum Ecclesiæ dilapidator, Romani pontificatus inutilis & damnosus administrator: sed & schismaticus, & à fide deuius, & pertinax hæreticus à sancta synodo Basilien si declaratus, atq; eam ob causam põtificatu motus est: omnibusq; hominibus & ecclesiasticis & secularibus, nec

regibus

regibus nec imperatoribus excluſis, grauiſsimis pœnis in contraue nientes aſſcriptis, interdictum, ne ſe ad Eugenij authoritatem deinceps conferrent, ne'ue illi obedientiã ullam præſtarent. Hæc enim continentur omnia in eo decreto, quod à concilio Baſilienſi, anno CHRISTI 1439, ſept. Calend. Iulij factum & ſcriptum eſt. Et hoc eſt, quod (mea quidem ſentẽtia) dictis illorum ualde repugnat, qui omni aſſeueratione affirmare audent, numeratis omnibus Pontificibus à Petro ad Iulium Tertium, nullum hæreticũ ſediſſe unquam in cathedra Romana. Aut enim Eugenius in põtificibus numerandus non eſt: atq; adeò ſedes Romana annos octo (nam tot à concilio Baſilienſi ad Nicolaum Quintum, qui Eugenio proximè ſucceſſit, interceſſerunt) à pontificibus uacua nudaq; erat: aut cõcilio Baſilienſi autoritas detrahenda eſt. Repetamus amplius, ſi libet, memoriam temporum illorum. Eugenio magiſtratu abire iuſſo, Amedæus Dux Sabaudiæ à cõcilio ſuffectus eſt. Extat enim exemplum literarum ad Sbigneum Cracouienſem epiſcopum, à concilio Baſilienſi, anno CHRISTI 1439, ſept. Id. Nouemb. miſſarum: non typis excuſum, ne quis dolum ſubeſſe putet: ſed manu hominis Poloni, ut uidetur, per tempora concilij illius deſcriptum. Quid igitur? an Amedæus officio pontificis functus eſt? Imò Eugenius, Amedæo in Cardinalium numerum reiecto, concilij Baſilienſis decreto, protrito & conculcato, ſolennia pontificatus ad extremum uſq; ſpiritum capeſſebat. Hunc tu igitur iudicem conſtitues rerum controuerſarum, propter cathedrã quam occupabat? Si etiam, uide quomodo tanta prouincia hæretico, uoce concilij declarato, committenda ſit. Si non, cui rectius id dabitur, quàm iudicibus concilij authoritate ex utraq; parte eligẽdis? cum quidem eos qui autoritate gaudeant ordinaria, erroribus obnoxios eſſe, iam demonſtratum ſit. Quid igitur, roget quis, ordinariæ ſucceſsioni detrahis? Ego uerò minimè. Scio enim, quantũ ei tribuerint uiri ſanctiſsimi, ut Irenęus, Tertullianus, Cyprianus, & alij quàmplurimi: quantumq; eius autoritate uſi ſint contra hæreticos. Sed quid ſit legitima ſucceſsio, & quæ ratio eius tuendæ & uindicandæ, conſiderandum puto. Putas tu in hoc ordine ſucceſsionis ponendos, qui aliunde quàm per oſtium ingreſsi ſunt? Putas eos qui non in doctrinã ac munera functioni propria, ſed in diuitias tantũ & amplas poſſeſsiones ſucceſſerunt? Atqui priores à CHRISTO fures uocari, & latrones: poſteriores ſua quærere, ſuęq; rei ſtudere, non IESV CHRISTI, certum eſt. Certè legitima ordinatio ita ad poſteros decurrit, ſi illi in res à maioribus poſſeſſas ſuccedant. Quæ igitur poſſeſsiones ſunt Apoſtolorum, quæ profeſsio, præterquàm doctrinæ & adminiſtrationis myſteriorũ Dei? Qui in hæc non ſuccedit, quomodo ſucceſſor Apoſtolorũ dicetur? Grauiter Bernardus, diuinus abbas, ad Eu-

Bernar. de Consideratione, lib. 4.

„ genium Pontificem maximum: Petrus, inquit, nescitur processisse
„ aliquando uel gemmis ornatus, uel sericis: non tectus auro, non ue-
„ ctus equo albo: nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus
„ ministris. Absq; his tamen credidit satis posse impleri salutare man-
„ datum: Si amas me, pasce oues meas. In his successisti Constantino,
„ non Petro. Et audet quisquã possessiones opum ecclesiasticarum, mitras, insulas, curuaturas, sellas, & id genus insignia, ad stabiliendam tyrannidẽ, in ordinẽ successionis Apostolicæ inferre? CHRISTVS ipse ordinationem legitimam commendat, si sedeant scribæ in cathedra Mosis: & in orbem mittens Apostolos, iubet eos prædicare Euangelium omnibus creatis. Quid igitur iactatis istos, qui nec Mosen, nec prophetas norunt, nec Euangeliũ docere unquam didicerunt? quiq; per uitam suam omnem in rebus à doctrina alienissimis uersati sunt? Audetis'ne hos in numerũ illorum qui à Tertulliano, Irenæo, & alijs ueteribus laudantur, aggregare? Quatuor aut quinq; summi Põtifices erant, quos uiderũt secula nostra. Quis illorum à theologię cognitione fuit commendabilis? Adriano quidem excepto, qui eius dicitur fuisse peritissimus. Sed idem parum idoneus fuisse gerendo põtificatu horum temporum iudicabatur. Libellus etiam, qui inscribitur, Discursus de eligendo nouo Pontifice, ab eo aulico Romano, qui quinq; Pontifices mortuos se uidisse, totidem alijs eligendis se Romæ interfuisse dicit, conscriptus, indicat, quid à Cardinalibus spectari soleat in huiusmodi electione: certè quiduis potius, quàm doctrina religionis. Atq; ille idem aulicus scripsit, memoriam Adriani Sexti Papæ adhuc recentem esse: ut dubitandum non sit, Cardinales illo exemplo nequaquam commissuros pontificatum alicui, qui non sit nominis Italici, aliter ipsos sceleratos, & patrij nominis proditores iudicatũ iri. Pronunciauit hæc aulicus, ex ingenio & proprietatibus aulæ suæ. Non ibi theologiã, non imperiũ hominis extranei, quamuis sit theologotatos, gratum esse: omniumq; qui non sint Italici sanguinis, potentiam fastidiri, & odio haberi. Nos uerò transmõtani, hoc est barbari (tales enim habemur) qui longissimè ab urbe Roma habitamus, quid? non'ne scimus, Pontifices cum suis assectatoribus in curis regię dominationis ferè fuisse occupatos? bella gessisse, ciuitates & Respub. occupasse, filijs aut nepotibus eas subiecisse? Quam igitur curã religionis habere possunt? quantũ temporis in doctrina ponere? quæ certè nisi alatur continua lectione, meditatione, cõmentatione, ferè solet etiã doctissimis disperire. Et hæc quidem, quæ dixi, scit & sentit tota Italia. hæc ad nos perferũt, quicunq; unquam ibi uersati sunt. Et tamen doctrinam eis non uulgarem quidam ascribere non dubitant. Habent, inquiunt, lateri suo assidentes totius orbis uiros doctissimos, quibus ipsi doctrina minimè secundi præsident: de quorum consilio,

Scriptor uitæ Adriani Sexti, circa uitas Platinæ.

consilio, de rebus grauioribus pronũciant. Vtinam istuc uerbum ex animo, ac uerè dicerent. Quamplurimi enim, ut dixi, diuersum sentiunt, & experiuntur. adeò, ut quidam sedis Romanæ obseruantissimi dicere ausi sint, Se pontifici parêre uelle: sed non Clementi, aut Paulo, aliud quàm quod pontificem deceat, docentibus aut imperantibus. Hæc alicui oratio pernicioſa uidetur. contrà Paulo apostolo, qui cum principi populi non esse maledicendũ affirmet, ipse interea Ananię maledicere audet: usqueadeò quidem, ut à quo prius epistolas Damascum affligẽdi Christianos causa ferendas petebat, quem in loco Pontificis iudicare uidebat, eum non agnoscat pontificem, quòd faciat contra legem. Quoties in ciuitatibus eiusmodi uoces audiuntur, multa reges & principes sæpe decernere & agere contra leges: idq; eos facere, non ut reges: hoc est, eorum huiusmodi decreta & facta, indigna esse dignitate regia. Quæ tamen decreta & facta, pacis publicæ causa ferenda & toleranda sint. Sed aliud est ferre, quod uitare nequeas: aliud, probare, quod probandum non sit. CHRISTVS ipse colaphum per iniuriam à Pontificis ministro, Pontifice ipso pro tribunali sedẽte, inflictum, fert quidem patienter: sed scelerati ministri factum grauiter improbat, inquiẽs: Si bene loquutus sum, cur me cędis? Paulus magistrũ suum, ut iam dixi, usq; eò imitatus est, ut etiã Põtifici maledicere auderet. Quod quidem si non omnibus uulgò imitari licet, qui tamẽ in Ecclesia primas tenent, quos officium cogit loqui, qui ius habent dictis factisq; improbis resistẽdi, qua conscientia tacebunt? Multi enim qui possent, non tantum non resistunt, sed gratiæ causa & imperitiam alienam celant, & testimonia rebus minimè consentanea dant. Cumq; memoria nostra nunquam sit auditũ, aliquem ob religionis doctrinam singularem ad munus Pontificis esse uocatum: audent tamen Pontifices alienis plumis ornare, & laudem doctrinæ nemini secũdæ eis tribuere. Neq; timent illud uæ, quod minatur Dominus illis qui malum bonum, & bonũ malum dicunt: qui tenebras in lucem, & lucem in tenebras conuertunt. Esa. 5.

At principi populi non est maledicendum: maledici enim regnum Dei non consequuntur. Rectè dicis. Verùm maledictio, ut inquit Cicero, nihil habet præter contumeliam. à qua si quis absit, maledicus dici non debet. Nisi fortè CHRISTVS maledicus est, cum scribas & pharisæos uocat hypocritas, progeniem uiperarum, filios diaboli. At seruus alienus non est iudicandus, qui domino suo stet, aut cadat. Rectè & id. Vt enim fide firma prædíti reprehenduntur, qui ipsi sine delectu uescentes quibuslibet, despiciant imbecillos uesci metuẽtes: ita imbecilli, qui temerè damnẽt firmos meliores se, omneq; id iniustum putẽt quod ipsi non faciant. Iudicium enim tum de ijs, tum de similibus rebus, non humana prudẽtia, sed Dei uerbo fieri debet. At peccata principum

cipum tegenda sunt, exemplo Shem & Iaphet, qui uerenda patris sui tegere & cooperire non dubitarunt. Rectissimè id quoque. sed aliud est tegere peccata principis, aliud tribuere ei laudes quibus indignus est: præsertim si laudes eiusmodi in Reipub. malũ incumbant. ut faciunt, qui principi concedunt doctrinã quam non habet, ut hoc titulo dent ei & hominibus illi iuratis potestatem summam de rebus omnibus iudicandi. Neq; ego is sum, qui de alicuius ueris laudibus quicquam uelim detrahere, aut alicuius præclara facta malignis interpretationibus eleuare: sed quia in præsentia de religionis doctrina loquimur, haud scio cur Põtificibus tanta tribuenda sit, quantam illi nec agnoscant, nec fortasse optent. Certè nec eruditi ea, nec eam alijs tradidisse unquã auditi sunt. In erroribus etiam magnis quosdam illorum fuisse, iam ostensum est: ut non immeritò munus iudicandi de rebus parum cognitis deprecari & abdicare deberent. Grauissima est enim illa hominum querela (cuius suprà meminimus) de Pontifice, qui ut prius abhinc quinquennium, ita proximè anno CHRISTI 1551 conciliũ Tridentinum suo arbitrio guberuauerit. Non tantum id Protestãtes (quos sic uocant) sed catholicos permultos, qui in cõcilio aderant, questos esse audiuimus. Etsi enim ipse Pontifex non adfuerit: tamen & legatum illi iuratum concilio prę fuisse ferunt, & magnis itineribus ad Pontificem de rebus omnibus relatum, nec nisi ex illius præscripto concluſum esse. Quid igitur? rem quæ agatur, nondum intelligunt? Accusant Protestantes Pontificem, cum omni Romana ecclesia, idololatriæ, doctrinæ falsæ, morum peruersorũ, ecclesiasticæ disciplinæ corruptissimæ. Pontificij item plericq; multa & in doctrina, & in sacramentorum administratione, & in disciplina emendari optant. Quin Pontifex ipse Adrianus Sextus in ea legatione, quam ad cõuentum Norimbergensem anno CHRISTI 1522 miserat, à plãta pedis ad uerticem capitis nihil esse sani in toto corpore ordinis ecclesiastici affirmat. Cur igitur eos uel solos, uel inter cæteros præcipuos iudices ferimus, qui in tantas suspiciones uocẽtur? Imò cur ipsi se ingerunt ultro in eam prouinciam, quam, etiam sibi ab alijs impositam, prorsus detrectare deberent? Et interea uolumus, ut quæ à concilio semel posita & fixa sunt, ea ne unquam rescindantur. Scilicet hæc ratio est obtinendi quod uolumus, si illi iudices erunt qui accusantur: quicq; hoc nomine inter reos magis, quàm iudices numerandi sint.

Scitum est autem, tres in iudicio personas esse debere: nec uni licere, personam iudicis, reiq;, aut actoris sustinere. Non hæc sanè contumelioſè, sed dolenter à me dicuntur. Res enim eò progressæ sunt, ut lapides, tacentibus hominibus, uelle loqui uideantur. Sed fac Pontificẽ cum omnibus sibi religione obstrictis, atq; adeò cum istis ipsis quibus doctrina est minimè secundus, ab omni errore esse

quàm remo-

quàm remotiſsimum: fac in eo culpam nullam, nullum peccatū reſi dere poſſe. quid hoc tandem ad id quod in præſentia agimus? Diſputamus nunc de cõcilio: cuius autoritati Pontificem parêre, non diſputationibus tantum, ſed re ipſa, oſtenſum eſt in concilijs, tum Baſilienſi, tum Conſtantienſi. nam in illo unus propter hæreſim, quod iam oſtenſum eſt: in hoc tres ob ſchiſma, in ordinem redacti ſunt. Quicunque igitur (in partium diſſenſione) à concilio iudices delecti erunt, eorū iudicio ſtandum eſſe contendo. Quod quidem in rebus quoq; alijs ſeruari, hinc perſpici poteſt. Orta enim de rebus aliquibus doctrinæ aut artium controuerſia, non ad eos qui titulotenus ſe artifices profiteantur, aut publicis honoribus fungantur, aut ordinaria ſucceſsione ſe tueãtur: ſed ad peritiſsimos & exercitatiſsimos res deferri ſolet, qui remota autoritate ſua, rem propoſitam ex natura ipſius definiant, argumẽto confirment, ratione demonſtrent. Tales igitur deligendi ſunt, qui tantam perſonam ſuſtinere poſsint cum dignitate: qui neutri partium addicti ſint, ſed qui ſumpta eiuſmodi perſona, ſtudiū partium eiurẽt omne. Non enim mihi diſplicet, quod principes, qui terminos agrorū ſuorum communes habent, in finibus regundis faciunt, ut ſoluant conſiliarios ſuos, quibus id negocij dent iureiurando, quo illis obſtricti ſint: ut eodem modo iudices concilij, utrinq; delecti, ſoluantur omnibus uinculis, ſi fortè quibus deuincti ſint partibus ſuis. Tales igitur ſentio iudices eſſe oportere, nõ qui alterutrius partis prę iudicia (quod nos extra concilij tempus facimus) adferant ad rem quæ tractetur: ſed qui liberi, ſoluti, & nulla re implicati, integram habeant iudicandi poteſtatem: qui certè non pro priuatis haberẽtur, ſed in ſummo honoris gradu à cuncta Eccleſia collocarentur. Quid multa? aut ratione, quam dixímus, melius irent res cõcilij, aut nulla alia. Nam etiamſi qua culpa delecti teneri poſſent, maiore tamen tenerentur, quibus ſolo honorum & ſucceſsionum reſpectu tanta res committeretur: cum quidem non faciat dignitas eccleſiaſtica Chriſtianum, nec omnis epiſcopus ſit epiſcopus, ut ſcripſit Hieronymus, & inter Decreta refertur 2. q. 7. c. Non omnes epiſcopi.

APOLOGIA.

De appellatione partium in Eccleſia.

MOLESTE' ferunt multi, nos deſignandis ijs qui cõtrarias tenent ſententias, partium appellatione uſos eſſe. Quod igitur nomen eis dandum eſt aptius? Profectò ſi orbis totus cum aliquo uno homine lite contendat, iureq; experiatur apud iudicẽ aliquem, iudex uix alio nomine affabitur eos, quàm partium: in ferendaq; ſententia uix formula alia utetur, quàm illa, Auditis partium propoſitis & reſpõſis, dicimus & decernimus. Non ſunt, inquis, partes in Eccleſia, quæ tenet totum. Imò ſi totum tenet, partes ſunt in ea: totū enim ex partibus conſtat. Sed in ea, inquis, idem dicunt & ſentiunt omnes. Imò homo totum eſt,

cuius partes non idem dicunt & sentiunt: aliud dictat ratio, aliud appetitus. Sed in toto mystico aliud est, in quis, in quo qui partem tenet, à toto præcisus est. Imò in omni toto pars est pars, totum est totum. neq; quod pars est, à toto præcisum est. Quod enim præcisum est, partis appellationem non meretur: in toto manens meretur. Mirabiles sunt isti theologi, qui studio sui catholicismi quiduis ex triuijs arripiunt: nec ut apta sint inter se quæ dicunt curant, modò ut contradicant. Quis est autem, pectus aliqua pietate imbutum habens, qui non optet summam illam in Ecclesia catholica cõcordiam, ut omnes sentiant idem, idem loquantur? Sedenim ea est natura hominũ, ut inter bonos etiam & sanctos uiros, sæpe suboriantur dissensiones: & quidem iustas ob causas.

Gal.2. Non'ne Paulus à Petro, non recto pede ad Euangelij ueritatem incedente, dissentiebat? Non'ne inter eundem Paulum & Barnabam tanta dissensio incidit, ut alter ab altero seiungeretur? An propterea ex Ecclesia dissecti sunt, eiusq; partes esse desierunt? Sed dices, non id certamen de doctrina fuisse.

Act.15. Loquamur igitur de illis, qui ex secta pharisæorũ, CHRISTI doctrinam amplexi, circuncisionem docebant: Pauloq; & Barnaba contradicentibus, rem ad Apostolos deferri curabant. an quia partem aliam sequuntur, quàm Paulus & Barnabas, eos ex Ecclesia protinus extirpabis? Loquamur etiam de ijs, qui huius memoriæ principes erant theologorum. Pighius & Eccius diuersa docuerunt de peccato originis: uterq; nobis est catholicus, uterq; etiam ab ipsis Romanis doctissimus & acerrimus hęreticorum nostri temporis impugnator uocatur: & tamẽ diuersas partes tuentur. Fingamus Pighium cum suis sequacibus, Eccium item cum suis à concilio postulare, ut controuersia quam habent, omnium authoritate dirimatur: sententiasq; dicentium discordes esse, & alios Pighianis, alios Eccianis suffragatos: remq; postulare, ut iudices eligantur partim ex Eccianis, partim ex Pighianis. quo utroq; communi nomine afficies, quàm partium? Igitur si Lutheri, Caluini, Zuinglij, Balthasaris, nullas esse partes uis in concilio: pátere tamen Pighianos & Eccianos partis appellatione signari: de hisq; uel similib. nos intellexisse, cum disse reremus de iudicibus ex utraq; parte sumendis. Non minus & illud mihi uitio uertitur, quòd alicubi aduersarijs nomẽ Euangelicorum dederim: quasi ego illis hoc nomen imposuerim. Lutherana secta, inquit Polydorus Vrbinas, breui tẽpore mirabiliter coaluit: quæ Euãgelica dicta est, eo quòd haud ullam asseueret recipiendam esse legem, quę ad animarum salutem pertineat, nisi quam CHRISTVS aut Apostoli dedissent. Igitur nec ego aduersarijs dedi hoc nomen: nec eis adimere, est meum. Propter nostrum affirmare, aut negare, nihil sequitur: nec mea appellatione quicquam alicui addo, nec nominis detractione diminuo. Vtor uerò uocabulis usitatis, ut quisq; intelligat de quod si sermo.

De nomine Euangelicorum.

LIBER.

CAPVT VI.

Quibus argumentis errores tollendi.

DE ijs qui dicturi sint sentẽtias, & de iudicibus hactenus. Iam quibus argumentis ueluti armis in concilio agendum, erroresq; omnes tollendi sint, uideamus. Eadem sunt, sicut est apud Aristotelem, principia compositionis & diuisionis. Maximam religio plagam, & quasi sui diuisionem accepit à tyrannis, ui, ferro & igne sæuientibus: sed longè maiorem ab hæreticis.

Illi

Illi enim corporibus malum dedere, hi animis hominũ. Hoc uerò hæretici effecerunt rationibus, & ſcripturis diuinitùs traditis. His igitur rebus occurrendum eſt erroribus illorum: his modis componenda, reſtauranda & uindicanda eſt religio, à ſui diuiſione. Sunt qui minis & ui agendum putent, Pauli apoſtoli exemplum proferentes, qui pœna corporis coactus, ad Euangelium intrauerit: & patrisfamiliâs Euangelici, qui ad cœnam magnam obuios quoſcũ compelli iuſſerit. Verùm enim cõpulſio hæc minimè ſita eſt in uiolentia corporali. Non enim arma militię Chriſtianę, inquit Paulus, corporalia ſunt: ſed potius aſsiduitas & uehemẽtia in docendo, reprehendendo, obiurgando. Qualem ille idem Paulus præcipit Timotheo ſuo, inquiens: Prædica ſermonem: inſta tempeſtiuè, intempeſtiuè: argue, increpa, hortare, cũ omni lenitate & doctrina. Tanta eſt enim animi humani inconſtantia religione Dei amplectenda, ut niſi uerbo Dei ſedulò ſuſtentetur, facilè ad omnem uentum loco dimoueatur, & tanquam Petrus in aquis fluctuet. Vult igitur Paulus, ut doctores urgere nunquam deſinant: ſed ut increpent, & hortentur: non quidem ulla ui corporis, ſed cum omni animi lenitate & doctrina. Nam aſperitas, ſemota comitate, nocet magis, quàm ædificat. Cohortationes etiam nulla doctrina fultæ, quamuis à pio animo proficiſcantur, cõtemnuntur, aut parui ducuntur. Quis igitur putat ui corporis utendum, hominibus uel adducendis, uel retinendis in religione? Nam de Paulo quod afferunt, erat quidem illi uis cœlitùs adhibita: ſed quæ ſimul animum illius mutauerit, ut ex perſequutore factus eſſet CHRISTI propugnator. Hoc exemplum imitari qui uelit, imitetur totum: ut non corpori tantum, ſed animo etiam uim inferat. Fieri enim non poteſt, ut animus promptus & alacer ſequatur corpus aliquò ui detruſum, niſi primùm uiuidis rationibus & autoritatibus clariſsimis perſuadeatur: ſine quibus fingere quidẽ multa poteſt, ſeriò agere nihil poteſt. Nam etiam in cauſis ciuilibus, qui terrore perculſi ſunt à tyranno, aliter nonnunquam loquuntur, quàm ſentiunt. Tanta enim eſt humani animi libertas, ut uel in medio eculeo cogitet, ſentiatq; quod illi uideatur, non quod uim adhibenti. Simulare quidem ac diſsimulare in præſenti poteſt. at ubi tanquam auicula ex cauea auolauerit, tum ad ingenium redit, libertateq; utitur loquendi quod ſentiat. Iam confeſsio quæ ab inuitis extorquetur, uera non eſt, nec Deo grata: neque bonum opus reputatur, cui reluctetur ſententia uoluntatis. Omnino confeſsio ultrò & ſponte edenda eſt: ac niſi ex animo, ac ſumma alicuius uoluntate fuerit profecta, irriſio Dei eſt, ac illuſio. Ad quam quis cogit homines, quàm qui eos ui, iniuriis, mortis metu percellit? Et tamen qui id facit, magnum ſe obſequiũ putat præſtare Deo. Cui quidem magis ſui ultio eſſet relinquenda, quàm hæ

Act. 9.
Auguſtinus ad Bonifacium, epiſt. 50.
2. Corinth. 10.
1. Tim. 4.

rationes ad religionem aliquem reuocandi usurpandæ. Scio quæ contra hæc à magnis uiris disputentur: quę item edicta principum, quæ sanctissimorum uirorum scripta proferantur. Sed mihi hæc reuocanda potius uidentur ad initia Ecclesiæ nascentis: ac quibus modis religio tum insita est animis hominum, ijsdem etiam nunc recuperanda. Apostoli post unam & alteram admonitionem, iubent hæreticum deuitandum. Episcopi, qui numero trecenti fuisse dicuntur, coacto contra Arium concilio, exilio eum multarunt. at qualem & quantum hæresiarcham? Sed quid opus multis? Magister ille CHRISTVS non instruxit discipulos suos armis corporalibus, non ferro, nõ igne, non scorpionibus: sed doctrina & prodigijs. Videant igitur, ne uel desidiæ ignorantiæq; perfugia quærere, uel bona uita defici putentur, qui alia quærant remedia ad religionem persuadendam. Neque dubium est, neminem magis ad tormenta & ignes prouocare, quàm qui aliter ignauiam suam tue-
Hebr. 4. ri non ualent. Sermo Dei, inquit Apostolus, uiuus & efficax est, penetrabilior omni gladio ancipiti. Arma cœlestis militiæ, ut suprà ex Pauli sententia diximus, non carnalia sunt. Ipse quoq; Deus,
Oseæ 1. ut refert Oseas propheta, promittit se seruaturum suos in suo nomine: non se eos seruaturum in gladio, & arcu, in bello, equis, equitibus. Hæc sunt consideranda: neque committendum, ut animi ab errore non liberati, cum corpora perduntur, multentur etiam ipsi morte sempiterna. Corpora enim tantum, ui, carcere, flagris, igne puniuntur: animus immutari non potest, nisi sermone Dei. non uenit sub tactum, nec sub aspectum religio: tota in animis sita est. Illuc ingerenda est non ui corporali, aut armis: sed scripturis clarissimis, rationibus ualidissimis, uel ex rerum natura, uel ex literis ac oraculis diuinis desumptis. Sed de hoc uiderint boni & eruditi: nos enim diximus nostram sententiam.

CAPVT VII.

Quibus scripturis cum hæreticis agendum.

QVIBVS autem scripturis cum hæreticis pugnandum sit, cõsideremus. Sunt qui de Canonicis scriptis, quæ sacra Biblia uocamus, ita loquuntur, ut uix certi aliquid ex eis elici posse affirment: flexibilibus scilicet eorum opinione in utranq; partem, non secus quàm cereus nasus (hac enim similitudine utuntur) nullo negotio quoquouersum flectatur. Ac ne summo quidem illi religionis nostræ capiti de Trinitate diuina parcunt: quem nisi uel autoritas Ecclesiæ accedat, uel aliquorũ interpretum sententia, ex his ipsis canonicis Biblijs inuestigari posse fortiter negent: loca etiam scripturarũ in hoc adducendo, olim ab Ario usurpata,

pata. Etsi uerò autoritate Ecclesiæ niti, omni in re quæ religionem CHRISTI attingat, honestissimũ est: interpretibus etiam, ut arbitris honorarijs, qui abstrusa & recondita sensa dextrè explicent & exponant, uti perneccssarium: tamen nimia illa uerbi Dei seu in libro scripti, seu ab alicuius uoce prolati, seu mente cogitati extenuatio, haud scio an sit uiris pijs & prudentibus improbanda: qua nimirum & autoritas detrahitur, & maiestas obscuratur diuinorum oraculorum. Tu igitur, cum Arij & nescio quorum hæreticorum calumnias tam inexpugnabiles in mediũ profers, quibus illi Triadem impugnant, putas te stabilire autoritatem Ecclesiæ? Vnde uerò hæc illi autoritas sarta erit, ut aiunt, tecta'q; uerbo Dei nutante, & modò huc, modò illuc instar nasi cerei tui se inclinãte? Verbum Dei est illud, DIC ECCLESIAE: quo præcipitur, Ecclesiæ dicendum esse, ad eam'q; de re omni deferendum: ac qui ei non obtemperet, eum pro ethnico habendum. Hoc uerbo magna datur Ecclesiæ potestas. quod uerbum si ignoraretur, obscura esset Ecclesiæ & natura, & autoritas. At & hoc ipsum uerbum, & alia omnia in mysticis literis comprehensa, ab uno eodem'q; CHRISTI spiritu sunt profecta. Aut igitur omnium par est honestas & authoritas: aut qui in cæteris negligendam putat uerbi autoritatem, & in hoc, quod diximus, aspernetur eandem oportet. atq; ita quam putat se ex uerbi Dei extenuatione constituere Ecclesiæ autoritatem, eandem eadem de causa eleuabit ac obscurabit: lumine scilicet illo obscurato, unde erat illustranda. Iam cum illas inexpugnabiles Arij sententias profers, quibus ille Trinitatem conuellere se putabat, non intelligis, te multorum qui audiunt animis aculeos infigere dubitationis & fluctuationis? Quo modo enim non fluctuabit, aut uortigine gurgitum non submergetur, quod in hoc scripturæ mari, ubi ancoram in summo tempestatis discrimine figat, non habet? præsertim cum pirata ille diabolus, astutia & fraudibus instructus, dormiat nunquam: omnes obseruet occasiones hominis Christiani spoliandi, perdendi, & immergendi. Quin igitur uerbo Dei primam, ut par est, autoritatẽ concedimus? quòd & Ecclesiam fulciat: & sanctis doctoribus locũ, quem merentur, in ea det. Sunt qui huic sententiæ assentiuntur quidẽ, uerbo'q; Dei primas concedunt: sed tamen eo sensu, quo uelit Ecclesia. Verùm hoc modo, aut prior datur autoritas Ecclesiæ, cuius nimirum arbitratu exponendum ac interpretandum sit uerbũ: aut certè æquatur utraq;, quatenus una subseruiat alteri, nec una sine altera subsistat. Atqui Ecclesiam necesse est accommodari ad uerbum, non uerbum ad Ecclesiam. Verbum fundamentũ est, Ecclesia ædificium in illo collocatũ. Ruere igitur Ecclesiã necesse est, uerbo sublato. Quanto igitur simplicius, & ad ueritatẽ appositius loquũtur, qui uerbũ illud quod procedit ab

ore Dei, tanquam ſolem conſtituunt, illuminantem cunctam eccleſiam. Non mutuatur ſol lumen à ſtellis: ſed & eas colluſtrat, & in omnes mundi partes lumẽ ſpargit: quamuis homines uel cæci ſint, uel ſecus iudicent. Illuminat & uerbum Eccleſiam: quæ ipſa tum lucere incipit, cum eſt radijs illius illuſtrata. Luculenter canit Pſalmiſta, Verbum Domini lucernam pedibus eſſe, & lumen greſsibus ſuis. Petrus quoq; ſermonem propheticum, lucernam eſſe apparentem in obſcuro loco clamat. Quòd ſi hæc lucerna non lucet, quomodo Eccleſia apparebit? quomodo luna & cæteræ ſtellæ accipiẽt lumen à ſole tenebroſo? Etſi autem teſtimonia, quæ dixi, rectè à uiris quibuſdam doctis ad uerbum Domini uiuum accommodentur, quod ſpiritus Dei uirtute impreſſum ſit in mentibus noſtris: tamen quia illi ijdem ad uerbum nigris literis ſcriptũ (quam uocant Literam occidentem) ea negant trãsferri poſſe, de eo diſputemus: dicamuſq;, teſtimonia illa & ſimilia etiam de uerbo Dei tum ſcripto, tum uoce prolato accipiẽda eſſe. Omnino animus noſter concipere uerbũ non poteſt, niſi à uerbo audito, lecto ue. quemadmodum teſtatur Paulus, fidẽ ex auditu eſſe. Planè indicat, credere nos nõ poſſe, nec mẽte de rebus diuinis aliquid percipere, niſi primùm aures noſtræ perſonent uocibus rerum credendarum. Ac ne intelligi quidem poteſt, uerbum illud cordibus noſtris inſitũ quale ſit, niſi de externo, ſeu uoce edito, ſeu ſcriptis mandato. Quamobrem diſputationes ferè omnes, temporum omnium, de uoluntate Dei, uerbo externo dirimebantur. CHRISTVS etiam ipſe iubet nos ſcrutari ſcripturas: & in quæſtionibus explicandis, ſciſcitantes remittit ad ſcripturas. Neq; eſt uia tritior, qua ad fidem adducantur homines, quàm uerbi externi tum lectione, tum auditione. quod intelligi licet ex Actis apoſtolicis de Cornelio, de Eunucho, & de multis hominũ milibus, Petro prædicãte ad CHRISTVM cõuerſis. Omnis enim prouincia docẽdi in Eccleſia non aliò pertinet, quàm ut uerbum auditũ per aures immittatur in animos noſtros, ut tandem oculos interni hominis illuminet, intelligentiam rerum cœleſtium in nobis efficiat, ſitq; tanq; lucerna, pedes noſtros ad uitã dirigens. Hæc non ne à uerbo externo proficiſcũtur? Quòd ſi id non lucet, quomodo lucernã animorum noſtrorũ incendet? quomodo illuminabit Eccleſiã? quomodo ueros interpretes illuſtrabit? quomodo luna & ſtellę illuminabũtur à ſole, tenebris & caligine circũfuſo? Neq; hoc dico, quòd ſcripturã multis in locis obſcuriorẽ eſſe negem: cum & Petrus ipſe, Paulinis in epiſtolis quędam intellectu difficilia eſſe affirmet: & tẽpora ferè omnia experta ſint, multas diſſenſiones de multis dogmatibus religionis ex ſcriptis diuinis extitiſſe. Sed cum multifariam multisq; modis Deus uoluntatem ſuam mortalium generi declarauerit, primùm per prophetas, deinde per

Pſal. 118.

2. Pet. 1.

filium

filium ac apostolos suos: eamq; scriptorum monumentis consignatam uoluerit: dico, aut in his ipsis monumẽtis uoluntatem Dei maximè cõspici atq; eluceſcere debere, aut nusquam alibi. Absurdum est, Deum ita agere nobiscum uoluisse, ut uerba eius non intelligerentur. In uerbis igitur ab illo profectis, uoluntas eius quærenda. Si quæ obscuritates aut ænigmata occurrãt, ea uel enodatione uerborum, uel locorum illustrium collatione interpretanda sunt. Hoc enim & CHRISTVS fecit, & uiros doctos semper fecisse uidemus. Qui utcunq; hęserint in sentẽtijs parum perspicuis, eas tamen ipsas alijs clarioribus studebant explicare. Omnes etiam cõtrouersias, scripturarum accommodatione, ad id quod in quæstione uertebatur, in primis dirimebant. Scriptura illis erat doctrina & testimonium Domini, lux illuminans oculos, lucerna rectum iter ostendens ad ueritatem. Dabant illi quidem ueris interpretibus honestum locum: dabant & Ecclesiæ catholicæ honestiorem & ampliorem: ueruntamen demonstrationes certissimas ex his diuinorum eloquiorum testimonijs sumebãt. Hæc erant illis tanquam Lydius lapis: quo & sathanam, uel in angelum lucis transformatum, arguebant: & spiritus omnes probabãt, ex Deo essent, an aliũde. Quamobrem nulli hominum, nulli cœtui tanta certitudo, tantaq; autoritas tribuenda est, atq; sacris literis. At inquies, uerbum autoritatem obtinere non posse, nisi suffragia accedant Ecclesiæ. Quasi uerò, quod in ciuitatibus fit legibus ferendis, ut nulla habeatur rata, nisi cõsensu & uoluntate populi: id in uerbo Dei seruandum sit, ut pondus nullum habeat, nisi mentes & sententiæ Ecclesiæ cum Dei decretis & uoluntate consentiant. Atqui Deus est autor uerbi sui: quod tanti facit, ut cœlum & terra facilius transitura sint, quàm uerba ipsius pessum itura. Ille est qui tuetur uerbum suum, qui autoritatem tribuit, qui illud in dignitatem uindicat, qui per spiritum sanctum obsignat in cordibus hominum. Testimoniũ quidem Ecclesia spiritu Dei afflata dare potest uerbo & doctrinæ: hanc scilicet, quam iam inde ab Apostolis quasi per manus accepisset, & non aliam, à Deo esse proditam. autoritatem uerò illi tribuere nemo potest, præter Deum ipsum: qui est auctor illius, illustrator, defensor, propugnator. At enim Ecclesia habet spiritũ interpretandi uerbi Dei. Quis negat? Illa uerò etiam habet donum curationis. Neq; tamen est qui primas in medendo partes non tribuat naturæ, cuius medicus minister est. Sæpe quidem natura iuuatur à ministro: sed ita, ut

Admoniti sumus ab amico quodam, de eo quod hic de dono curationũ

scripsimus, parum illud aptũ esse, propterea quòd donũ illud principiò nascentis Ecclesiæ, ad doctrinã confirmandam datum erat: hodie cõfirmata doctrina non extat. Itaq; & nobis expungendum illud uidetur. Vis enim illa occulta, qua, manuum impositione, aut alijs signis morbi abigebantur, haud scio an usquam appareat. Cum autem præfecturã Paulus Rom. 12. numeret inter dona, quæ iuxta Dei gratiam hominibus contingant, non inceptũ fortasse fuerit, ut pro dono curationis sufficiatur donum præsidũ: qui potestatẽ quidem habent iuris dicẽdi, uerùm non suo arbitrio, sed ex legum præscriptione. Tametsi qua ratione præfectura in donis numeratur, ne curatio quidem eo numero excludenda uidetur. cum medicina naturalis donũ Dei sit, ab altissimo creata, et à uiro prudẽte nõ abijciẽda, ut ait Sapiẽs Ecclesiast. cap. 38.

ita,ut quod in ea uitium est, emendetur additione naturæ alterius, puta herbarum aut animantium. Ad hunc modum si uerbum Dei obscurius esse uideatur, rectè fungetur Ecclesia officio suo, illo interpretando: sed non suo arbitratu, sed aliorum ipsiusmet Dei uerborum, quæ clariora essent, collatione. Ecclesiam uerò aut certos interpretes propterea præferre, æquare'ue seu autoritate, seu certitudine, uerbo Dei, prorsus indignum uidetur. De Ecclesia iam ostendimus, eius autoritatẽ ex uerbo Dei pendêre totam: sine quo, in eam quam habet dignationem nullo modo potuisset peruenire. Dicamus de interpretibus. Quis nescit Tertulliani, Origenis, Lactantij dogmata nonnulla pro delirijs haberi? Cypriani item, Augustini, Hieronymi (qui inter præcipuos habentur) sententijs quis in totum subscribit? Certè in multis eorum pronũciatis conniuent docti uiri, quædam prorsus improbant. Nam inter cætera, & Cypriani opinio, non baptizare nec absoluere eos qui Spiritum sanctum non habent, damnata est: & Augustini sentẽtia de cœna mystica infantum, reijcitur: & Caina hæresis, Hieronymo improbata, ab Ecclesia recipitur. Dicamus etiam de aliquo uno interprete. An Augustinus adeò uel cõstans est, uel clarus in suis lucubrationibus omnibus, uel denique certus, ut uel refragari ei nefas sit, uel dubitare de eius scriptis indignum, omniaque eius scripta pro oraculis sint habenda? Ne id quidem. Nam inter cæteros collegit Hoffmeisterus ex Augustino & alijs scriptorib. locos permultos, quibus receptas in Ecclesia sententias confirmat: quarum contrarias ex eodem Augustino Coruinus tuetur. Sed fortasse alter horũ non habetur pro uiro catholico. Demus igitur catholicos. Permulti qui post Pelagianos ab Augustino confutatos, de peccato originis scripsere, dicunt naturam humanam propagatione uitiatam esse: idque non tantum ex sacris Bibliijs, sed ex Augustini etiã libris cõfirmant. At Pighius diuersam tuetur sententiam: eandemque Augustini etiam testimonijs certis comprobat. Igitur Augustinus aut contraria sibi & repugnantia dicit: aut si apta inter se, & cohærentia omnia, non satis intelligitur uel à Pighio, uel ab ijs qui uitiositatem nobis ingenitam affirmant, uel ab utrisque. Neque enim nisi ex contrarijs contraria à prudentibus colliguntur: neque ex ijs quæ sibi quadrant, ac undique consentiunt, discrepantia deduci possunt, nisi ab imprudentibus, ac parum doctis. Iam si tam Pighius, quàm qui contrariũ docent, pro uiris doctis & diligẽtibus habentur, ut certè sunt permulti: quid aliud dicemus, quàm Augustinum obscuriorem, uariumque esse in suis scriptis? Et certè indicantur à multis sententiæ cõtrariæ, non tantum uariorum interpretũ inter se, sed & unius alicuius, de certis scripturarum locis: quorum cum uera & germana sententia inuestigãda est, ad fontes ipsos canonicorũ Bibliorum recurritur.

Quod

Quod argumento magno est, hos fontes clariores esse oportere. Non enim probationes & dijudicationes fiunt per obscuriora & incertiora, sed per ea quæ magis aperta sint, magisq; certa. Quid igitur, dicat quis, detrahis de autoritate sanctissimorum uirorum? Ecclesiæ catholicæ columnas conuellis? Ego uerò non ideo summum fuisse uirum Augustinũ, aut quemuis eius ordinis alium inficior, quia eum quædã uel parum diserte scripsisse, uel non satis constanter sensisse existimem. Solet profectò incuria interdum obrepere scribẽtibus multa, & in uaria distractis. Et tamen ut næuo sua gratia est, in facie formosa: ita multa ac præclara alicuius facinora, excusationem illi adferunt iustam errati alicuius. Sit quamlibet magnus Augustinus, homo tamen est: ut ipsum alicubi lapsum esse, mirandum non sit. Quod & ipse reipsa ostendit, Retractationum editis libris. & palàm fatetur, quantum sibi habendum sit fidei, scribens ad Hieronymum his uerbis: Ego enim solis eis scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorem q; deferre, ut nullum eorum autorem scribẽdo aliquid erraſſe, firmissimè credam. Ac si quid in eis offendero literis, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud quàm uel mendosum esse codicem, uel interpretem non assequutum esse quod dictum est, uel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo uerũ putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi uel per illos autores canonicos, uel probabili ratione quod à uero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo. Prorsus inquã non te arbitror sic legi tuos libros uelle, tanquam prophetarũ uel apostolorum. De quorum scriptis, quòd omni errore careãt, dubitare nefarium est. Quid est igitur, cur plus Augustino tribuamus, quàm ipse sibi tribui uelit? Primùm canonicis Bibliis tantũ tribuit, ut ea sola omnis erroris expertia esse cõtendat. Deinde aliis scriptoribus, quantumuis doctrina & uitæ sanctitate claris, tantũ se assentiri dicit, quantum illi uel rationum momentis, uel sacrarum literarum testimoniis suam sententiã probare queant. Clarè etiã testatur in Quæstionibus, non se cuiusquã hominis autoritatẽ sequi, quantalibet sanctitate doctrinaq; prępollẽtis: sed uel autores canonicos, uel rationes probabiles. Quocirca in controuersia quam cum Hieronymo de Petri simulatione habuit, cum autoritatibus clarorũ uirorũ premeretur, nec ipse tot autoritates opponere posset, ad Paulum tandem confugit: quem sibi instar omnium, imò supra omnes esse statuit. Et quisquam inuidiam nobis facit, quia uel Augustino, uel Hieronymo, uel aliis eius notæ scriptoribus aliquando non assentimur? cum illi ipsi se homines esse fateãtur: qui ut falli, ita alios fallere possint. Neq; enim ideo præstantiũ uirorum autoritati de-

« August. ad Hieron. ep 19. & in decretis d. 9. c. ego solis.

trahitur pondus, quòd illi pro hominibus habentur. Omnino quî homo non pro homine habetur, is aut Deus ſit, aut pecus oportet. Quid autem tam procliue homini eſt, quàm decipi & falli? Cõtrà, Deus ſolus eſt qui nec fallat, nec fallatur. Prophetæ quoq́, apoſtoli, & euangeliſtæ, cum non à ſe dicant, aut ſcribant: ſed ſpiritus cœleſtis inſtinctu, fungantur ſuo officio, ab omni errore uacui atq́ integri putandi ſunt. In horum numerũ nullus, quantalibet ſanctitate doctrinaq́, ut Auguſtinus loquitur, præpolleat, uenire poteſt. Nam illorũ uiſiones, ſanctificationes, ab utero uocationes, in Euangelium ſegregationes, nominatim in ſanctis ſcripturis leguntur, autoritateq́ teſtimonij diuini confirmantur: aliorum uocationes tam illuſtria teſtimonia non habent. Sed nonnulli, accuſata ſcripturæ obſcuritate, incertitudinem quoq́ eidem attribuant: unde uidentur cereum naſum cõfinxiſſe. Quaſi uerò idem de ſcriptoribus alijs dici non poſsit. Diximus iam de Auguſtino, ex quo uarij uarias de re eadem excerpunt ſententias. Idem de alijs ſacris doctoribus, de ſynodorum decretis, deq́ pontificum decretalibus, dici poſſe exiſtimo. Et tamẽ Biblijs ſacris cedant hæc omnia neceſſe eſt. Nam ſæpe non tantũ incerta ſunt, ſed & falſa. quod de Auguſtino Pighius diſertè dicit, in Quæſtione de peccato originis: nunquã, ut opinor, idem dicturus de ſanctis ſcripturis. Quemadmodum igitur teſtis, qui ſine ulla dubitatione ſemper uera, licet nonnunquã obſcura loquatur, præfertur teſti qui non tantum obſcurè, ſed falſò etiam narret: ita ueritas ſcripturę perpetua, licet nonnunquã obſcurior, prę-ferenda eſt omnibus alijs qui more humano & fallant & fallantur.

De obſcuritate autem quod obijcitur, omnino pronunciata religionis præcipua (ut quæ fidei articulis & Decalogo cõprehenduntur) in ſcripturis perſpicua ſunt. Si quid in alijs obſcuritatis eſt, clarioribus, ut ſuprà dixi, locis exponendum eſt: quibus deinde teſtimonia addãtur Eccleſiæ, & uirorum doctorum. id quod à uetuſtis doctoribus factitatũ eſſe animaduertimus: qui in explicandis fidei controuerſijs, ad cõſenſum eccleſiarũ ſæpe prouocabant: ſed quem tamen à uerbo Dei alienum eſſe nolebant: uel ſi teſtimonium in ſcripturis expreſſum non haberet, ne tamen contra ipſas ſcripturas pugnaret. Itaq́ non leuis eſt error quorundam noſtri temporis theologorum, qui eccleſiaſticæ traditionis titulo non quidem nos à ſcripturis abducere conantur: ſed priores tamen partes dent traditionibus, ſcripturæ poſteriores. Quaſi uerò aliquid roboris ac firmitatis poſsit eſſe in eo conſenſu, atq́ in ijs traditionibus, quæ non nitantur uerbi Dei autoritate. quas tamen ipſas ab Apoſtolis minimè natas eſſe, uel hoc ipſo argui poteſt, ſi diſcrepent ac diſiunctæ ſint à ſcriptis diuinis: ad quæ omnia examinanda ſunt, quæ in Eccleſia Dei rata debent eſſe, atq́ firma.

Ad ſum-

Ad ſummam, de omnibus quæ in Eccleſia traduntur, hoc ferè præcipitur. Quicquid in diuinis ſcriptis continetur, id firmiter tenendum eſſe. Quæ item ex fontibus illorum ducuntur, etiamſi uerbis expreſſa non ſint, tamen eandem uim habere, tanquam expreſſa eſſent. Nam in omni ſcriptorum genere, non id tantum quod nominatim dictum eſt, ſed quod etiam in mente ac uolũtate poſitum, ratum & firmum habetur. In rebus alijs, quæ neq; expreſſè definitę ſunt, neq; ex ijs quæ ſcripta ſunt, intelligi poſſunt, mores ac inſtituta maiorum ſequi, tutiſsimum eſſe: quemadmodum & Paulus citat conſuetudinem Eccleſiæ Dei. Sed tamen in his uidendum, ne uel genere ipſo, uel uſu pietati ac diſciplinę officiant, aut ne ſint contraria diuinis oraculis. In his enim nullius uetuſtatis autoritatem ualere: conſuetudinemq;, quamuis inueteratam, quæ bonis moribus, aut religioni, aut ſcripturis diuinis aduerſa ſit, pro errore habendam eſſe, certum & indubitatum eſt.

APOLOGIA.

Obiectionum quarundam contra principatum uerbi Dei explicatio.

QVòd de principatu uerbi Dei diſſerẽdo, citauimus uerba Chriſti, DIC ECCLESIAE: in eo à nonnullis reprehendimur, dicentibus prius autoritatem habuiſſe Eccleſiã, quàm uerba illa ſcripta eſſent. Quis negat? Sed ego in libro defendo, autoritatem uerbi Dei præferendã eſſe autoritati Eccleſiæ. Reprehenſores uerò omnia ita accipiũt, quaſi de ſcriptura dixiſſemus: uitioſè quidem. nam quod à nobis uniuerſè propoſitũ eſt, illi ad ſpeciem transferunt. Ante Moſen, inquiunt, ſcripturam nullam fuiſſe, palàm eſt: inter quem & primum hominem annorum duo millia trecenti ſeptuagintatres interceſſerunt. Eſto: interceſſerint, ſi libet, ſexcenta tanta. an propterea putandũ, Eccleſiam ante uerbum extitiſſe? eiusq; naturam & autoritatem aliunde, quàm ex uerbo cognoſcendam eſſe? Nónne eccleſiæ nomine ſignificatur multitudo, cœtus, reſpublica, tabernaculum, cõcio? Porrò non omnem multitudinem eſſe generis eiuſdem, perſpicuum eſt. Eſt cœtus malignorum, quem diuinus Pſal tes odio dicit ſe habere. Sunt tabernacula iuſtorum, quorum deſiderio deficit & tabeſcit animus illius. Qua igitur re alia ſecernenda ſunt hæc tabernacula, hæ multitudines, quàm uerbo Dei? Nam quæ multitudo uerbo Dei nititur, de eo dies noctesq; cogitans, & ad normam illius uitam actionesq; ſuas omnes dirigens, piorum multitudo eſt: quæ non, impiorum eſſe putatur. Cœperit igitur Eccleſia ab Adamo. Fuerint in Eccleſia Abel, Seth, Enoch, & cæteri deinceps patriarchæ & prophetæ. at id eis accidiſſe ſine uerbo, ſtultum eſt cogitare. Verbo enim ad Eccleſiam uocati ſunt: cui crediderunt, per quod renati ſunt, quicunq; unquam in Eccleſia numerati ſunt. Id quod teſtatur Petrus, nos ex immortali ſemine renatos eſſe per ſermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum. Et Paulus ſe patrem uocat Corinthiorum, quos in Chriſto per Euangeliũ genuiſſet. Eiusq; rei cauſa, eccleſia domus Dei dicitur, & columna ueritatis, quòd uerbo Dei tanquam fundamento nitatur. Igitur uerbum & præcedit Eccleſiam, ut fundamentum ſuum ædificium: & illuminat eandem, quemadmodum ſol mundum illuminat. Hæc enim copioſius in libro à nobis tractata ſunt. Et quamuis uerba illa, DIC ECCLESIAE, tot literis & ſyllabis à CHRISTO primùm dicta ſunt: tamen ſimilibus uerbis, quæ antea dicta fue

1

Pſal. 26.
Pſal. 83.
1. Pet. 1.
1. Corint. 4.
1. Tim. 3.

runt,non minor uis tribuenda est. Est autem omnium linguarum tropus uulgaris,pronominibus non tantum res præsentes,& uisui subiectas demonstrari: sed nonnunquam & res similes. Nam,ut inquit ille,

Impersonalis fit demonstratio sæpe,
Salmonstrans dicit,te misit aquis Heliseus.

Sic qui de rosa in mensa iacente dicit, Hæc herba crescit in horto meo: utiq; de rosis similibus intelligit. Ad eundem modum quod de uerbis, DIC ECCLESIAE, à nobis dictum est,de similibus intelligendũ est. Quæcunq; enim autoritas Ecclesiæ est,ea uel his uel similibus uerbis constituta est. Frequenter quidem Deus ipse ultorem se dicit fore inimicorum suorum: minaturq; & calamitates in præsenti,& mortem æternam in futuro,omnibus mandatorum ipsius transgressoribus: cuius rei exemplum tristissimum prodidit,perdendis Cora,Dathane,Abiramo,cum omni eorum turba. Veruntamen Ecclesię autoritatem penes duces populi & sacerdotes Leuitici generis fuisse, cùm alijs
Deut.17. locis,tum uerbis Dei in Deuteronomio descriptis,ostendi potest: quibus iubet Deus, ut omnes decretis iudicum illorũ ex præscripto legis iudicantium pareant,non parentes morte multentur. Et hæc quidem lex sacerdotibus Leuitis & Pontifici,qui præerat loco à Deo delecto, cõgruebat. Sunt aliæ,quæ ad uniuersam ecclesiã pertinebant: ut illa, qua statuitur pœna in eum qui suaDeut.13. „ deat cultum deorum alienorum: Ne ei, inquit, auscultato, ne pareto,ne eum „ celato,sed interficito: ita ut tua manus prima sit in eo necando, cæterorum au„ tem omnium secunda. Etsi igitur pœnæ diuersæ sunt in ueteri & noua ecclesia (cædes enim in illa,in hac excommunicatio denunciatur) tamen quicquid authoritatis unquam penes Ecclesiam fuit,id totum ex uerbo Dei fuisse affirmo,sine quo ne natura quidem Ecclesiæ sciri potest. Quemadmodum ab Au
August.cõ- „ gustino scriptum est contra Petilianum,his uerbis: Inter nos autem & Donatra Petil. „ tistas quæstio est, ubi sit Ecclesia. Quid ergo facturi sumus? in uerbis nostris
cap.2. „ eam quæsituri,an in uerbis capitis sui,Domini nostri IESV CHRISTI? puto „ quòd in illius uerbis potius eam quærere debemus, qui ueritas est, & optimè „ nouit corpus suum. Hæc ille. Etsi autem uerba Dei non semper scriptis mandata erant: primus enim scriptor diuinorum oraculorũ Moses traditur fuisse: sed tamen illa ad Ecclesiæ cognitionẽ perueniebant uel docentium oratione,
2 uel ijs rationibus quibus Deo uisum est. Occurritur nobis amplius,Hiere-
Hierem.31. miam prædixisse, Euangelium in animis ac cordibus hominum scribendum. Fateor: salutaris enim illa uis Euangelij tum primùm se exerit,cum CHRISTI
2.Corint.3. spiritu mentibus hominum imprimitur. Ideo & Paulus ad Hieremiæ uerba alludens,ait, Vt legem in lapideis,ita Euangeliũ in carneis tabulis cordis esse imprimendum. Num propterea legem in tabulis chartaceis scribi nefas erat? Quod si propter uerba Hieremiæ,Euangelium non necesse erat atramento scribi: eandem ob causam ne uoce quidem docendũ fuerat. nam ibidem prędixit idem Hieremias,fore ut non doceant inter se alius alium: sed omnes cognituros Dominum,à minimo usq; ad maximũ. Sin nec scriptio in corde aut tabulis carneis,nec doctrina superne immissa mentibus hominum,impediuit prophetas aut apostolos, quo minus literis nunciarent, quæ diuinitùs accepissent: quorsum ista sophismata, uerbum Dei literis proditum, præ eo quod
3 uoce docetur,uel mente concipitur,extenuantia? Euangelium, inquiunt, uox est traditionis,non scripturæ. Significat enim Euangeliũ,lætum,bonum, optatumq; nuncium. Hui,quod genus est hoc sermonis,Euangelium significat nuncium: est uox traditionis, non est uox scripturę? Quasi uerò non æquè
„ literis atq; uoce multa nunciari & tradi soleant. Quoniam complures,inquit
„ Lucas Euangelista, aggressi sunt contexere narrationem rerum fidei certissi-
„ mæ,sicuti tradiderũt nobis qui ab initio uiderant: uisum est & mihi, ut tibi scri

berem,

berem, optime Theophile: ut quæ auditione accepisti, ea certò cognoscas. «
His uerbis profitetur Lucas, quæ uoce ab alijs tradita accepisset, ea se Theophilo scripto traditurum. Ioannes quoque sic inquit: Quod à principio fuit, « 1. Ioan. 1.
quod audiuimus, quod uidimus, quod manibus cõtrectauimus, id testamur, «
& uobis annũciamus. An nõ hæc annũciatio per scripturã erat? Et Paulus in «
2. epist. ad Thess. cap. 2. Tenete, inquit, traditiones, quas didicistis, siue per ser- «
monem, siue per epistolã nostram. Non ne igitur epistola perinde tradi pos- «
sit aliquid, atq; sermone? Quamobrẽ apud probatos scriptores literæ & epistolæ narrant, loquũtur, nunciant. Traduntur item literis & epistolis, quę memoria digna sunt. Historia etiã nuncia uetustatis dicitur. Tam igitur qui characteribus consuetis exarat aliquid, quàm qui sermone utitur auditoribus noto, & nunciat & tradit aliquid. Neq; est inter uocem & scripturam hac in parte discrimen ullum. nisi fortè scripturam, uocis uicariam esse uelis: uocem uerò, notam earum rerum quæ sint in animo, ut est proditum ab Aristotele. Cæterùm officium utriusq; idem est: nempe cognitionem menti suppeditare. Et uox quidem ferit aures, scriptura oculis subijcitur: utraq; uerò menti tradit ac nunciat aliquid. Parum igitur probabiliter differunt, qui ex eo quòd aliquid nuncium aut traditionẽ significet, à scriptura illud uelint excluſum. Omnino & Ioannes nunc nunciat nobis per epistolam, quæ uidit & audiuit: & Paulus tradit multa scriptis suis, quæ nobis sunt necessaria. Quid igitur in re non 4
necessaria opus est enumerare annos, quibus post CHRISTI ascensum Euangelia conscripta sunt? Scimus CHRISTVM ipsum nihil scripsisse: sed quemadmodum actiones & res humanas, quarum cognitio posteritati fructum sit allatura, eas literis consignare cõsueuimus: ita Apostoli doctrinam magistri sui, in qua uita & salus æterna contineretur, posteritati scriptis tradiderunt. Quemadmodum Ioannes inquit: Hæc scripta sunt, ut credatis IESVM esse « Ioan. 20.
Christum, filium Dei: utq; credẽtes, uitam per eius nomen habeatis. Solent «
etiam multa scribi non tantum posteritatis causa, sed & eorum qui locis à nobis disiuncti sunt: quemadmodum ipsemet CHRISTVS, dextræ patris iam assidens, ad Ioannem inquit: Quod uides, scribe in libro, & mitte septem ec- « Apoc. 1.
clesijs quæ sunt in Asia. Et Deus olim ad uates ueteris Ecclesiæ sic frequen- «
ter: Describe tibi in libro omnia uerba, quæ ego tibi eloquor. Et: Sume libri « Hierem. 30.
uolumen, & in eo scribe quæcunq; tibi effatus sum. Imò uerò non tantum po- « & 36.
steritatis, & eorũ qui interuallis locorũ à nobis remoti sunt: sed nostra quoq; ipsorum causa, memoranda quæq; literarum monumentis mandamus. Labilis est enim memoria humana: multaq; obscurari solent obliuione, quæ luce literarum non illustrãtur. Ratio quoq; ipsa humanis mentibus indita, curaq; posteritatis, admonere potuit Apostolos, uel si nullo Dei præcepto peculiari admoniti fuissent, ut doctrinam salutarem orbi proderent, ad memoriam hominum sempiternam. Etsi autem non minus credendum est Spiritui san- 5
cto per os Ecclesiæ loquenti, quàm eidẽ loquenti in scripturis per literas amanuensium suorum, prophetarum & apostolorum: tamen disputatio illa, scripturis ne an Ecclesiæ testimonio magis sit credendũ, non est inutilis hoc tempore, cum de scripturis Canonicis dubitat nemo: de ore Ecclesiæ dubitãt multi: ostendereq; ex scripturis conantur, multa titulo Ecclesiæ iactari, quæ ueræ Ecclesiæ non sint, sed adulterinæ. Quot conuersiones factæ sunt in Repub. Christiana, post tempora Apostolorum? quot uastationes ecclesiarum? Repetamus memoria mores & disciplinam ecclesiarum primarum: conferamus cum illis ecclesias nostri temporis, in quibus omnia plena sunt fastus & ambitionis. Qui primis honoribus funguntur, ij ferè nullam habent curam doctrinæ. & audeamus tandem os Ecclesiæ nostræ æquare cum ore primarũ ecclesiarum. Ais tu, omnes qui apostolicam ecclesiam se credere profitentur, non

modò quæ ſcripta ſunt, uerùm etiam quæ uoce per Apoſtolos tradita, credere oportere. Aío & ego: modò conſtet, traditiones illas uerè ab Apoſtolis proditas, nec apoſtolicis ſcriptis contrarias eſſe. Id uerò non ſemper conſtare, & ueteris Eccleſiæ & nouæ monimenta, resq; geſtæ teſtantur. Notæ ſunt quere
Hierem.26. „ læ Dei de prophetis. Dicunt enim, inquit Deus, Hæc dicit Dominus: & ego
& 23. „ non ſum loquutus ad eos. Et, Non mittebã prophetas, & ipſi currebant: non
„ loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Hæc & multa ſimilia in ueteri Eccleſia. Noſtris etiam temporibus ſæpe audimus citari traditiones apoſtolicas, ut larua tantum inducatur humanis inuentis. non rarò etiam, ut prætextus inueniatur auertendi homines à ſcripturis. Hac in controuerſia, inutilis non eſt quæſtio illa, utri magis credendum, ſcripturæ an Eccleſię. quemadmodum & rhetores præcipiunt, ſæpe ſcriptum cum dicto facto'ue aduerſarij contendere
Chryſoſt. in „ oportere. Quare, inquit Chryſoſtomus, hoc tempore omnes Chriſtiani con-
Matth. cap. „ ferre ſe ad ſcripturas debent. Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæreſis ec
24. hom. 49. „ cleſias, nulla probatio poteſt eſſe Chriſtianitatis ueræ: neque refugium poteſt
„ eſſe Chriſtianorũ aliud, uolentium cognoſcere fidei ueritatem, niſi ſcripturæ
„ diuinæ. Antea enim multis modis oſtẽdebatur, quæ eſſet Eccleſia CHRISTI,
„ & quæ gentilitas: nunc nullo modo cognoſcitur, uolentibus cognoſcere quę
„ ſit uera Eccleſia CHRISTI, niſi tantummodo per ſcripturas. Hæc Chryſoſto-
6 mus. At dices, hęreticos idem dicere quod nos, qui præferant uerbum Dei Eccleſiæ autoritati: & quoties de rebus religionis diſceptatur, ad ſcripturas prouocẽt. An uerò ideo nobis ſcripturæ ereptæ ſunt? an illis diffidimus? Ais tu, iudice opus eſſe, qui ſenſa explicet, & cuius interpretationi ſtandũ ſit? Hũc ego tibi iam ſuprà indicaui, cum ſcriberẽ de iudicibus ex utraq; parte ſumen-
7 dis. Sunt qui in ſcripturam uehementius inſultent: quippe chartis inhærentem, calamo impreſſam, atramento conſtantem. uerbum uoce expromptum extollant, quod à parẽtibus accepiſſent, à uiuis magiſtris didiciſſent. Verùm ego haud uideo, quin quod de atramento contumeliæ cauſa dicatur, idem de uoce dici poſsit: utpote quæ ab ore hominis effletur, in aerẽ imprimatur, rem maximè agitabilem. Itaq; uox ad aures audientiũ non ſemper eodem modo perfertur: fitq; non rarò, ut inter multos auditores, nõ ita multos reperias, qui rem à ſe auditam eodem modo accepiſſent. Nos uerò miſsis contumelijs, ſanctam ſcripturam cœleſte munus eſſe putemus, eamq; uti decet honoremus,
„ Chriſtũ ipſum ſequuti, qui ſic nominatim de ea loquitur: Scrutamini ſcriptu-
„ ras, illæ loquuntur de me. Sic Ioannes: Hæc ſcripta ſunt, ut credatis. Sic Pau
„ lus: Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata, utilis eſt ad docendum, arguendum,
„ ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Sic Origenes:
Orig. in Hie- Neceſſe eſt nobis ſcripturas ſanctas in teſtimonium uocare. ſenſus quippe no
rem. hom. 1. ſtri, & narrationes, ſine his teſtibus non habent fidẽ. Sic Hieronymus: Quod
Hieron. in de ſcripturis autoritatem non habet, eadem facilitate cõtemnitur, qua dicitur.
Matth. 23. Sic Auguſtinus: In ſcripturis didicimus Chriſtum, in ſcripturis didicimus Ec
Aug. ep. 166. cleſiam: has ſcripturas communiter habemus. quare non in eis & Chriſtum
8 & Eccleſiam communiter retinemus? Sed tu pergis, plus Eccleſiæ credendum eſſe, propter uerba eiuſdem Auguſtini, qui non dubitanter dicat: Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ autoritas commoueret. Dicit: ſed idem addit, quod tu omittis: Eccleſiæ catholicæ. quæ non eſt unius temporis, aut loci: ſed à prima illa Eccleſia exordiũ ducens, durat ad hæc tempora. Hæc enim cum per manus ab Apoſtolis acceperit, quæ ſcripturæ canonicæ eſſent, teſtimonium de illis indubitatũ dare poteſt. Hæcq; eſt autoritas eius, quam à uerbo Dei, cui credidit, & quod ſecum affert, habet: ſine quo nulla autoritas eius eſſet. Quemadmodũ autoritas legati nulla eſt, qui legationis ſuæ nullas afferat literas, à principe à quo legatus eſt. Loquitur autẽ Auguſtinus eo in loco

contra

contra Manichęum,nouam doctrinam,quæ in ſacris Bibliſs non extaret,affe
rentem.Sic enim ibidē: Quibus ergo obtemperaui dicentibus,Credite Euan "
gelio: cur eis non obtemperem dicentibus,Nolite credere Manichæo? Elige "
quod uis. Si dixeris, Crede catholicis: ipſi me admonent,ut nullam fidem ac- "
commodē uobis. Quapropter non poſſum illis credere,niſi tibi non credam. "
Contra Manichæos igitur, & omnes eiuſmodi ſomniatores ualet Auguſtini
ſententia. In quæſtione enim An eſt,ueritas ab Eccleſia catholica petenda eſt.
Qua quæſtione cōſtituta,ubi uentum eſt ad quæſtionem Quale ſit, & utrum
alteri præferendum, cedat iam uerbo Dei Eccleſia oportet. Quemadmodum
legato prius credimus,afferēti à ſuo principe mandata ad nos. Sed ubi cogni
ta eſt ex legato mens & uoluntas principis ſui, pluris mādata illa erunt nobis,
quàm legati ipſius uerba. Nec iam in poteſtate legati erit (ſiquidem rectè fun
getur officio) mutare quæ ſemel ex uoluntate principis ſui expoſuiſſet: multo
minus contrarium aliquid,iſs quæ prius dixiſſet,affirmare. Breuiter hoc ſic
dici poteſt: Euangelium ab Eccleſia habet autoritatem, tanquam à teſte, non
tanquam à cenſore. Igitur cognitis germanis ſcriptis ab Eccleſia,iam Eccleſię
omnia dogmata ad uerba illis ſcriptis comprehenſa, accommodanda erunt:
ipſaq; Eccleſia in illis iſdem uerbis & quærenda, & oſtendenda. Quod Au-
guſtinus in libro de Vnitate eccleſiæ, contra Petiliani Donatiſtæ epiſtolam, Cap.16.
teſtatur inquiens: Vtrum Donatiſtæ Eccleſiam teneant, non niſi diuinarum " Omiſſa uer
ſcripturarum canonicis libris oſtendant. Quia nec nos propterea dicimus no " ba quædam,
bis credere oportere, quòd in Eccleſia CHRISTI ſumus,quia ipſam quam te- " ſine quibus
nemus, innumerabiles noſtri epiſcopi & cōcilia collegarum noſtrarum com- " ſententia Au
mendarunt: aut quia in illa mirabilia exauditionum ac ſanitatum fiunt. Ipſe " guſtini re-
CHRISTVS cum reſurrexiſſet à mortuis,ac corpus ſuum uidendū & tangen- " tinetur.
dum diſcipulis offerret,ne quid fallacis ſe pati arbitrarētur,magis eos teſtimo "
niis legis & prophetarum & pſalmorum confirmandos eſſe iudicauit. Sic Ec "
cleſiam ſuam commēdauit, dicens, Prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & "
remiſsionem peccatorum. Hoc in lege & prophetis & pſalmis ſcriptum, hoc "
ore eius commendatū tenemus. Hæc ſunt cauſæ noſtræ documenta,hæc fun- "
damenta,hæc firmamenta. Legitur in Actis apoſtolicis de quibuſdā,eos ſcri- "
pturas ſcrutatos eſſe,an hæc ita ſe haberent. Quas uticq; ſcripturas,niſi canoni- "
cas legis & prophetarum? Huc acceſſerunt Euangelia,apoſtolicæ Epiſtolæ, "
Actus apoſtolorum, Apocalypſis Ioannis. Scrutamini hæc omnia, & eruite "
aliquid manifeſtum, quo demonſtretis Eccleſiam. Hæc in ſumma Auguſti- "
nus. Qui etſi contra Creſconium Grammaticum,reiiciens Cypriani ſenten Lib.2. cap.32.
tiam de baptizandis hæreticis & ſchiſmaticis, hanc cauſam primùm afferat,
Quia hoc Eccleſia non accipit: tamen mox quærit ab aduerſario de argumen
tis Cypriani,uolens ea refellere. Sic enim inquit ad aduerſariū: Relinque ſcri "
pta Cypriani: & ea ipſa legalia documenta,quibus eum dicis uſum eſſe,com- "
memora. Si ea non demōſtrauero ueſtrā cauſam nihil adiuuare, uicisti. Non "
igitur in contentione ſatis putabat Auguſtinus,uti autoritate Eccleſiæ contra
aduerſarios,niſi argumenta eorum refelleret. Quemadmodum ipſe cum Ma- Auguſtin. con
ximino Arianorum epiſcopo diſputans,non uult autoritatibus conciliorum tra Maximinū
rem agi,ſed ſcripturarum autoritatibus: non quorumq; propriis, ſed utriſque lib.3.cap.14.
communibus: ut res cum re,cauſa cum cauſa,ratio cum ratione concertet. In
lib.item de Vnitate Ecc.cont.Petil.ep. Eccleſiam,inquit,ſicut & ipſius caput " Cap.16.
CHRISTVM,in ſcripturis canonicis agnoſcere debemus: & non in uariis ho- "
minum opinionibus, rumoribus, factis, dictis aut uiſis inquirere. Præclarè "
igitur Conſtantinus ad epiſcopos in Nicæna ſynodo,referente Theodoreto, Lib.1.cap.7.
dixiſſe fertur his uerbis: Extant euangelici & apoſtolici libri,& prophetarum "
oracula, quæ inſtruunt nos ſenſu numinis, Poſita igitur hoſtili diſcordia, ex "

ſcripturis

» ſcripturis diuinitùs inſpiratis quæſtionũ quæramus explicationes. His uerbis Conſtantinus uel omnibus præfert, uel ſolam ponit ſcripturam, ex qua ueritas inueſtigetur. Nec legitur, an quis patrum Conſtantini ſententiæ contradixerit. I nunc cõuiciator, qui Martinos uocas eos qui tanti faciant ſcripturas canonicas: Conſtantinumq́, imò etiam ipſum Auguſtinum, Martinum facias. Quid enim clarius ſententia Auguſtini, qui Eccleſiã non epiſcoporum autoritate, non conciliorum commendatione, non miraculorum efficacia, ſed tantum diuinarum ſcripturarum canonicis libris comprobari uult: non quòd uel epiſcopi, uel concilia, uel miracula cõtemnenda ſint: ſed quòd hæc in contentionibus minoris faciẽda ſunt ſcripturis. Illud uerò an nõ clariſsimè, cum non concilijs, ſed ſcripturis cõmunibus uult tractari, ut res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet? Et quoniam non tam noſtra oratione, cuius exilitatem & ieiunitatem uidemus, quàm clariſsimorũ & optimorum uirorum autoritate & ſententia ponderanda putamus quæ diximus, afferamus ad extremum teſtimonium Hieronymi Stridonienſis: qui interpretando uer
Pſal. 86. cuius initiũ, Fundamẽta eius. ba Dauidis illa, (Dominus narrabit in ſcriptura populorũ, & principum ho» rum qui fuerunt in ea) ſic ad uerbũ inquit: Non dixit, Qui ſunt in ea: ſed, Qui » fuerunt in ea. Dominus narrabit: & quomodo narrabit? non uerbo, ſed ſcri» ptura. In cuius ſcriptura? in populorum? Non ſufficit, In populorũ: ſed etiam » Principum dicit. Et quorum principũ? qui ſunt in ea? non dixit hoc: ſed, Qui » fuerunt in ea. Videte ergo, quomodo ſcriptura ſancta ſacramentis plena eſt. » Legimus apoſtolum Paulum, legimus Petrum: & legimus illum dicentẽ, An » experimentum eius quæritis qui in me loquitur CHRISTVS? Et quod Pau» lus loquitur, CHRISTVS loquitur. Qui enim uos recipit, me recipit. Domi» nus ergo noſter atq́ ſaluator narrat nobis, & loquitur in ſcripturis principum » ſuorum. Dominus narrabit in ſcripturis populorũ, in ſcripturis ſanctis. Quæ » ſcriptura populis omnibus legitur: hoc eſt, ut omnes intelligant quod dicit. » Hoc eſt, ſicut ſcripſerunt Apoſtoli, ſic & ipſe Dominus. Hoc eſt, per Euange» lia ſua loquutus eſt: non ut pauci intelligerent, ſed ut omnes. Plato ſcripſit in » ſcriptura: ſed non ſcripſit populis, ſed paucis. uix enim intelligunt tres homi» nes. Iſti uerò, hoc eſt principes Eccleſiæ, & principes CHRISTI, non ſcripſe» runt paucis, ſed uniuerſo populo. Et principum, hoc eſt apoſtolorum & euan» geliſtarum, horum qui fuerunt in ea. Videte quid dicat, Qui fuerũt: non, Qui » ſunt: ut exceptis apoſtolis, quodcunq́ aliud poſtea dicetur, abſcindatur, non » habeat poſtea autoritatem. Quamuis ergo ſanctus ſit aliquis poſt apoſtolos, » quamuis diſertus ſit, non habet autoritatem: Quoniam Dominus narrabit in » ſcriptura populorum, & principum qui fuerunt in ea. Hactenus uerba Hiero nymi. Quibus, an non quaſi Herculeis armis omnia capita hydræ, cum quibus pugnamus, abſciſſa ſunt? Dominus, inquit, narrabit, non uerbo, ſed ſcriptura. Præfert igitur ſcripturam, tanquam durabiliorem, uerbo: quod ab ore prolatum, durare non poſſet, niſi monimentis literarum conſeruaretur. Inculcat, Dominum narrare in ſcriptura. Quo indicat, Domini uoluntate factum eſſe, ut ſcriptis mandaretur doctrina cœleſtis: parumq́ conſultũ fuiſſe ad memoriam poſteritatis, uerbo eam tradi, niſi literis traderetur. Prẽfert ſcripturam principum qui fuerunt in Eccleſia, ſcripturæ eorum qui ſunt in eadem. Illos autem principes, apoſtolos & euangeliſtas fuiſſe interpretatur. Quos ita præfert, ut exceptis illis, quicquid aliud poſtea à quouis diceretur, quamuis ſancto, quamuis diſerto, abſcinderetur, nec haberet authoritatem. Hæc ille dicit. Nos mollius, qui etſi ſacra Biblia ſcriptis aliorum præferenda dicimus, tamen autoritati probatorum ſcriptorum tantum, quantum par eſt, tribuendum putamus: nec catholicæ Eccleſiæ ſenſum reijcimus, quemadmodum nos nonnulli ſubaccuſare uidentur, uerùm cõtrarium comperient, qui noſtra legerint.

LIBER.

CAPVT VIII.

De rationibus diuersis controuersiarum.

DIXI de rationibus controuersias explicandi, nunc de ipsis controuersijs ac uarietatibus earum dicendum est: non quòd omnes explicare me posse confidam (nam res est laboris maximi, doctrinę ingentis, diligentiæ summæ: quæ in me non reperio) sed ut ostendã earum diuersitatẽ: aut etiam, si queam, nonnullas dissoluam: hominesq; doctos ad similem tractationem excitem, ut illi uel suppleant quæ à nobis omissa sunt: uel quæ parum intellecta, accuratius edisserant. Multæ inter partes contentiones sunt, de rebus diuersis: sed nihilo pauciores in uerborum controuersia positæ sunt. Sunt qui scripserunt, per baptismum reformari hominem ad imaginem Dei, saltem inchoatam. Hoc alij factentur quidem bene scriptum: sed tamen ideo uituperant, quòd patres non ijsdem uerbis loquuntur: sed puerum baptizatum habere in suo genere iustitiã perfectam pro statu uiatoris. Ita isti non rem ipsam improbant, sed genus orationis: cum tamen id à Paulo ferè ijsdem uerbis usurpetur, Coloss. 3. cum uult nos indui nouo homine, qui renouetur ad agnitionem & imaginem Dei. Sed reprehensoribus illis nihil placet, nisi ex scholasticis doctoribus desumptum.

De formula loquẽdi, nos renouari ad imaginem Dei.

Eccius contra librum Imperatoris.

Est qui in disputatione de fide iustificãte ægrè ferat uerbum Apprehensionis usurpari: idq; à Lutheranis inuectum esse in religionem, non secus quàm à Stoicis comprehensio in philosophiam est inuecta. Quasi uerò in hac tractatione non idẽ significet apprehendere, quod accipere. Quo uerbo utitur Paulus cùm aliàs, tum in epistola ad Galatas, cap. 3. inquiens: Hoc solum à uobis cupio discere, utrum ex operibus legis spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei. Et post paucos uersus: Vt accipiamus promissionem spiritus per fidem. Quam sententiam paulo pòst uerbo dandi (quod uerbo accipiendi mutua relatione respondet) exprimit his uerbis: Vt promissio ex fide IESV CHRISTI daretur credentibus. Eodem uerbo utitur Petrus Act. 10. simulq; promissionẽ illam de qua loquutus est Paulus, exponit, sic loquens de CHRISTO: Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Ita & ipsemet CHRISTVS loquitur, eandemq; promissionem explicatius interpretatur, cum Act. 26. inquit ad Paulum, se illum mittere ad gentes, ut oculos illorum aperiat, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos, per fidem quæ esset in se.

De apprehensione promissionis per fidẽ. Stephanus Vuinton. contra Bucerum.

CAPUT IX.

De partibus pœnitentiæ.

Primùm de contritione.

De cõfessione.

E pœnitentia pauca dicamus. Et de cõtritione quidem, quam primam partem illius faciunt, nulla inter partes est dissensio. Cõfessionem etiam priuatam, quam auricularem uocant, utilem esse omnes confirmant: sed de necessitate est ingens cõtentio. tametsi non uideo, cur hic superstitiosè ipsa necessitas urgeatur. Nemo, opinor, dicit, ulli sacramento ita salutem alligatam esse, ut sine eo nullo modo possit contingere. Nam & baptismus, & cœna Domini, necessaria sunt homini Christiano: quæ tamen si omittãtur, iusta de causa, non protinus hominem in mortem conijciũt. Itaq; infantes ab Herode occisi, sine baptismo aut circunciſione uitam æternam consequuti creduntur. Et si quis in ijs locis uersetur, ubi facultatẽ nullam habeat sacramentis utendi, non mox tamen in perditis & desperatis est habẽdus. Non enim tantum his usitatis, & tanquam ordinarijs rationibus, Deus agit cum hominibus, misericordiã suam illis impertiendo: sed & alijs infinitis. Omissa igitur exacta illa necessitatis ratione, & salute nostra soli misericordiæ Dei transcripta, causa non est, quamobrem ad cõfessionem urgendus non sit populus Christianus: qua rudes ad religionẽ instituantur, conscientiæ hominum explorentur, disciplina in Ecclesia retineatur. sine ea autem, absolutio priuata haud sciam quomodo retineri possit. Sed tamen cõscientiæ onerandæ non sunt anxia peccatorum & circũstantiarum non necessariarum enumeratione.

De absolutione.

Tho. p. 3. q. 90. ar. 2.

Confessioni additur absolutio: eaq; est tanquã forma, si Thomæ Aquinati credimus, qui partes alias pœnitentiæ, materiæ instar habere dicit. Et certè cum absolutio non sit aliud, quàm annunciatio remissionis peccatorum, irritum uideretur peccata cõfiteri, nisi beneficium illud accederet. ut non immeritò à quibusdã inter partes pœnitentiæ absolutio numeretur: quam ipsam fide accipi, summo theologorum omnium consensu docemur: ipseq; CHRISTVS docet, cum inquit: Fili, confide, remittuntur tibi peccata tua. Satisfactionem, inquit Pighius, quam pœnitentiæ adnumerant, non eius partem, sed sequelã quandam intelligimus: hoc est, fructus dignos pœnitentiæ. Hoc si ita est, quid opus est de satisfactione rixari? Certè uerborum hæc controuersia esse uidetur. Omnes enim, fructus pœnitẽtię requirũt: sed alij negant satisfactionis nomine insignien-dos, alij aiunt. Quid autem de uocabulis attinet litigare, cum de re conuenit? Nam qui satisfactionem operibus detrahunt, ad propitiationem & reconciliationẽ CHRISTI respiciunt: quem pro peccatis totius mundi abundè dependisse, nemo unquam negauit: culpasq; nostras & pœnam æternam illius morte abolitas esse, omnes fatentur,

De fide.

De satisfactione. Pighius.

Controuersia de pœnitẽtia.

fatentur,ac diuina ſcripta confirmant. 1.Corint.15. Aculeus mortis « peccatum eſt: peccati potentia lex: Deo autem gratia,qui dedit no- « bis uictoriã per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM. Oſeæ « 13.Ero mors tua,ô mors: ero morſus tuus inferne. Rurſum qui ſa- « tisfactionem aſtruunt, eam referunt ad gratiarũ actionem, caſtiga- tionem, emendationem, & mortificationẽ noſtri, aliaq; opera quæ ab hominibus reconciliatis peragenda ſunt: & quibus pœnæ tem- porales noſtris ſceleribus debitę aut tollantur,aut mitigẽtur. Quẽ- admodum Paulus inquit: Si noſipſos iudicaremus, non utiq; iudi- « 1.Cor.11. caremur. Dum enim iudicamur, à Domino corripimur, ne cũ hoc « mundo damnemur. Nota etiam ſunt illa,quæ de precatione,ieiu- « nio,eleemoſyna (ad quæ tria referri uolunt ſatisfactionũ opera om nia) CHRISTVS concionatur apud Matthæum, cum iubet ea fieri *Matth.6.* in abſcondito,ut pater cœleſtis reddat facientibus.Multa ſunt loca eiuſmodi in ſcripturis. ut Eccleſiaſtici 21. Fili peccaſti? ne adiȝcias « iterum:ſed de priſtinis deprecare,ut tibi dimittãtur.Lucę 11.Quod « ſupereſt,date eleemoſynã,& ecce omnia munda ſunt uobis.Tobiæ « 4.& 12.Eleemoſyna à morte liberat,purgat peccata,miſericordiam « inuenit,& uitam æternam. Danielis 4.Peccata tua eleemoſynis re- « dime. Ac ne quis tantas autoritates eleuet, ſciat iȝſdem ferè uerbis « uſurpatas eſſe à ueteribus.Cyprianus,uir pietate,doctrina, & mar- *Cyprianus* tyriȝ gloria inſignis,cùm alibi,tum in ſermone de Lapſis, non tanq; *ſerm.5.de* alienas citat,ſed uerbis ſuis ita innectit,quaſi ſuę eſſent,non aliunde *Lapſis.* deſumptę. ut cum dicit,luſtis operibus incumbendum eſſe,quibus peccata purgentur: eleemoſynis inſiſtendũ, quibus animæ à morte liberentur,crimen & culpa redimatur: & multa alia in hanc ſenten- tiam. Illud uerò an non clariſsimè? Dominus orandus eſt,Domi- « nus noſtra ſatisfactione placandus. & item: Ad Dominũ toto cor- « de redeamus: iram & offenſam eius, ieiunȝs, fletibus, planctibus, « ſicut admonuit ipſe, placemus. Ambroſius quoq; Nullum eſt,in- « Ambroſius quit,tam graue delictum, quod non purgetur abſtinentia, eleemo- « *ſerm.de Na* ſynis extinguatur. Ait enim ſanctus propheta:Sicut aqua extinguit « *tali Do-* ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatũ. Auguſtinus etiam, quo- « *mini 15.* ties hortatur nos, ut curã geramus pro peccatis noſtris,ut faciamus *Auguſtinus in* omnia quæ facienda ſunt,ad abluenda & ſananda peccata noſtra? *Pſal.37.* Homelia 50. de utilitate ac neceſsitate pœnitentiæ: Non enim,in- « quit,mores in melius commutare ſufficit, & à factis malis recedere: « niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolo- « rem,per humilitatis gemitum,per contriti cordis ſacrificiũ, coope- « rantibus eleemoſynis. Quid multa? uix eſt aliquis ueterũ patrum, « qui non eiuſmodi ſentẽtiȝs utatur, hominibus ad pœnitentiam co- hortandis. Quos quidem ueteres, imitãtur hodie multi ſcriptores. *Alfonſus Vir-* Ac de nomine ſatisfactionis diſputando, nolunt illud à ſe ſuperſti- *ueſius Philip-*

tioſè exigi, ſatis ſe functos officio arbitrantur, ſi remiſsionem peccatorum ſatisfactione, redemptione, ablutione, placatione, ſolutione, ac cęteris eiuſmodi uocibus ac locutionibus, per noſtra opera oſtẽderint nobis contingere. Horum omnium quos citaui, & quos citare poſſem, nemo opinor eſt qui neget, mortem & ſanguinẽ CHRISTI, plenam & ſufficientem eſſe ſatisfactionẽ pro peccatis omnium hominum. Et tamen illi ipſi ad ſatisfaciendum nos urgere non ceſſant. Scilicet diuina oracula imitantes, quæ pronunciant quidem,

1. Pet. 2. CHRISTVM peccata noſtra portaſſe in corpore ſuo ſuper lignum:
Hebr. 2. ipſum & pro omnibus guſtaſſe mortem, & propitiationẽ eſſe pro
1. Ioan. 2. peccatis totius mũdi: eius nos liuore ſanatos, eius ſanguine ab omni
Eſaiæ 53. peccato emundatos. Sed tamen eadem illa oracula hortantur nos,
1. Ioan. 1. ut quicunque uelimus uenire ad CHRISTVM, tollamus cruces no-
Matth. 16. ſtras, & ſequamur ipſum: ut cõformes ſimus imaginis filij Dei, qui
Rom. 8. & 6. primus ſit inter fratres: ut ueterem noſtrum hominem cum CHRI-
Rom. 8. STO crucifigamus: ut propter CHRISTVM moriamur quotidie, non ſecus quàm oues mactationi deſtinatæ. Qui itaq; mirantur ſatisfactiones exigi à nobis, pro quibus CHRISTVS ſatisfecerit: mirentur quoq;, per crucem & mortem noſtram, uiam nobis ſterni ad
2. Tim. 2. uitam, pro quibus CHRISTVS cruci affixus fuerit: ſuaq; morte, noſtram mortẽ aboleuerit. Non igitur ſatisfactiones noſtræ, hoc eſt, ut Pighius inquit, opera pœnitentiæ digna gloriã CHRISTI obſcurant: cum nihil aliud ſint quàm ſupplicationes, quibus diuinæ iuſtitiæ quadantenus ſatisfaciendo, eius ſententiam immutamus.
Alf. Philip. 11. his enim uerbis utitur Alfonſus Viruesius. Sed quid eſt, inquiet aliquis, quod dicit Quadantenus? Nempe hac particula, ut ego interpretor, ſignificat, non eſſe eiuſmodi ſatisfactionem noſtram, qua iræ Dei ſatisfiat (hanc enim unicam eſſe IESV CHRISTI, iam diximus) ſed qua peccatorum nos pœnitere ſentiamus, culpam deprecemur, ac uitam nouam inſtituamus. Sic enim & in cõmuni uita, uulgariq; hominum conſuetudine hominibus offenſis, ab ijs qui offenderunt ſatisfit, aliàs re ac mutuis officijs, par pari referendo: aliàs culpam agnoſcendo, dolendo, & admiſsi gratiam petendo.

Quid autem illud quod addit, Eius ſententiã immutamus? Hoc ex uerbis eius interpretandum eſt. Nam ex ſententia catholicorum ait, inter culpam & pœnam diſtinguendum eſſe: atq; culpa dimiſſa, plecti temporaliter eos quibus dimiſſa eſt. flagellare enim Deum omnem filium, quem recipiat. Quis igitur (addit idem) credat, non poſſe filios apud patrem huiuſmodi uerbera precibus, lacrymis, ieiunijs, & eleemoſynis ultro ſuſceptis deprecari? & quæ ſequuntur. His uerbis non ne planè indicat, operibus ſatisfactionũ pœnas tantum temporarias dimitti? Quod ſic autores libelli INTERIM clarius prodiderũt: Etſi illa ſatisfactio, quæ culpam & æternã pœnam

In libro Interim, cap. de pœnitentia.

expiat,

expiat,ſoli CHRISTO tribuenda eſt: ſatisfactio tamen,quæ in pœnitentiæ fructibus conſiſtit, maximè autem in ieiunio, eleemoſyna & oratione,ſiue à nobis ſuſcepta,ſiue à parochis & diſpenſatoribus ſacramentorum iniuncta, ſi ex fide & charitate peragitur, peccatorum cauſas excindit, & peccati reliquijs medetur: ac temporalem pœnam uel tollit,uel mitigat: & in exemplum denicq; adhibetur.

Quid autẽ aliud affirmat,magna celebritate & nomine uir, PHILIPPVS MELANCHTHON,cum ita ſcribit: Veriſimum eſt,mitigari pœnas tota conuerſione, & bonis operibus à Deo mandatis. Clamet igitur Eccleſia, ſicut filius Dei, & ſicut uox Spiritus ſancti ſemper clamat, Agite pœnitentiam. item: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. item: Si peccata ueſtra fuerint ut coccinum,eritis candidi ſicut nix. Si eritis in triſtiſſimis pœnis, & ueluti homicidæ in ſupplicio conſperſi cruore:tamen Deus mitigabit pœnas,deterget cruorem. item:Conuertimini ad me,& ego conuertar ad uos. Hæc inchoatio nouæ obedientiæ, meretur mitigationẽ pœnarum temporalium. *Philippus Melan. libro de pœnitentia. 1548.*

IOANNES CALVINVS,ſummus & ſingularis uir,ſatisfactiones noſtras,hoc eſt mutuas compẽſationes, non tantum pro culpa & pœna æterna, ſed etiam pro pœnis temporarijs acerrimè impugnat. uerùm de temporarijs ſic ad uerbum ſcribit: Sicut in futurum tempus reſpiciunt quæ pijs infligũtur pœnæ, ita qui eas auertere cupit,non eſt quod ſtudeat ſatisfactione aliqua, quod deliquit,expungere:ſed ſe quibuſcunq; poteſt modis cùm ad humilitatem,tum ad ueram reſipiſcentiam erudiens,ſui ipſe peccati ultor ſit homo,ne Deum experiatur ultorem. Qui Deum ſibi uult parcere,ipſe ſibi nec parcat,nec indulgeat. Qui erigi uult à Deo,ſe ipſe humiliet. Sed hoc totum nihil ad mutuam compenſationem. Nam qui ad hunc modũ de ſe pœnas ſumunt, quò præueniant Dei iudicium, conſtituunt ſibi nihilominus in CHRISTI ſacrificio non modò culpę expiationem,ſed pœnarũ etiam quaſcunq; meriti ſunt ueniam. Quid autem hæc uerba Caluini uolunt aliud,quàm compenſationem nullam fieri poſſe Deo à nobis pro pœna temporali, quam peccatis noſtris cõmeruiſſemus? Sed tamen ſi in humilitate & reſipiſcentia noſtra ipſi,ad CHRISTI ſacrificiũ reſpectãtes,peccata noſtra ulciſcamur, fore ut pœnas debitas à nobis auertat Deus? Huic ſententię & Melanchthonem ſubſcripturũ,prorſus mihi perſuadeo: & Viruesium,& autores libelli Interim, eidem minimè repugnaturos non dubito. Nec quicquam inter tantos autores controuerſiæ reſtabit, quàm de nomine ſatisfactionis. Multi qui ſatisfactiones oppugnant,ab hac ipſa ſenteutia non abhorrent. Nam de bonis operibus,& noſtri mortificatione,multa præcipiunt: ac illis pœnas temporales tolli,mitigari'ue teſtimonijs & exemplis ſanctarum literarũ confirmant. Eſaiæ 58, Frange eſuriẽti panem tuum, *Caluinus,libro cuius titulus eſt, Vera Christianæ pacificationis & Eccleſiæ reformandæ ratio.*

» animam afflictam consolare: & requiem tibi Dominus dabit sem-
» per, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit.
» Hierem.18. Si pœnitentiam egerit gens illa à maleficio, agam & ego
» pœnitentiam super malo, quod cogitaui ut facerem. Huc addunt Achabi regis humiliationem, & historiam Niniuitarum: in qua palàm conspicitur actio pœnitentiæ, hoc est pœnitentis & resipiscentis animi indicia. Nec enim de interiore tantum mentis pœnitentia, quæ fit ueteri homine deponendo, & nouo induendo, ibi est ser-
Iohel 2. » mo: sed de exteriore etiam, quam sic Iohel describit: Conuertimini
» ad me ex toto corde uestro, ieiunio, fletu, planctu. Pœnitentiam enim suam tum Achabus, tum Niniuitę testabantur actionibus externis, & signis humilitatis sub aspectum cadentibus: ut sunt ieiunium, uestimentorum laceratio, centonum indumenta, discalceatio, sessio in cinere. In historia etiam Nabuchodonosoris, memorabilis est illa sententia, cuius suprà memini, quam sic Daniel extu-
» lit: Velis, ô rex, peccata culpasq; tuas benignitate & erga inopes be-
» neficentia redimere, si fortè tuæ saluti consulatur. Hæc omnia, an non de operibus pœnitentiæ externis loquuntur? Quid enim est aliud pœnitentiam agere, nisi fructus pœnitētiæ dignos ferre: hoc est, pœnitentiam animi tui, operibus externis, tanquam notis & effectis, testari & declarare? quæ cum coniungi debeant fidei, quid incōmodi est, si idem eis tribuatur, quod fidei in Dei misericordiam incumbenti? Id enim cum literis diuinis congruere, & iam ostensum est, & infrà latius ostēdetur. Ego quidem neminem credo esse, qui non libenter fateatur, solam CHRISTI mortem precium esse, propter quod & culpa & pœna æterna peccatis nostris debita condonetur: neminē item, qui satisfactiones nostras infirmas esse non agnoscat, ac prorsus inualidas, nisi in CHRISTI satisfactionem recumbant: imò nisi sint eius dona, qui & operatur in filijs suis, & precium sua bonitate statuit operibus eorum, prorsusq; sua ipsius dona in eis coronat. Quod si tanta est conuenientia inter partes, quid uoculæ causa tantopere digladiantur? Quales uerò satisfactiones nostræ debeant esse, satis aliàs disputatur. Nam si illarum nomine (ut diximus ex Pighij sententia, cui multi subscribunt) fructus pœnitentia digni intelligendi sunt, certè ex uero corde eas proficisci necesse est: quod cum sensu quodā agnoscat se Deum offendisse, quod resipiscentiam meditetur, seq; totum componat ad uitę nouitatem: sine qua omnia opera nostra illusiones potius Dei sunt, quàm satisfactiones. Non enim sunt fructus tales, qui pœnitentia digni censeri possint. Hæc de partibus pœnitentiæ breuiter.

CAPVT

CAPUT X.

De peccato originis.

NGENS est contentio, & ea quidem non in uerbis, sed in rebus posita, inter Euãgelicos & Catholicos (hæc enim nomina partes sibi sumpsere, fortasse differentiæ causa) de peccato originis à baptismate, quatenus sublatum sit, & quatenus relictum: & quod relictum est, num sit dignum morte, nec ne? Hanc contentionem Pighius auxit, uitiositate nascendi singulis hominibus detracta, ac peccato originis ad originem nostram translato: ita quidem, ut non secus dicamur nasci in peccato, quàm aliquis nascitur seruili conditione, non sua culpa, sed parentum qui serui fuerunt. Neque enim quenquam in seipso peccare nascendo, sed in Adamo: neque in nobis fuisse illud peccatum, sed in illo in quo omnes peccauerimus. Ob unius illius delictum multos mortuos esse, non singulos ob suum proprium. Vnius illius inobedientia, non sua propria, peccatores constitutos multos: qui per ætatem, nondum sub lege existentes, sua inobedientia non potuerunt peccatores fieri. Hæc sententia est Pighij, ferè ipsius uerbis expressa: qua ille Lutheranos quidem nominatim, cum quibus certamen illi est, impugnat: uerùm re ipsa alios quoque scriptores, quorum sentẽtiæ ab Ecclesia receptæ sunt. Nemo, quod sciam, ad hunc diem Pighij sententiam impugnare tentauit. Imò quia ille inter catholicos numeratur, in ecclesijs nostris, laudibus in cœlum fertur. Mihi uerò Pighius pugnacissimè dissidere uidetur à sententia catholicorum, qui sentiunt, hominẽ ab ipso matris utero corruptum esse peccato: eamq; corruptionem ab Adamo contagione deriuatam, in totam posteritatem. Ita non pœnæ tantum subiectos esse filios Adæ, ob peccatum paternum: sed sua quemque uitiositate reum esse iræ Dei, & mortis æternæ. Hæc, nisi fallor, est sententia catholicorum: à qua quàm discrepet oratio Pighij, nemo non uidet. Sed non est nec propositi, nec facultatis nostræ, hanc controuersiam explicare. Volui autem hæc indicare, ut qui summis laudibus celebrant Pighium, accuratius considerent, quid in scriptis illius probandum sit, quid minus. Tametsi à nobis quoque hæc parum animaduertuntur: sed quid obest, prudentiores à minus prudentibus admoneri?

CAPVT

CAPVT XI.

De iustificatione.

DISPVTATIO de iustificatione, præcipuum caput est, aut certè inter præcipua unum, quod euangelicos separat à catholicis. Nam cùm in hac disputatione singularis tractatus consumitur: tum uix est postea aliquod caput, in quo illa nõ usurpetur, iteretur, urgeatur. Atq; non immeritò alicui similis uideri possit disputationi philosophorum, de fœlicitate: quam alij in sola uirtute ponunt, alij in uirtute cum bonis alijs cõsociata. Quòd si similis est, quid aliud quàm uerborũ hæc controuersia erit? Nam ut qui solam uirtutem iactant, ad uitandas absurditates proegmena excogitarunt: ita qui de sola fide loquuntur, uiuam intelligi uolunt, & per charitatem operantem. Sin minus hæc similia sunt, ut quidem uolunt permulti: qui cum charitatẽ iustificanti fidei annectãt, ei tamen in iustificatione partes nullas concedunt, soli fidei omnia tribuentes: tamen etiam atq; etiam considerandum fuerit, an non idem de charitate dici possit, quod de fide dicitur. Tu fidei iustificationem ideo assignas, quòd illa apprehendamus & teneamus misericordiam Dei: cur nõ idem de spe & charitate loqui fas sit, quibus & ipsis Deũ amplectamur, nos sua bonitate iustificantẽ, nosq; suis donis ornantem? Sunt enim illa omnia ab eodem autore profecta:
Luc.7.& Matth.9. Fides tua te saluam fecit: Spe salui facti sumus: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ad hæc, quemadmodum de
Rom.8. Ephes.3. fide dicitur, per illam Deum in cordibus nostris habitare: ita de charitate, qui in illa maneat, eum in Deo manere, & Deum in illo. Et
1.Ioan.4. Ioan.14. CHRISTVS ipse inquit: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Deinde ut de credentibus dicitur, Qui credit in filium, habet uitam æternam: ita de operantibus, Et prodibunt qui bona fecerint, in resurrectionem uitæ. Ad hæc conditionaliter ad credentem quidem: Si confessus fueris, & credideris Dominum IESVM,
Ioan.3. Rom.10. Matth.19. saluus eris. ad operantem autem: Si uis in uitam ingredi, serua mandata. Non tantũ igitur fidei, sed spei & charitati, & alijs bonis operibus, remissio peccatorum, & bona alia offeruntur. At inquies, prius illa omnia fidei offerri, eiusq; primam esse illorum apprehensionem. Quasi uerò fidem ueram spes & charitas non subsequatur necessariò. Neque quia aliquis prior est in ordine aliquo, ideo qui eũ sequũtur, ex eo ordine excludũtur. imò ratio ordinis exposcit, ut in eo sit prius & posterius. Quòd autem dicũt, fidei promissionẽ diuinã uitę æternę factam esse, id quoq; à charitate alienũ esse nõ uide
1.Cor.2. Iacob.1. tur: cum Deus & parauerit res nec oculis uisas, nec aurib. auditas, nec à corde cogitatas, & promiserit coronã uitæ ijs à quibus fuerit dilectus:

dilectus: quemadmodum promisit uitam æternam credentibus in se. Multa à contrasentientibus argumenta adferuntur contra charitatis opera: sed uidendum est, ne illa concludant de operibus à fide seiunctis, sine qua impossibile est placere Deo. Loquamur enim de operibus fidei cõiunctis, in Dei quidem misericordiam incumbentibus, in eaq; sola proram (ut aiunt) & puppim salutis suę collocantibus: quid quæso absurdi fuerit, ut fidei, ita illis iustificationem tribui? Non'ne Abrahæ iustitiæ ducitur, cum Deo semen illi promittenti credidit? At non'ne eiusdem operi, aliquot pòst seculis idem promittitur, cum inquit Deus: Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum? Quot sunt in diuinis scriptis eiusmodi sententiæ, quibus operi promittitur, quod aliàs tribuitur fidei? Scilicet ut fructus ab arbore, ita opus à fide seiungendum non est. Vtrunque uerò in Dei misericordia acquiescere debet. Nam & gloriatio operis, & incertitudo promissionis de hæreditate, excludetur ad hunc modum: cum fides tribuerit omnia Deo, cum charitas imperfectionẽ suam omnem reiecerit in CHRISTVM. Nihil honoris hoc modo adimetur CHRISTO, cum utraq; nitetur misericordia illius. Nihil detrahetur de gloria mediatoris, in quo solo utraq; gloriabitur. quemadmodũ inquit Paulus: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quid multa? Deus erit iustificans hominem per misericordiam suam, propter propitiatorẽ IESVM CHRISTVM. Ea uerò iustificatio ab homine percipietur fide per charitatem operante. At non propter charitatem, inquiet aliquis. Fateor: sed neq; etiam propter fidem. Non enim persuasio hęc de beneuolẽtia in nos diuina tanti est, ut propter eam numeremur in filijs Dei. Nec fidei aliã ob causam iustificatio tribuitur, nisi quòd respectum habeat ad CHRISTI propitiationẽ: quæ sola unica causa est nos iustificans. Est igitur fides instrumentũ, uel organum, recipiens iustificationem. Quid autem prohibet, quo minus charitati idem tribuamus? dicamusq;, ut non propter fidẽ, ita non propter charitatem, sed tamen fide & charitate nos iustificari: cum quidem multis clarissimis authoritatibus id ostendatur. Illud tamen agendum, ut auocentur mentes à fiducia operum, & gloriatione: ostendatur imperfectio operum: soli Deo gloria tribuatur: spes salutis omnis ad propitiatorem referatur, ad meritum CHRISTI seruatoris nostri, atque ad Dei bonitatem. Hac enim ratione à uerbis diuinis nihil discedetur: quibus remissio peccatorum, & uita æterna, ut fidei, ita operibus frequenter promittitur. Quid quod omnis illa doctrina de sola fide, ad eos pertinere uidetur, qui uel pœnitentia ducãtur scelerum suorum: uel iam cum morte quasi manus conferentes, ad tribunal iusti iudicis se stiterũt? Quod cùm multorum scripta testantur, qui iudicem illum sedentem faciunt, hominumq;

Ioan. 6.

Genes. 15.

Genes. 22.

Psal.142. facta examinantem, cuius in conspectu nullus uiuentium sit futurus iustus: tum uerò ex filo Paulinæ orationis ostendi potest, qui in ea epistola quam scripsit ad Romanos, priusquam aggrediatur tractare de iustificatione ex fide IESV CHRISTI, totum mundum peccati arguere non dubitat: ut ostendat tandem, aliunde petendam esse iustificationem homini, qui in Deum peccauerit, quàm ex operibus à lege præceptis: quibus si ad unguem quis non satisfaciat, eum execrationi subiectum esse. Homini uerò seueritatem iudicij Dei iam experienti, quid iucundius fuerit, quàm misericordiæ Dei inculcatio? quemadmodũ Augustinus in libro de Perfectione
» iustitiæ testatur, his uerbis: Cum rex iustus sederit in throno, quis
» gloriabitur mundũ se esse à peccato? Tunc ergo per eius misericor-
» diam iusti plenè perfecteq; mundati, fulgebũt sicut sol, in regno pa-
» tris sui. Non igitur homini in opera ulla à se facta, sed ad misericordiam iudicis tunc respiciendum est. Quid autem absurdi, si homini, quem pigeat scelerum suorum, quiq; timore iudicij illius tremendi percellatur, sola misericordia Dei fide apprehensa, & propter agnum illum tollentem peccata mundi promissa, prædicetur? Contrà, quid absurdius, quàm solam misericordiã obtrudere mancipijs istis scelerum omnium, Dei hostibus, corporis, sanguinis & mortis CHRISTI irrisoribus & cõculcatoribus: qui & uitam uiuunt fœdissimam, & sana doctrina abutuntur ad fræna laxanda suæ nequitiæ? Tales omnino perterrefaciendi sunt ira Dei, & pœnis mortis æternæ: resipiscentibus uerò, misericordia Dei offerenda. Quemadmodum Ioannes Zachariades in deserto Iudææ, atq; in regioni-
Matth.3. bus Iordano finitimis prædicabat, ut Matthæus refert, dicens: Pœ
» nitentiam agite uitæ prioris, in propinquo est enim regnum cœlo-
Mar.1. rum. Et ipsemet CHRISTVS, Marco teste: Impletum est, inquit,
» tempus: appropinquat regnum Dei: agite pœnitẽtiam, & credite
Act.20. Euangelio. Paulus quoq; in cõcione illa præclara, quam habuit ad presbyteros Ephesios, dicit se testificatũ esse Iudæis simul & Græcis, eam quę erga Deum est pœnitentiã, & fidẽ quæ est erga CHRISTVM. Igitur Ioannes & CHRISTVS & Paulus non excludũt
Mar.1. pœnitentiã, ab eo qui uelit ingredi in regnũ cœleste. Marcus etiam
Luc.3. & Lucas expressè referunt, Ioannem Zachariadẽ, ipse uerò Lucas
Act.2.& 3. Petrum prædicasse pœnitentiã cum baptismo in remissionẽ peccatorum. Quibus uerbis planè indicatur, remissionem peccatorũ nemini contingere posse, nisi ei qui pœnitentia ducatur scelerum suorum: hoc est, cui scelera sua displiceant, ita ut uellet ea nunquam à se commissa fuisse. quam displicentiam & dolor animi cõsequatur, & cura uitandi deinceps peccati omnis. hæc enim resipiscentiæ ac pœnitentiæ nomine includuntur. Iam qui loquuntur de sola fide, fatentur se loqui de fide uiua & regignente: qua qui præditi sint, eos

peccata

peccata auersari necesse est. Omnis igitur sermo eorum ad eos tantum dirigitur, quos scelerum pœniteat: illis enim salutem promitti, propter CHRISTVM propitiatorem. Illud quoq; in hac disputatione maximè cõsiderandum, iustitiam Christianorum duplicem esse: alteram in nobis, alteram extra nos. Illam dicunt inhærentem, quæ constet fide, spe, charitate, omnibusq; alijs uirtutibus, quibus noua hominis Christiani uita æstimetur. de eaq; loqui Ioannem his uerbis: Qui facit iustitiam, iustus est. & Iacobum, cum inquit: Videtis quòd ex factis iustificetur homo, & non ex fide tantũ. Hancq; iustitiam, instar aliarum qualitatum, recipere intentionem & remissionem: prout uirtutes, in quibus posita est, intendantur & remittantur. quemadmodum angelus ad Ioannem in reuelationibus inquit: Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur. Verùm quantumuis hæc iustitia intendatur, inchoata tamen censetur, non perfecta. Fragilitas enim humana non sinit eam peruenire ad perfectionem, quam requirit lex. non igitur est eiusmodi, qua mereri possimus remissionem peccatorum, ac uitam æternam. Solus enim CHRISTVS legi satisfecit: qui peccatum non fecit, nec dolus repertus est in ore eius. solus præditus erat iustitia illa perfecta, ac numeris omnibus absoluta: idq; usq; eò, ut eam etiam in alios transfundat, omnibusq; sibi fidentibus acceptam referat, Paulo apostolo locupletissimo teste, sic ad Romanos scribente: Per unius hominis iustitiam in omnes homines iustificatio uitæ. Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti fuimus multi: ita per unius obedientiam iusti cõstituimur multi. Atque hæc est iustitia, quæ extrinsecus nobis uenit, imputaturq; nobis ab illo mediatore & seruatore nostro IESV CHRISTO. Et priorem quidem iustitiã non sola fide, sed omnibus uirtutibus constare perspicuum est: posteriorem uerò fide sola apprehendi, multa scripturarum testimonia ostendũt. Ferè enim ad mentionem gratuitæ promissionis additur fides, ut inter ea relatio mutua ostẽdatur. Sic enim dicit Paulus Rom. 4. Ideo ex fide, ut secundũ gratiam firma sit promissio. Galat. 3. Vt promissionem spiritus accipiamus per fidem. Et infrà: Conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide IESV CHRISTI daretur credentibus. Sed quia posteriorem iustitiam multi nescio quomodo extenuant, atq; ad eius mentionem regno & licentia prioris abutuntur, quid de ea uetusti doctores sentiant, ex Augustini uerbis cognoscamus. Sic enim ille de Spiritu & litera, cap. 11. Hæc est, inquit, iustitia Dei, quæ in ueteri Testamento uelata, in nouo reuelatur. Quæ ideo Dei iustitia dicitur, quòd impertiendo eam iustos facit: sicut Domini est salus, qui saluos facit. Et hæc est fides, ex qua & in qua reuelatur: ex fide scilicet annunciantium, in fidem obedientiũ, qua fide IESV CHRISTI,

1. Ioan. 3.
Iacob. 2.
Apoc. 22.
Esa. 53.
Rom. 5.

» id est, quam nobis cõtulit CHRISTVS, credimus ex Deo nobis esse:
» pleniusq; futurum esse, quòd iustè uiuimus. unde illi ea pietate, qua
» solus colendus est, gratias agimus. Idem etiam scribit in secundum
» uersum Psal. 70. inquiens: Ergo in tua iustitia, non in mea. quia mea
» quid? præcessit iniquitas. Et cum ero iustus, tua iustitia erit: quia iu
» stitia mihi abs te data iustus ero. & sic erit mea, ut tua sit: id est, abs
» te mihi data. In eum enim credo, qui iustificat impiũ, ut deputetur fi
» des mea ad iustitiam. Amplius eandem sententiam Bibliorum scri
ptis confirmat, lib. de Ciuit. Dei 21. cap. 24. his uerbis: Iustitia Dei
» CHRISTVS est, qui factus est nobis (ut dicit Apostolus) sapiẽtia à
» Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio: ut sicut scriptum est,
» Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hanc Dei iustitiam, quam do
» nat gratia sine meritis, nesciunt illi, qui suam iustitiã uolunt consti-
» tuere: & ideo Dei iustitiæ, quæ CHRISTVS est, non subiecti, in qua
» iustitia est multa multitudo dulcedinis Dei. Has autoritates ideo
adscribere uolui, ut palàm facerem, nouum non esse (ut quibusdam
uidetur) nec inauditum, sanctos CHRISTI iustitia dici iustos. quin
eam esse unicam, qua omnis nostra imperfectio suppleatur, cuiusq;
commẽdatione nos in Dei conspectũ uenire oporteat, siquidẽ fruĩ
uelimus fœlicitate illa sempiterna. Necq; uerò dubiũ est, quin iusti-
tia inhærens, hoc est generatio & noua uita donetur nobis, simulat-
que imputatur nobis iustitia CHRISTI. Verùm nõ quia hæc con-
iuncta sunt, ideo distinguẽda non sunt. Alia ratio est dandi, alia ac-
cipiendi. Quæ iustitia nobis imputatur, eam accipimus à Deo iu-
stificante: quæ à nobis fit, eam reddimus Deo. Et in huius quidem
Iacob. 2. mentione proponẽdus est nobis Abraam operans: quod à Iacobo
apostolo factum esse constat, dum Abrahamum producit, filium
suum Isaacum super altare offerentem. Imò uerò CHRISTVS obij-
ciendus oculis nostris, tanquam exemplũ uitæ, quod nos ad sequen
da uestigia sua inuitet: quemadmodum ipsemet dicit, se nobis exem
Ioan. 13. plum dedisse, ut quod fecit, & nos faciamus. In illius uerò iustitiæ,
quæ nobis imputatur, cõmendatione, & Abraam proponatur tan-
Rom. 4. tum credens, quod à Paulo factum est, fidemq; habens iustificanti
impios, non etiam operans: & CHRISTVS tanquã dominus uitæ
& mortis, hæres orbis, semen illud caput serpentis cõterens, benefa
ctor, seruator, remissionis peccatorũ largitor, uitę æternę donator.
Itaq; in hac iustitia nobis à CHRISTO imputata, nullus habẽdus
est ad bona opera respectus. Cum enim ea in remissione peccato-
rum (ut ex uerbis Dauidis Paulus colligit, beatitudine describẽda)
posita sit, certa esse non posset in hac operũ imperfectione. Manet
Gal. 3. enim æterna maledictio eos, qui non permãserint in omnibus quæ
scripta sunt in libro legis. Vtranq; iustitiam nobis donari, & simul
quidem donari, nemo est qui neget: sed fines utriusq; considerandi
sunt.

sunt. cumq; ea quam inhærentem uocamus, sit manca, imbecilla, & ex ea parte, quatenus legi à nobis non satisfit, imperfecta, necessariò faciendum est, ut in illa CHRISTI iustitia, quæ perfecta est, omnes acquiescãt, quicunq; de remissione peccatorum, adoptione sui in filios Dei, donatione uitæ æternę certi esse uolunt. Esse autem hæc cognitu perneceſſaria, multi perhibent: tum ad hominum arrogantiam retundendam, ne quod sibi ex Dei immensa benignitate obuenit, suis operibus tribuant: tum ad eos in optima spe hæreditatis uitæ confirmandos, dum operum imperfectionem sibi audiunt condonari, propter eum qui cumulatissimè legi satisfecit: factusq; est maledictũ, ut à maledicto nos redimeret. Hæc de iustificatione eo à me longius exposita sunt, ut ostẽderem, qua de re agatur in hac controuersia. Multi enim sunt, qui iustificatione ab operibus exclusa, putant ea uetari, ac tanquã inutilia ab homine Christiano repelli. Itaq; bellè se functos officio reprehensorũ arbitrantur, si quamplurimis testimonijs euincant, bonis operibus homini Christiano studendum esse. Alij, cum audiunt iustificationem detrahi operibus, putant omnem iustificationẽ detrahi. Vtricq; non rectè. Necq; enim qui iustificationem detrahit operi, mox negat illud esse faciendum: nisi fortè adimens officia certa alicui uirtuti, asserit illam inutilẽ esse rebus omnibus. Necq; item, qui iustificationẽ illam à CHRISTO nobis gratuitò collatam, qua nos inter fratres suos ac cohęredes uitæ æternæ asciscit, ab opere remouet, omnem iustificationem ab eo aufert. Captiones sunt istæ, ex schola sophistarũ profectæ. Quibus si qui per imprudentiam utantur, errori condolendum est: sin alijs imponendi causa, malitiæ acriter repugnandum. Qui uerò eruditi sunt, facilè uident hæc pronunciata diuersa esse, Opera non iustificant, opera non sunt exercenda: illa itẽ non minus diuersa, Propter opera non iustificamur ad uitã, &, propter opera non iustificamur. Quorum pronunciatorum etsi res subiecta eadem est: tamen quia attributa diuersa sunt, diuersis argumentis utendum est, illis pronunciatis uel confirmandis, uel confutandis. Sed nos omittamus de his longius disputare. Statum enim causæ non ineptè, ni fallor, ostendimus. Tres etiam de iustificatione memorauimus rationes: quas à studiosis theologiæ uelim accuratè expendi. Vna ratio opera fidei ita coniungit, ut solam Dei misericordiam nos respicientem demonstret. Altera, temporum & personarum, quibus cum oratio instituitur, respectum habendũ esse præcipit. Tertia, omnium rem apertissimè planissimeq; explicat. Sed de hoc sit iudicium hominum eruditorum. tametsi rationes illæ tres eódem spectare, & alia alij subseruire uideatur. Velim autem ab ijs qui in hæc inquirunt, exactius considerari, an pietate inoffensa ferri possit formula illa loquendi, SOLA fides iustificat. Qua formula, cum nonnullos

ueterum usos esse constet, abrogari non posset, quin nota insciti æ aut impietatis nomini illorum inureretur. Vtebantur illa ueteres rectè explicata & interpretata. Quid est enim, quod malè intellectum, non pariat multas offensiones? Paulus ille cœlestis sapientiæ doctor, coactus est cùm aliàs, tum in epistola ad Romanos, respondere ijs qui rectissimas eius sententias in malam partem interpretabantur. Quo magis faciendum est doctoribus omnibus, ut commodè explicent doctrinam suam: ne medicina bona uertatur in uenenum, malè utentibus.

APOLOGIA.

In tractatu de iustificatione diximus, iustitiam hominis Christiani in remissione peccatorum positam esse: non equidem absurdè, ut opinor. Nam Paulus ipse Rom. 4. imputari ait iustitiã non operantibus, sed credentibus in eum qui iustificet impiũ. Citat etiam Dauidem, qui beatitudinẽ in eo statuat, cum Deus iustitiã alicui tribuit sine operibus. De hac beatitudine ac iustitia cum Paulus loquatur toto capite quarto epistolæ ad Romanos, non sit ineptum, si extrema eiusdem capitis uerba de hac ipsa iustitia nobis imputata interpretemur. Nimirum CHRISTVM traditum esse, ut ne delicta nobis imputẽtur: reuixisse, ut iustitia nobis imputetur. Nam & paulo antè, cui peccata non imputentur, ei iustitiam imputari dixit. At inquies, Non satis esse ad iustitiam, ueterem hominem exui, nisi induatur nouus: non satis, peccato mori, sed etiam uiuere Deo: non sufficere, liberari à peccato, sed seruũ etiam iustitiæ fieri oportere, ut docet Paulus Rom. 6. Ego uerò & id rectè dici uideo, ad uitæ nouitatem non satis esse, peccati remissionem obtinere: sed etiam oportere nos præbere membra nostra serua iustitiæ, ad sanctificationem: quam si quis uocet iustitiam inhærentem, illam uidelicet quæ fide & alijs uirtutibus constet, nihil erraverit. Veruntamen hanc iustitiam aliam esse ab illa quæ nobis imputetur, ostendimus in Libro. Et profectò Pauli uerba manifestè indicant, iustitiam quandam esse, quæ nobis tribuatur sine operibus. Quid enim est quod dicit:

» Credidit Abraam Deo, & imputatũ est ei ad iustitiam? Ei uerò qui operatur,
» merces non imputatur pro gratia, sed pro debito. Porrò ei qui non operatur,
» sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiã. Quem-
» admodum & Dauid explicat beatitudinem hominis, cui Deus imputat iusti-
» tiam absq; operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obte-
» cta sunt peccata: Beatus uir, cui non imputat Deus peccatum. Hæc ex Pauli oratione desumpsimus: qua quid clarius fingi, dici q; potest? Etenim cùm exẽplo Abrahami, tum antitheto operantium & non operantiũ, tum etiam testimonio Dauidis claro & aperto, planum facit, non operanti, sed fidem habenti ei qui iustificet impium, fidem suam imputari ad iustitiã. Et Propheta quidem beatum uirum describendo, nihil meminit iustitiæ imputatæ: sed tantum peccati non imputati, iniquitatũ remissarũ, peccati tecti. Verùm cum Apostolus inde colligit beatitudinem esse, cum Deus imputat iustitiam absq; operibus: satis indicat, iustitiam esse positam in peccati remissione. Vnde an non rectè efficitur, esse iustitiam imputatiuam (sic enim rei explicandæ causa multi loquuntur) quæ sola fide citra ullum operum respectum impijs cõtingat? Quid enim est sola fides, quàm fides non operans? Non dico, fidem uerã operibus prorsus uacuam esse posse: sed dico, opera causam non esse, quamobrem fidei assignanda sit iustitia. Hanc enim ex fidei obiecto petendam esse, ipsemet Pau
Rom. 3. 4. lus exponit, inquiens: Per fidem in sanguine CHRISTI. Et: Ideo ex fide, ut secundum

cundum gratiam. Et quãuis Paulus Rom.4.nominatim loquatur de circuncisione: capite etiã tertio diserte dicat, hominẽ reddi iustũ sine operibus legis, quod quidam ad legem ceremoniarum transferunt: tamen opera omnia excludi à iustificatione quæ imputatur, uerba quæ ex Pauli oratione citauimus, satis indicant. Nihil enim ineptius, quàm si in antitheto, operantem, & non operantem,ad ceremonias restringas: aut si uerbũ, Absq; operibus (quo utitur accommodando testimonio Dauidis ad suum propositum) ad opera ceremonialia referas. Facit autem Paulus more aliorum scriptorum,qui & thesin per hypothesin interpretantur: & hanc ad illam traducunt, amplificandi aut probandi causa. Qui solam Christianam iustitiam uocant eam, quæ fide,spe, charitate constet, & præter hanc nullam nobis reputari affirmant: duplici ratione meritis operum,quæ fiunt à regeneratis,deberi cœlestia præmia dicunt. Primùm,ex Dei promisso liberali: deinde,ex ea dignitate quam Deus regeneratis confert, præter omne meritum illorum. Quid igitur istuc uerbi est? An quod confertur alicui præter eius meritum,non ei imputatur? Quid enim imputari dicitur, quàm quod re persolutum non est, sed tantum ex benignitate imputantis pro soluto habetur? Cur igitur iustitia,quæ præter meritum alicui confertur, non rectè imputari illi dicetur? Paulus Rom.4. sæpe utitur uerbo imputandi. Iustitiæ quoq; quæ à Deo imputetur,aliquoties meminit. Imputationis causam,fidem non semel esse dicit, nulla operũ aut meritorum mẽtione facta. Nominatim etiã bis excludit opera,ab hac imputatione. Aut igitur sola fide iustitia nobis,de qua ibi loquitur, & quæ in peccatorum remissione posita est,imputatur: aut nulla est iustitia, quæ nobis imputetur. Quid enim refert, dicat quis, Sola fide, an, Fide sine operibus? Quid quòd non desint, qui particulam SOLA à Paulo expressam aiunt, cum Galat.2.dicit,non iustificari hominem ex operibus legis,Nisi per fidem IESV CHRISTI. Quod tamen si quis reijciat,ne nos quidem contendemus. Nam etiamsi tot literis scripta non sit, ex multis sententijs scripturæ colligi potest. Id quod non à uetustis tantum scriptoribus, sed recẽtibus etiam proditum est: inter quos est Isidorus Clarius Brixianus,monachus Casinensis,uir catholicus,qui interpretando Pauli uerba,Ei autem qui operatur,&c. Hunc,inquit, locum facilius intelliges, si cogites id quod dicitur Ex fide,& quod dicitur Secundum gratiam,idem esse: hoc pacto,Ex fide iustificari,est sine operibus iustificari: sine operibus uerò, est secundum gratiam: Quare iustificari ex fide,est iustificari secundũ gratiam. Vnde alibi ait: Ideo ex fide, ut secundũ gratiam. Dicamus ergo: Si facto aliquo iustificatus esset Abraam,non diceretur fide iustificatus,& ex illa fide (hoc est, secundum gratiam) mercedem accepisse: sed ex debito aliquo, quod factum sequitur. Sed cum non sit mentio alicuius facti,sed tantum fidei in Deum,qui iustificat impium: profectò fides illa imputatur ad iustificationem. Et testimonium Dauid profert de hac ex fide iustificatione. atq; ut gloriãdi occasionem in factis legis adimeret, iustificationem hanc obtigisse Abrahæ dicit,dum adhuc esset in præputio. Circuncisionem ergo accepit, non ut iustificaretur: sed ut signum esset hominis iam iustificati, & grati Deo. Non igitur tanti circuncisio facienda est,quasi salutem & iustificationem illa afferret: quam SOLA fides etiam ipsi Abrahæ contulit. Eandem sententiã de imputatiua iustitia clarissimè docet Pighius,strenuus ac peracris Lutheranorum dogmatum impugnator,in controuersia de fide & iustificatione. Vbi posteaquã ostendit,nunquam nos exactè satisfacere legi: addit, Deum nobis succurrisse per CHRISTVM, in quo iustificemur coram Deo, non in nobis: non in nostra, sed in illius iustitia, quæ nobis cum illo communicantibus imputetur: ita ut propriæ iustitiæ inopes, extra nos in CHRISTO iustitiam habeamus. Cuius obedientia nobis illi coniunctis sic accepta feratur, ac si nostra esset: ita ut ea ipsa nos etiam

In confessione fidei Petricouiæ edita, cap.34.

etiam iusti habeamur. Atq; hanc sententiam Pighius multis scripturarum testimonijs comprobat: eandemq; illustrat exemplo benedictionis Iacob pulcherrimo. Quid quod illi ipsi imputatiuę iustitiæ impugnatores assidui, concedunt passionem & satisfactionem CHRISTI non minus nobis imputari, quàm si ipsi passi fuissemus, & satisfecissemus? Hoc enim, inquiũt, persuasum esse debet omnibus in CHRISTVM credentibus, quod à Paulo scriptum est, In baptismo CHRISTO nos cõmori: atq; haud aliter passionis & mortis participes fieri, quàm si passi & mortui essemus. Quoniam uerò passione sua CHRISTVS pro peccatis totius mundi satisfecit, posteaquam per baptismum ipsius membra facti sumus, haud aliter hac satisfactione CHRISTI liberamur à pœnis omnibus, quæ peccatis nostris debebãtur, quàm si ipsi pœnas easdem sustinendo pro illis satisfecissemus. Hæc illi. Quid autem impedit, quin idem de iustitia dicamus, hoc pacto: In baptismo induimus CHRISTVM, ut Paulus dicit Galat. 3. uel, ut idem loquitur Ephes. 4. nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate. Igitur haud aliter iustitiæ & sanctitatis eius nos fieri participes, quàm si iusti & sancti essemus. Etsi autẽ isti, contra quos disputamus, negant quod de iustitia diximus: tamen si uera est philosophorum regula, qua uolunt, ut quod in re pari ualet, ualeat in ea quæ par est: causa non uidetur, cur antecedentibus concessis, non ea cõcedantur quæ consequentia sunt. Illud etiam opinor neminem negaturum, mortem & satisfactionem CHRISTI non tantũ homini imputari cum baptizatur, sed quoties à baptismo lapsus resipiscit. Igitur & hoc concedendum omnibus, iustitiam CHRISTI lapsis à baptismo imputari, quoties resipiscunt: non secus, quàm si operibus ac qualitatibus proprijs iusti essent. Huc adde, aliquoties, cum facta est mentio baptismi, baptismum pœnitentiæ nominatum esse. Vis igitur baptismi per totam uitam pœnitentibus confertur: ut si in baptismo mors, satisfactio & iustitia CHRISTI nobis imputatur, imputetur etiam semper, quoties nos peccatorum pœniteat. Quòd si CHRISTI iustitia imputatur nobis, perinde ac si nostra esset: an non inde cõsequitur, esse iustitiam quæ nihil aliud sit quàm remissio peccatorum? Verùm propter morosa iudicia, & hoc autoritatibus comprobandum est. Ille idem Pighius dicit, nostram iustitiam coram Deo, & salutis spem, in una esse gratis ignoscẽte per CHRISTVM nostras iniquitates Dei misericordia: non in operibus nostris, non in iustitia. Et paulo pòst: Hanc, inquit, iustitiam Zacharias Ioannis pater cognitionẽ salutis prædicat: non in nostra ipsorum iustitia, quæ nulla est: sed potius in nostra iniusti tia, aut peccatorum nostrorum remissione positam. Et infrà: Hoc ergo nobis iustificari est, peccata nobis misericorditer remitti à Deo in CHRISTO. Probat hanc sententiam testimonijs multis, quæ apud eum legere licet. Eandem sententiam amplectitur M. Antonius Flaminius in libro Psalmorum, quem Alexãdro Farnesio Cardinali Romano inscripsit: uerba psalmi 32, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, interpretando. Illud, inquit, animaduersione dignum est in his uerbis, quòd beatos appellat, non qui ab omni peccatorũ labe puri & integri sunt (nemo enim talis est, dum uiuit in terris) sed illos, quibus misericordia Dei peccata condonat. Condonat autem ijs qui confitentur peccata sua, & ex animo credunt, sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI omnium delictorum & scelerum expiationẽ esse. Docet idem glossa super illud Rom. 8. Quos uocauit, eos iustificauit: scilicet remissione peccatorum. Docet & Ambrosius, Rom. 5. Gratia uerò Dei, inquit, per CHRISTVM, non ex uno delicto, sed ex multis iustificauit homines, dando illis remissionem peccatorum. Idem Rom. 8. Quomodo autem impletur in nobis iustificatio, nisi cum datur remissio omnium peccatorũ? ut sublatis peccatis iustificatus appareat, mente seruiens legi Dei. Augustinus quoque de Ciuitate Dei lib. 19. cap. 27.

in confessione fidei Petricouiæ edita, cap. 34.

Marc. 1. Luc. 3.

Ipsa

Ipsa quoq; nostra iustitia, quamuis uera sit, propter ueri boni finem ad quem « refertur: tamen tanta est in hac uita, ut potius peccatorum remissione cõstet, « quàm perfectione uirtutum. Hæc & alia in Libro à nobis explicata, qui stu- « dio catholicismi, ut ipsi putant, animaduertere nolunt, primùm absurdum esse putãt, ut quis iustus dicatur ea iustitia qua CHRISTVS iustus est: sed eam tantum nobis tribuunt, quam CHRISTVS nobis impertit, qualitates nouas nobis imprimendo, seu iustitiam inhærentem infundendo. Deinde toto cœlo errare aiunt eos, qui iustificationis nomine solam peccatorum remissionem uelint intelligi. quod tamen ipsum testimonijs & scripturarum & interpretũ docuimus. Non igitur hæc doctrina, ut illis uisum, noua est, non ex claudicatione & singularitate intellectus profecta. Exaggeratur & operum dignitas, eorum quidem quę fiunt à regeneratis: in quibus cum CHRISTVS inhabitet, opera quoq; eorũ digna esse uita æterna propter CHRISTVM inhabitantem. Verùm hac ratione astruitur magis, quàm destruitur iustitia imputatiua. Quoniam enim opera regeneratorum reipsa talia non sunt, ut digna sint uita æterna, sed Dei misericordia talia reputantur, reputatur quoq; eis iustitia: ut talis sit effectus, qualis causa. Verùm quia hæc materia, meriti rationẽ attingit, placet ut eam distincto capite expediamus.

LIBER.

CAPVT XII.

De meritis & dignitate operum quæ fiunt à regeneratis.

NON est sententia eorum uituperãda, qui operibus nostris in fide factis, uim & fructum tribuunt propter Dei promissionẽ, & propter CHRISTI merita. Verùm quia huc, disputatorum licentia meritum condignum irrepsit, ingentemq; partibus materiam præbuit disceptandi, breuiter de eo disputemus. Qui nostra memoria primi, meriti rationẽ à nostris operibus excluserunt, ij in operum nostrorum imperfectionem respexisse uidẽtur. Cum enim lex opera præcipiat numeris omnibus absoluta & perfecta: ut qui illa non præstet, præmia pro illis promissa frustra expectaret: meriti nomen titulum sine re esse putarunt. Et tamen opera sanctorum, quamuis imperfecta, Deo placere docebãt, propter gratiam & merita CHRISTI. In quibus fiduciam omnem salutis æternę ostendebant ijs quidem, qui agnita imbecillitate sua, cum uitijs perpetuò luctarẽtur: in ea persuasione, CHRISTVM esse salutem & redemptionẽ nostram, ac delictorum nostrorum expiationem. Cui sententiæ non ne quidam ex catholicis succinunt? ut cum Alfonsus Viruesius inquit: Bona opera nemo ferè sanctorum merita sua unquã appellauit, sed Dei munera: tunc præsertim, cum Dei misericordiam implorat. Vbi potius illi commemoranda est, qua undiq; septi & propemodum obruti sumus, miseria. Quod & Augustinus in Psal. 139. sic inquit: Meritis suis nihil tribuunt sancti. Totum non nisi misericordiæ tuæ tribuent. Et Hieron. in Ieremiæ

Lutherani.

Alfons. phil. 5.

Augustinus.

Hieronymus.

lamentationes,cap.2. Non meritis datū eſt,ſed quia ita ſit Deo placitum: cuius eſt omne gratuitum quod prẹſtat. Eſt ex euangelicis, qui meriti rationem impugnando, obiectionem à remuneratione
Io.Caluinus. ſumptam ſic diluat: Nullam ne igitur remunerationē habent opera? (ſupple,ſiquidē merita eorum ſunt nulla.) Certè & accepta ſunt Deo, & fructuoſa ſuis autoribus. Dantur enim pro eis ampliſsima beneficia, remunerationis loco: non tamen quia ita merentur, ſed
Pighius. quia diuina benignitas hoc illis ex ſeipſa precium ſtatuit. Pighius, ex catholicis unus, hanc ſententiam uidetur amplecti, dum inquit: Dominus quæ in nos contulit, quæq; in nobis operatur bona opera,& noſtra appellat,& ea ampliſsima remuneratione dignatur: ſic tamen, ut id totum gratiæ ſit, quicquid, quod laudem meretur, in operibus noſtris eſt. Ita quod euangelicus dicit, opera fructuoſa eſſe operantibus non ſuo merito, ſed Dei benignitate: hoc à catholico dicitur, quicquid laudis aut remunerationis mereantur bona opera,id non operum ipſorum,ſed totum gratiæ eſſe. Quod ſi uerborum cōtentione ſepoſita, rem animo æſtimemus, fructuoſum in hac diſputatione à meritorio nō ſeparabimus. Quid enim fructuoſum eſt, niſi quod fructū fert? Fructus uerò nomine non ne hic intelligūtur ea beneficia,quæ pro operibus nobis à Deo dātur? Hæc uerò an non aptè quadrant omnia in meritum? Nam & ipſum fructum affert: quem fructum ſeu beneficij, ſeu præmij, ſeu mercedis nomine affecerimus, in nullo erit res prorſus diſcrimine. Quamobrem nonnulli docti uiri partis utriuſq;,multa,ut apparet, tum lectione,tum meditatione,crebris item diſputationibus exerciti,animum tandem inclinaſſe uidentur, ut & catholici (quod Alfonſum facere oſtendimus) meritorum omiſsione, & euāgelici (ut mox uidebimus) eorum uſurpatione, nihil incommodi rem Chriſtianam capturam eſſe putarent. Nam quid meritum eſt aliud, quàm officium, ſeu opus, cui præmium debeatur? quemadmodum Horatius ſignificat:

Horat.Epiſt. lib.2.epiſt.8. *I bone,quò uirtus tua te uocat: i pede fauſto,*
Grandia laturus meritorum præmia.—

Et Virgilius:

Virg.Aen.5. *Cuncti adſint,meritæq; expectent præmia palmæ.*

Et Cicero: Extant rectè factis præmia,peccatis ſupplicia. Et Cæſar 7.belli Gall. Ea quæ meruiſſent præmia,abs ſe deuicta Gallia expectarent. Quòd ſi ad uſum theologicū loqui uelimus, nihil opinor errauerimus,ſi merita interpretabimur ea opera ſanctorū,quę Dei ope exerceant in fide & perſuaſione beneuolentiæ erga ſe diuinæ. Quibus quidem operibus cum præmia ſint propoſita & præſentis & futuræ uitæ,non eſt abſurdum,ſi ea meritorum nomine ornauerimus: præſertim cum id quod laudem in eis mereatur, non operibus ipſis,nec uiribus noſtris,ſed (ut Pighius loquitur) gratiæ diuinæ totum

næ totum acceptum retulerimus. Quamobrem euangelici in Apo- Euangelici.
logia confeſsionis Auguſtanæ non dubitanter affirmant, bona ope
ra iuſtorum mereri multa prȩmia corporalia & ſpiritualia, in hac &
in futura uita. Vrbanus etiam Regius, etſi contra humana merita
pugnat, tamen & hoc concedit: Merita ſunt in nobis, quia Dei do-
na ſunt, & ipſius ſolius opera. Ad hæc, M. Bucerus aduerſus Rob.
epiſcopum Abrincenſem: Non imus, inquit, in ficias, iuſtificari nos
etiam ex operibus, ut diuus Iacobus dixit. Repẽdit enim Deus uni-
cuicꝙ ſecundum ſua opera. Et non qui legem audiunt, ſed qui faciũt,
iuſtificabuntur: Rom. 2. Sed iſta noſtri iuſtificatio, id eſt ultima ui-
tæ æternæ adiudicatio & exhibitio, naſcitur & pendet ex iuſtifica-
tione fidei, ex qua & ipſa bona opera proueniunt: & habent id, ut,
licet ex ſe nihil minus ualeant, uitam æternã nobis MEREANTVR.
Et paulo infrà: Sed nec de MERITIS pugna eſt. ea nulli reiicimus,
etiam uitæ æternæ. Dixit enim Dominus, Si quis ſua cauſa quicquã
reliquerit, id eum hic recepturũ centuplũ, & in futuro ſeculo uitam
æternam. Mercedem etiam non rarò paciſcitur. At quid dicemus
merita? bona ne, an mala opera? Mala noſtra ſunt: bona præparat
in nobis Deus, ut in illis ambulemus: Epheſ. 2. Hæc ille. Perſpi-
cuum eſt igitur, adhuc inter partes de re uniuerſa ſatis cõuenire: &
ſi quid contentionis ſit, id in uerbi controuerſia poſitum eſſe. Inqui
ramus igitur amplius, an iuſta eſt cauſa aliqua alia, quȩ inter eas diſ-
ſenſionem faciat? Mihi uidetur ſolum meritũ eſſe, cui ex condigno
aiunt deberi uitam æternã, quod diſcrepantiã hanc ſuſtineat. Non
omnes autem eodem modo hanc condignitatẽ interpretãtur. Sunt
qui uoces, Pro dignitate, &, Pro meritis, etiamſi in ſacris literis non
inuenirentur, affirment idem ualere quod illam, Secundum opera.
idꝙ & apud Græcos, qui κατὰ τὰ ἔργα, & κατὰ ἀξίαν, pro eodem
uſurpent. Cum autem frequens ſit illa locutio in diuinis literis, Red
det unicuicꝙ ſecundũ opera ſua: temeritatis eſſe, uoces eandem uim
habentes repudiare. Quod ſi ita eſt, neminẽ opinor eſſe, rem ipſam
ſpectantẽ, qui una uoce admiſſa, alias reſpuat idem efficientes. Sunt
alij, qui condignitatem omnem transferant in gratiam & opem di-
uinam. Quos quidẽ ipſos uix putc ab aliquo iuſtè reprehẽdi poſſe:
quippe qui humanis uirib. & operibus dignitate nulla relicta, eam
omnem tribuant gratiæ diuinæ, cuius fiducia nitendum ſit ad ſpem
beatè uiuendi. Superſunt, qui ipſa facta & merita humana cum Dei
gratia coniuncta, tanti eſſe affirment, ut eis ex condigno uita æterna
debeatur. Multa autem in theologia diſceptatrice de eiuſmodi con
dignitate, ad ſenſum quem modò dixi, diſputantur. Verùm qui de
hoc appoſitè ad uſum conſcientiarum diſſerunt, meriti cõgrui men-
tionem fecerunt, cõdigni non fecerunt. Pighius uocat meritum ex
congruo, quod non ex ſe, ſed ex Dei gratia, aliqua dignitate æſtima-

tur. Eraſmus etiam dicit, meritum congruum cum gratia non pugnare, quemadmodū nec merces nec debitum cum eodem pugnat: præſertim ſi referas ad Dei promiſsionem. Autor item cōfeſsionis
Cap. 34. ſynodalis epiſcoporum & presbyterorum Poloniç, idem ſentire uidetur, cum dicit, Cœleſtia præmia regeneratis deberi, tum ex Dei promiſsione liberali, qui fallere neſciat, tum ex ea dignitate quam eis præter omne illorum meritum conferat. Paulus uerò, an non diſertè meritum condignum excludit, cum dicit, ea quæ hoc tempore patienda ſunt, cōdigna non eſſe futura gloria? Tentemus igitur & nos, an ſententiā Pauli probabiliter poſsimus tueri. Dicamusq́, operibus ſanctorum deberi quidem ampliſsima præmia, atq́ adeò uitam æternā ex Dei promiſſo, & CHRISTI merito: opera tamen illorum tanti non eſſe, ut eis condignè ſempiterna beataq́ uita tribuatur. Impura enim ſunt, & imperfecta: nec legis rectitudini, propter carnem adhærentem, reſpondere poſſunt. Quod ſi condignitas in æqualitate duorum conſiſtit: non ſit autem æqualitas inter opera ſanctorum, & ea quæ lege præcipiuntur iſs qui uitam æternam ſint cōſequuturi: ſequitur, ut à quibus æqualitas tollitur, ab iſs
Obiectio 1. condignitatem tolli oporteat. At inquies, Paulum ita loqui: Viuo iam non ego, ſed uiuit in me CHRISTVS. Ergo qui regenerati ſunt, non ipſos etiam operari, nec mereri, nec ſatisfacere: ſed in eis operari, mereri, ſatisfacere CHRISTVM. Quin eadem lege addis, regeneratos non ipſos credere, ſed credere in eis CHRISTVM: nec ipſos amare CHRISTVM, ſed CHRISTVM ſeipſum amare. Sed hęc ſanè ſint paria. Quid tandem ex Paulina ſententia effici uelis? Scilicet, tantum dignationis in actionibus noſtris ponendū, quantum in operibus CHRISTI? Hoc uerò quo minus cōcludatur, cùm philoſophica ſententia obſtat, qua docemur, Deum non pro modo ſuarum uirium, ſed pro conditione recipientium agere in rebus mortalium: tum experientia rerum magiſtra, quę fragilitatem ſanctorum nobis ponit ob oculos. In qua quidem fragilitate, quis unquam iuſtorum ab omni macula purus fuit? Si nemo, non ſunt eadē dignatione opera illorū, qua CHRISTI: nec CHRISTI dignitati detrahetur, quod detrahetur meritis illorum. Quin ſi ad ſenſum quem prætendis, uerba Pauli exigenda eſſent, hominem CHRISTI ſpiritu imbutum, in uitium procedere nunquam poſſe, ex eis concluderemus: ne in id quidē quod ueniale uocant, CHRISTO nimirum in illo uiuente, operante, merente, ſatisfaciente. Quod quàm uitioſè colligeretur, literæ diuinæ teſtantur: quæ docent, ſepties per diem iuſtum cadere. & cōmunis eſt omnium ſanctorum confeſsio, quam
1. Ioan. 1. ſcripſit Ioannes: Si dixerimus, peccatum nos non habere, fallimus noſipſos, nec eſt in nobis ueritas. Verba quidem Pauli ſi quis non oſcitanter legerit, ac ea quæ tum præcedūt, tum ſequūtur, unà coniunxerit:

iunxerit: facilè perſpiciet, non ad perfectionem, ac ne ad exercitium quidem operum, ea accommodanda eſſe: ſed ad eam uitam, qua homo regeneratus, CHRISTO uiuat per fidem, & CHRISTVS in eo. Atqui fidem non ad opera, ſed ad Dei benignitatẽ referendam eſſe, cùm alijs ſcripturę locis, tum hoc ipſo oſtendi poteſt: ubi facta fidei mentione, non operum à ſe factorũ perfectionis aut dignitatis meminit, ſed amoris & beneficij CHRISTI, quippe qui ſe pro illo morti dedidiſſet. Quam quidem mortem ſibi nihil profuturam ait, ſi in lege adhuc iuſtitia poſita eſſet. Hæc mihi germana loci illius ſententia eſſe uidetur. Vis baptiſmi cur pro operum condignitate afferenda ſit, haud ſanè intelligo. Etſi enim certũ eſt, eos qui baptizentur, CHRISTVM induere, nouam creaturam effici, & ad naturæ integritatem quodammodo redire: neq; baptiſmum uerè dici poſſe lauacrum regenerationis & renouationis, niſi hęc per illum fierent: tamen hæc omnia cœpta & inchoata eſſe in baptizatis, non perfecta, diuinæ literæ & experientia ipſa clarè teſtantur. Non enim totum ſpiritum hauſimus, ſed eius primitias accepimus: guſtum ſuauitatis illius primis labris attigimus, non ea ſatiati ſumus. Quod & infantum uita & mores oſtendunt. Sæpe enim reluctãtur rebus bonis: ſæpe iraſcũtur ubi non deberent. cumq; ignorent quid bonum ſit, quid malum, ne uoluntatẽ quidem Dei perſpectam habere poſſunt. Neq; igitur ueterem hominẽ omnino exuerunt, neq; nouum prorſus induerunt. Itaque multi theologi Ambroſium & Auguſtinum ſequuti, aſſerere non dubitant, peccatum originale per baptiſmum auferri reatu, remanere actu: gratiamq; in baptiſmo collatã, fructum originalis iuſtitiæ facturam, uſq; poſt reſurrectionẽ. De operum noſtrorum imperfectione clariſsimè concionatur Paulus, tum de ſe iam renato, tum de alijs hominibus adultæ ætatis, in hanc ferè ſententiam loquens: Conſentio quidem & ſeruio mente legi « Dei: delector ea, quod ad interiorem hominem attinet. Volo quæ « bona ſunt, odi quæ mala. Nihilominus ſentio in me inhabitare & « inſidere peccatum: in membris etiam meis legem cõtrariam eſſe, re- « pugnantem legi mentis meæ, ac captiuum me reddentem peccato: « ut etiamſi uoluntas adſit mihi ad bonum, perficiẽdi tamen facultas « abſit. non enim quod uolo facio bonum, ſed quod nolo malum id « ago. Caro enim perpetuò mihi adhęret, cuius ſenſus & ſtudiũ inimi « citiæ ſunt aduerſus Deum: quippe quòd legi Dei non pareat: nec « enim poteſt. Caro itẽ contrà quàm ſpiritus, & ſpiritus cõtrà quàm « caro concupiſcit. atq; hæc ita ſunt inter ſe contraria, ut non quæ ue- « limus, ea faciamus. Hæc à Paulo non tam ſcripta, quàm oculis om- « nium ſubiecta eſſe uidentur. Itaq; ipſe ſuarum ſibi culparũ conſcius optimè, imperfectionesq; operum ſuorũ ac lapſus uarios animaduertens, ferè deſperabundus exclamat: Miſer ego, quis me liberabit «

Sent. 2. d. 32.

» ab huius mortis corpore? Ad solumq́ portum cõfugit gratiæ Dei, & beneuolentiæ diuinæ nobis præstitæ in CHRISTO IESV Domino nostro. Quæ cum ita sint, causa non est quamobrem uel uis baptismi, uel Paulina sententia de uita CHRISTI in nobis, ad operum nostrorum dignitatem sit trahenda. Etsi enim CHRISTVS in regeneratis uiuat, illorumq́ uitã & actiones gubernet: uerùm non ita uim suam exerit, ut omnem ab illis infirmitatem tollat. Et tamen spiritu suo illos renouando, ac uitæ nouæ uirtutes illis inserendo, meritum item ac iustitiam suam illis impertiendo, uerissimè & maximo cum fructu in illis uiuere dicitur. Atq́ hoc modo gloria Dei non obscuratur, sed illustratur: crux CHRISTI non euacuatur, sed fœcunda redditur: sanguinis pro mundo effusi precium non immi
3 nuitur, sed magis augetur: cum nobis, quod natura tale nõ est, Dei benignitate tale imputatur. Itaq́ quod Paulus ait 2. Corinth. 4.
» momẽtaneas & leues calamitates nostras æternum gloriæ pondus
» nobis párere: non ad condignitatẽ meritorũ atq́ operũ quæ fiunt à regeneratis, cœlestis glorię respectu, referendum est, sed ad largam Dei uoluntatem, Christiq́ meritum: qui & non facientibus imputat, perinde atque feciſſent: & leues ac breues labores nostros, magna & sempiterna gloria recompensat. Ipse enim Paulus condignitatem operibus nostris detrahit, præ ea gloria quę post hanc uitam
4 æterna erit. Neq́ uerò sum nescius, quibusdam in locis scriptura rum & CHRISTVM & Paulum loqui de filiorum Dei dignitate: ut
Luc. 20. Col. 1. cum dicunt, aliquos dignos esse futuro seculo, dignos sanctorum sorte. Verùm hæc dignitas benignitate patris accidit, qui largitur nobis præmia pro gratia, non pro merito: nosq́ aptos & idoneos
» reddit gloria sua. Hieronymus etiam Pauli uerba illa (Vt digni ha
» beamini regno Dei, pro quo & patimini) interpretando: Hi sunt, inquit, digni regno Dei, qui gloriam Deo tribuũt, scientes nullam passionem esse cõdignam gloria cœlesti: etiamsi talis esset illa, qua-
Bern. serm. 1. de Annunciatione. lis modò est uita. Bernardus item addit, non esse condignas passiones, ne si unus quidẽ omnes sustineat. Sed non tantum gloriæ immortalis, sed & culpæ quæ nobis remittitur, & gratiæ quæ in præsenti donatur, respectu, condignitatem detrahit de passionibus no-
Bern. serm. de persecutione sustinenda, cap. 30. stris. Neq́ enim, inquit, condignæ sunt passiones huius temporis, ad præteritam culpam quæ remittitur: non ad præsentem consecutionem gratiæ, quæ immittitur: non ad futuram gloriam, quæ promittitur nobis. Etsi autem sentẽtia Pauli clara est, tamen quidam
Solutionũ quarundam Paulini dicti impugnatio. uiri docti ad suum arbitrium eam eludunt bifariam. Nonnulli eam interpretãtur de operibus non regeneratorum, ut à libero arbitrio absq́ Dei gratia procedũt. Verùm Pauli oratio indicat cõtrarium. alloquitur enim eos qui spiritum Dei habeant, quo agantur: sintq́ & filij & hæredes Dei, cohæredes autem CHRISTI. Tales quidem

gratia

gratia Dei uacui esse nõ possunt. Cumq; cruci & afflictionibus subiecti sint, hortatur eos Paulus ad patientiam, uitæ huius calamitates extenuando, comparatione gloriæ sempiternæ. Alij de condignitate æqualitatis Paulum intelligunt, eam non esse inter meritum & præmium, quòd hoc semper maius est illo: cæterùm cõdignitatem attribuunt operibus & meritis sanctorum, uel ex promissione Dei, uel ex gratuita acceptatione diuina ad quoduis præmium, uel ex pacto & cõuentione. quam in parabola patrisfamiliâs significari aiũt: qui operarijs pactus in diem singulos denarios, æquat omnes, licet inæquali temporis spacio laborantes, denario diurno. Quamuis autem hæc probabiliter dicuntur: excutienda tamen sunt, ut sciatur quatenus huic sententiæ fauendũ sit. Tres ab istis ponuntur, quantum ego intelligo, causæ, in quibus ista cõdignitas stabiliatur: promissio, acceptatio, & conuẽtio, seu pactum. Et ex promissione quidem, præsertim diuina, certitudinẽ colligi usitatum est. Cum enim promittens certus sit, qui nec fallat, nec fallatur, promissionẽ etiam certam esse necesse est. Condignitatẽ ex eadem colligi, prorsus inusitatum. Promisi tibi, seu de me merito, seu nihil merito, annuos aureos centum. Ea promissione & ego me tibi feci debitorem: & tu, nisi soluo, pecuniam ex promisso à me repetere potes. Dignum uerò ut te, hoc solo nomine, re promissa prædices, uix tibi quisquam permittet. Ex sola etiã acceptatione (quę in hac disputatione idem quod promissio significare uidetur) uix unquam quisquam intelligens condignitatẽ & precium alicuius æstimauit. Variæ enim causæ sunt acceptionis: nec semper dignitas operis in eo qui accipitur spectatur. Sæpe sola misericordia mouet accipientem, ad aliquem acceptandum. Etsi autem scholastici multum laborant in hac ipsa condignitate stabilienda: tamen aliqui præiudicatis opinionibus magis quàm re duci uidẽtur: ut qui ea tuenda, fatentur Deum præmiare ex mera gratuita acceptatione diuina, & ex mera liberalitate. Quomodo in unum congruunt hæ sententiæ? an non posteriora uerba euertunt, quam priora constituere nituntur, condignitatem? Necq; enim est mera liberalitas, nec mera gratuita acceptatio, ubi est aliquis respectus dignitatis meriti. Suprà etiam ex Polonica synodo ostensum est, prę̃mia dari à Deo hominibus, & ex promisso liberali, & ex dignitate præter omne meritum. An uerò & hæc non discrepant prorsus à condignitate? an ubi nullum est meritum, ibi est meriti condignitas? Superest ut de pacto loquamur: cuius formulæ etsi multę ex scriptis diuinis proferri possunt, tamen quia omnes eódem ferè pertinent, sit hæc ex multis una: Si uis in uitam ingredi, « seruа mandata. Quibus uerbis pollicetur nobis Deus uitã immor- « talem, sed hac lege pacta, ut exequamur mandata. Quis porrò exequitur ea, nisi qui prę̃stat omnia quæ lege prę̃cepta sunt? Qui enim

Scotus sen. 1. d. 17. q. 2.

legem

Iac. 2. legem totam obſeruet, & in una delinquat, omnium reus eſſe iudi-
Gal. 3. » catur: Qui non præſtet omnia quæ in libro legis ſcripta ſunt, exe-
Deut. 27. » crabilis eſſe pronunciatur. Iam mihi dari aliquē uelim, qui ad eum modum mãdata Dei exhauſerit, ut nullius unquam fuerit uiolator: qui audeat dicere, ſe peccatum non habere: qui non opus habeat petere à Deo peccati remiſsionem: cui non ſit neceſſe cum Dauide clamare, Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine: hoc eſt (ut Auguſtinus interpretatur) ne ſtes mecum in iudicio, exigẽdo à me omnia quæ præcepiſti, & omnia quæ iuſsiſti. Nam me inuenies reum, ſi in iudicium mecum intraueris. Quod ſi talis nemo detur, qui conditionibus ſtet à Deo latis, iis qui ingredi uelint in uitã: quomodo tandem ex conuentione ſeu pacto condignitas precium'ue ſtabit, merito ſanctorum uitæ illius reſpectu? Non enim uerbis hæc condignitas, hoc'q; precium conſtituendum eſt, ſed re: hoc eſt, propoſitis cõditionibus explendis: quæ ubi deſunt, quomodo condignitas cõſiſtet? Ad ſummam, cardo rei in eo mihi uerti uidetur. Qui tot quaſi aciebus dimicant pro iſta cõdignitate, oſtendant primùm, hominem regeneratum legi pactę ſtare. Si faciunt, uicerunt. Erecta eſt condignitas, non quidem ex reali (ſic enim in ſcholis loquuntur) & intrinſeca coæquatione operis cum uita æterna (nam finiti ad infinitum nulla eſt proportio) ſed ex pacto. Ita enim pacto conuenit, ut qui uelit ingredi in uitã, ſeruet mandata. Sin minus, cur non mittunt certamina iſta nec utilia, nec honeſta, de re quæ nuſquam eſt? Vbi enim, fundamento deficiente, fundabunt cõdignitatem ex pacto? Quòd ſi à pacto tranſultẽt uel in gratiam, uel in quiduis aliud, hoc quidem inconſtantiæ fuerit. Verùm & huius condignitatis rationes iam ſunt cõfutatæ. De gratia etiam ſuprà eſt oſtenſum, Paulum eos alloqui, qui gratiam Dei obtineant: quorum tamen paſsiones uita cœleſti cõdignas eſſe negat. Mirum uerò, ſophiſtas, quod à Paulo diſertè exploſum eſſet, id eos confingere auſos eſſe. Non ſatis ſcilicet eſt ſeruo inutili, qui quod facere debuerit, fecerit, dicere congruum eſſe ut ei merces pro benignitate patrisfamiliâs tribuatur: niſi hoc addat, opera ſua digna eſſe & æqualia præmio immortali. Quid igitur impedit, quo minus orationem Pauli mutent, qua ſic ſanctos alloquantur: Vos qui ſpiritum Dei habetis in uobis habitantem, qui ſpiritus teſtimonium uobis tribuat, uos eſſe filios & hæredes patris cœleſtis, pergite in ſtadio operum Deo placentium decurrere: omnes'q; dolores ac perturbationes, quas Deus in uos immittat, æquis animis tolerate. Etenim quæ patienda uobis ſunt hoc tempore, ea condigna & paria ſunt gloria cœleſti, qua eſtis afficiendi. Quid ineptius eiuſmodi oratione: qua cũ debeas ærumnarũ uim & acerbitatẽ extenuare, præ eo præmio quod ſanctos maneat: tu illas augeas, amplifices, & mercedi præmia facias? Nos uerò ex-

Auguſt. ſerm. 49. de tẽpore.

cluſa

cluſa dignitate ab operibus noſtris, ſummittamus nos potenti Dei manui: ad promiſsiones diuinas, benignitatẽq; largitoris nos conuertendo. Si quam dignitatem optamus, eam in Dei miſericordia quæramus: ſi perfectionẽ, eam in miſerationibus Domini perſcrutemur: ſi gloriationem, eam ex cruce Domini noſtri IESV CHRISTI petamus: qui factus eſt nobis à Deo ſapiẽtia, iuſtitia, ſanctitas, & liberatio: ut, quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc de meritis noſtrorum operum.

CAPVT XIII.

De officijs, quæ à nobis debentur ſanctis.

CONSEQVENS eſt, ut de operibus dicamus, quibus ſanctos & beatos homines demereri debeamus. quæ opera in diſceptationem & queſtionem uocata ſunt noſtra tempeſtate. Quicquid enim membris corporis CHRISTI tribuimus, CHRISTO ipſi tribuere: quicquid adimimus, eidem adimere cenſemur: nimirum qui caput ſit ipſorum, cui commiſſuris mirificis iungantur, à quo uegetẽtur & animẽtur: denicq; qui in CHRISTO ſint, & CHRISTVS in ipſis, ea cõiunctione, ut ex carne & oſsibus eius eſſe dicantur. Quod quidem ita eſſe, certiſsimũ eſt. Sed tamen ſunt nonnulla, quæ CHRISTO uerè & neceſſariò tribuantur: ſanctis an perinde tribui debeant, haud ſanè ſcio: ut peccata remittere, uiuificare, eſſe uiam peruenièdi ad patrem, eſſe ueritatem & uitam. Nos uerò hæc in præſentia omittamus. Loquamur autem de honore & precibus ſanctorum. Quod ut diſtinctè fiat, dicamus primùm de ſanctis, qui has nobiſcum terras incolunt. ac eos honorandos eſſe, auxilium eorum implorandũ, uota etiam & preces eorum pro alijs à Deo audiri, ſanctæ literæ teſtãtur his uerbis: Omnes honorate. Honore alius alium præuenite. Fratres orate pro nobis. Si quis fratrẽ ſuum peccatũ non lethale cõmittere uiderit, is ſi Deum poſcat, Deus illi uitam dabit, uidelicet peccantibus non lethaliter. Supplicate alius pro alio, ut ſanemini. Multũ ualet efficitq; uiri boni precatio. Huc pertinent exempla cùm multa alia, tum illud Pauli, cui in ſumma maris tempeſtate Deum precanti, cõdonati ſunt natiuigantes omnes, quorum capita erant ducenta ſeptuagintaſex. Igitur & præceptis & promiſsionibus diuinis, & exemplis, preces pro alijs ſanctorum qui nobiſcum uiuunt hanc mortalẽ uitam, commendari certum eſt. De ſanctis etiam qui è uita exceſſerunt honorandis, pro certo ab omnibus docetur. An uerò fides eorũ à nobis implorari debeat, de eo maiores noſtri, qui religionem Chriſtianam multis ſcriptorum monimentis celebrarunt, ſcrupulum & dubitationem nonnullam poſteris iniecisſe uidentur. Nam non ſolum di-

" 1. Pet. 2.
" Rom. 12.
" 1. Ioan. 5.
" Iac. 5.
" Act. 27.

uersi diuersa prodiderunt, sed à quibusdam eorum diuersis in locis ea scripta sunt, unde cõtrariæ sententiæ colligi possint. Augustinus de sanctis inuocandis scribit multa: multa de auxilijs illorum commemorat. In concionibus ad populum, iubet ut omnes se commendent precibus illorum: nominatim etiam, diuo Stephano. Aliorum
» fœlicitate celebrata, ita auxilia implorat: Vos qui meruistis consortes fieri supernorũ ciuium, & perfrui æternæ claritatis gloria, orate
» pro me ad Dominum, ut educat me de carcere isto, in quo teneor
» captiuus & ligatus. Ac inter cæteros, beatum Fœlicem Nolanum celebrat: eum à morte ciuibus suis apparuisse, cum auxilium illius, Nola à Barbaris obsidione cincta, implorarẽt. Multa eiusmodi cùm ex Augustino, tum ex alijs probatis scriptoribus collecta sunt ab Hoffmeystero, in Locis cõmunibus. Contrà alij ex eodem Augustino collegerũt, sanctos à morte non esse in illa beatitudine, in qua erunt cum dicetur eis, Venite benedicti patris mei: sed in requiem diem Domini expectare, non eos curã pro uiuis habere: non, quid agant uiui, scire. Idq; ex Esaiæ testimonio, cap. 63. Abraam nescivit nos, & Isaac ignorauit nos. Hæc uerò si ad hunc modum ponerentur, an non prorsus euerteretur omnis inuocatio, & omnes preces sanctorum, qui ex hac uita migrarunt? Quid quod in sacris literis non rarò sancti dormire dicuntur? Quod cum de corpore uix dici queat: utpote quod in puluerem redactũ, perijsse magis quàm dormire putandum sit: de animabus eorum intelligendũ esse uidetur. At qui dormit, orare nequit. Est enim oratio uigilantiũ, non somno oppressorum. Non dissimilia in aliorum scriptis, in utranq; partem legi possunt. Sunt etiam qui de sanctis loquendo, non quidẽ prorsus negant preces, solicitudinem, & uota illorum pro nobis: quos sibi coniungi optent, in cœlestibus domicilijs. Veruntamẽ negant, uiuis necessitatem imponendam esse illos inuocandi. Vt cum Ambrosius sic inquit: Ideo ad regẽ per tribunos aut comites itur, quia homo utique est rex, & nescit quibus debeat Rempub. credere. ad Deum autem, quem utiq; nihil latet, omniũ etiam merita nouit, ad promerendum suffragatore NON OPVS EST, sed mente deuota. Quod & Chrysostomus sic extulit: NON OPVS TIBI EST patronis apud Deum, neq; multo discursu ut blandiare eis: sed licet solus sis, patronoq; careas, & per teipsum Deum preceris, omnino tamẽ uoti compos eris. Neq; enim tam facilè Deus annuit, cum alij pro nobis orãt, ut cum ipsimet oramus, etiãsi pluribus malis simus pleni. Quamobrem moderatè mihi & scienter Erasmus hanc sententiam sic tẽperasse uidetur: Religiosi affectus est, credere sanctos
» nonnihil apud Deum posse. At quibus diuersa sedit opinio, pura
» mente sinceraq; fide inuocẽt Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.
» Nec obturbẽt odiosè ijs, qui citra superstitionẽ implorãt diuorum suffragia.

Ambrosius in epist. ad Rom. cap. 1.

Chrysost. homil. de profectu euang. tom. 6.

Erasmus Roterodamus.

ſuffragia. Vt enim noſtra uota non ſentiãt diui: ſentit tamẽ CHRISTVS, qui & amat ſimplices animas: etſi minus per ſanctos, certè pro ſanctis dabit nobis quæ petimus. Auguſtinus uerò ſic: Tutius, inquit, & iucundius loquor ad meũ IESVM, quàm ad aliquem ſanctorum ſpirituum Dei, plus debet mihi CHRISTVS, quàm † aliquis cœleſtium ſpirituum. Et hęc de ſententia maiorũ noſtrorum, interpretum ſacrorum Bibliorum, dicta ſint. De ſententia autem Bibliorum quid dicemus? Qui negant inuocationem ſanctorum, multa ex nouo & ueteri Teſtamento afferunt de inuocatione Dei, & filij ſui IESV CHRISTI. Qui confirmant, uix aliquid pro ea ex nouo Teſtamẽto proferre poſſunt. Ex ueteri quidẽ proferunt multa teſtimonia: ſed quæ Pighius ad inuocationem negat eſſe referenda. Sępe, inquit, in ueteri lege ſupplicabatur in memoriam patrum ſanctorũ, ut Moſes pro idololatris aurei uituli: Recordare, inquit, « Domine Abraam, Iſaac & Iacob, ſeruorũ tuorum. Sic pueri in for- « nace ardenti: Ne auferas miſericordiã tuam Domine à nobis, pro- « pter Abraam, Iſaac & Iacob, ſeruos tuos. Et Ezechię Dominum ro ganti reſpondet Deus per prophetã: Protegam urbem hanc, & ſal- « uabo eam, propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Sed tunc « non implorabantur eorum ſuffragia: quia non erant cõiuncti cum Deo in gloria, ſed ad reconciliationẽ uſq; in certo loco erant. Nunc quia regnant cũ CHRISTO, ideo eorũ auxilia imploramus. Quod ſi uerum dicit Pighius, mirum eſt multos theologos abuti autoritatibus ueteris Teſtamenti, ad confirmandam ſanctorum inuocationem. Eckius quidem multis teſtimonijs ueteris Teſtamenti addu- Eckius in Locis com. ctis, ſic concludit: *Si patres in limbo nondum clara diuinæ faciei uiſione beati pro ſuis orabant, quanto magis ſancti in æterna beatitudine, Deum facie ad faciem perpetuò cõtemplantes, credendi ſunt orare pro nobis?* Et tamẽ idem Eckius dicit, huiuſmodi inuocationem non prędcipi in ſacris Bibliis: non in ueteri Teſtamento, ubi populus alioqui erat propenſus in idololatriam, & patres erant in limbo nondum beati. Iſa. 63. Abraam neſciuit nos, Iſrael ignorauit nos. Sub Euangelio etiam non erat præceptum, ne gentiles cõuerſi crederent ſe iterum induci ad cultum terrigenarũ: ut pro ueteri more ſanctos nõ ut patronos, ſed ut deos adoraſſent: ſicut Lycaoniæ Paulo & Barnabæ ſacrificare uolebant. Porrò ſi apoſtoli & euãgeliſtæ docuiſſent ſanctos uenerãdos, arrogantiæ datum eis fuiſſet: ac ſi illi poſt mortem gloriam illam quæſiuiſſent. Noluit ergo Spiritus ſanctus, expreſsis ſcripturis docere uenerationem ſanctorum: ſed eiuſmodi firmatos in fide docuit, per miracula & ſanctorũ auxilia, fuſis ad eos precibus illos uenerãdos. Hactenus Eckij uerba. Quæ ſi accuratius expẽdas, non ab re mireris, eum prius dixiſſe, patres in limbo pro ſuis oraſſe: deinde ex ſentẽtia Eſaię pronũciare, Abraamum

Auguſtinus de Viſita. inf. lib. 2. cap. 2.

† *alicui*

neſciuiſſe nos, Iſraelem ignoraſſe nos. Quomodo enim aliquis pro eo orat, quem neſciat, quem ignoret? Quæ affert poſtea de propenſione ueteris populi in idololatriã, & de ſuſpicionibus noui, ſi quid audiuiſſent de diuis precibus uocandis: ut uera ſint, tamen non ſatis explicant quæſtionem. Quid enim, ſi quis non factæ mentionis de inuocandis diuis, illas præterea afferat cauſas quæ uulgò narrantur? Quòd ſi uerè Eckius dicit, non eſſe prẽceptã in ſacris literis inuocationem ſanctorũ, nec ueteri nec nouo populo: an non inde cõſequens eſt, non eſſe illam ipſam inuocationẽ neceſſariã, quæ prẽcepta nõ ſit? Certè quę audiuit filius Dei à patre ſuo, ea dicit ſe omnia annunciaſſe nobis. Quæ igitur non annũciauit, ea nec à patre audiuit. Qua igitur lege imponet populo Dei neceſſitas eius rei, quę nec à patre cœleſti audita eſt, nec à filio ſuo annũciata? Hæc enim cõſequentia ſunt eorũ quæ ſumpta ſunt ab Eckio: ut his cõceſſis, & illa cõcedi ſit neceſſe. Quod autẽ Eckius addit de auxilijs & miraculis ſanctorũ, non eſt eiuſmodi, ut inde debeat aliquod dogma ſtatui in
1. Pet. 4. Eccleſia Dei: in qua qui loquitur, loqui debet (ut Petrus inquit) di
Deut. 13. uina oracula. Extra quę, propheta deorũ ignotorum cultũ ſuadens, etiamſi ſigna & portẽta prædicat, quæ eueniãt, iubetur tamen occi-
Matth. 24. di. Surrecturos autem tales, qui ſigna & prodigia daturi eſſent, ut etiam electos (ſi fieri poſſet) in errorem inducãt, CHRISTVS olim prædixit: atq; ut ab illis caueremus, admonuit. Nota ſunt & illa, ſatanam ſolere ſe transformare in angelũ lucis: & ſpiritus probandos eſſe, num ex Deo ſint. Vnde uerò certius argumentũ ſpirituum capere poſſumus, quàm ex eloquijs Dei? Cum igitur multi ſint ita inſtituti, ut in cauſis religionis acquieſcere nulla in re poſsint, cuius demonſtrationẽ habere non queant ex diuinis eloquijs: par fuerit, ut ſanctorũ inuocatio aut autoritatibus Bibliorum cõfirmanda ſit, claris & certis: aut arbitrio cuiuſque permittenda, nec quiſquam ad eam cogendus: ſitq; de earum quæſtionum numero, in quibus cuique ſenſu ſuo abundare liceat. Hæc de officijs, quibus ſanctos proſequi debeamus. Sequitur, ut de ſacramentis dicendum ſit.

CAPVT XIIII.

De ſacramentis.

NON tantum in doctrina tradenda, ſed in procurandis ceremonijs ac ſacris myſterijs, gubernatio eccleſiarum & ſalus piorum hominũ poſita eſt. Ideo de his ipſis myſterijs, quæ Sacramenta uocãtur, dicamus: de quibus alij copioſè ſcripſerunt. In libro etiam confeſsionis fidei catholicæ in Petricouienſi ſynodo editæ, non tantum ex ſacris Biblijs, ſed ex ueterum autoritatibus, diligentiſsimè hic totus locus tractatus eſt. Nos, ne idem repetamus,

tamus, breuiores erimus. Quid ex sanctis scripturis colligi possit, indicabimus: simul eorum sententias, qui nostra tempestate de his aliter differere cœperunt, indicabimus: ut quibus hæc ignota sint, ante tempus Concilij dispiciant, quid in Ecclesia tandem ferri, quid prorsus tolli debeat. Incipiamus autem à definitione. Sacramentum aiunt esse, sacrę rei signum. Quę quidem definitio si recipiatur, excludentur ex sacramentorum numero omnia quę signa non sunt, sed res: ut orationes, eleemosynæ, preces, ieiunia. Quæ etiamsi promissionibus ornata sint cœlestium præmiorum, tamen magis sunt dicēda uirtutes, aut opera Christiani hominis, quàm signa. Rursus retenta signi ratione, nec ad definitionē, quam recitauimus, ulla additione facta, non tantum quę uulgò septem numerantur sacramenta erūt: sed alia multo plura, ut cruces, gestus, & uestitus, quibus sacerdotes in sacris utantur. Itaq; Petrus Lombardus, ut discedat ab illa pluralitate, & ad certum numerum reuocet sacramenta, dicit sacramentum propriè esse id quod ita signum est gratiæ Dei, & inuisibilis gratiæ uisibilis forma, ut ipsius imaginē gerat, & causa existat. Etsi aūt numeret Lombardus sacramēta septem, ea quæ etiamnum pro sacramentis habentur: tamen negādo postea, matrimonio conferri gratiam, sed illud in remediū tantum esse contra peccatum, uidetur etiam negare cōiugium propriè sacramentū dici debere. Cui enim non cōuenit definitio, ei nec res definita cōuenire potest. Itaq; & Erasmus affirmat, tēporibus Hieronymi matrimoniū non fuisse numeratum inter sacramenta: & ante hunc Durandus, negauit matrimonium numerum obtinere sacramentorum, quę sic propriè uocentur. Non est, inquit, matrimonium uniuocè sacramentum, sicut alia sacramenta nouæ legis. Nam nec confert gratiam non habenti, nec auget eam prius habenti. Et paulo pòst concludendo dicit, non esse sacramentū strictè & propriè dictum, sed largo modo: quia est signum coniunctionis CHRISTI cum Ecclesia. Ambrosius accuratè de sacramentis scripsit, sicq; librū suum orsus est: De sacramentis, quæ accepistis, sermonem adorior. Significat his uerbis, sermonem de sacramentis, quem prius uoce tradidisset, se scriptis committere uelle. Scripsit autem sex libros, nec tamen sacramenta numerauit: nec ullius, præterquam baptismi, & corporis ac sanguinis Dominici, mentionem fecit. Quod mihi argumento est, non omnibus usitatum fuisse, ut ad eum modū, quo hodie, numerarent sacramenta. Vbi enim magis appositè, magisq; necessariò id facere debebat, quàm in ijs libris, quibus non obiter, sed ex professo materiā sacramentorum explicandam suscepit? Non puto sanctum uirum oblíuione aut ignorantia id prętermisisse: sed fortasse numerus iste tum nondum erat receptus. Hodie tamen multi contendunt, usitatū numerum septenariū retinendum esse: utq; uulgò receptis sacramētis

Durand. 4. d. 26. q. 3.

eum accommodent, hanc constituunt definitionem: Sacramentum est signum efficax, à Deo ad hoc institutũ, ut significet in nobis certum quendam diuinæ operationis & gratiæ effectum: qui illis nunquam deest, nisi quid desit aut obsit in ijs qui utuntur eisdem. Hanc definitionem totidem uerbis Pighius recitat: eamq; baptismo, confirmationi, absolutioni, eucharistiæ, ordini, matrimonio, unctioni conuenire omnino ostẽdit. Nam etsi non omnibus istis gratia peccatorum nobis offeratur: offeruntur tamen aliæ gratiæ, quas multiplices esse testatur Paulus cùm alibi, tum 1. Cor. 13. Quamobrem Pighius reprehendit Euangelicos, qui aliam definitionem composuerint: ac gratiæ, quæ sacramentis cõferatur, nomine, solam remissionem peccatorũ intelligi uelint: cumq; matrimoniũ, confirmatio, & id genus alia, non ad gratiã remissionis peccatorũ instituta sint, ea in sacramentis numerari nolint. Veruntamen multi Euangelicorum ad eum sensum, ut dixit Pighius, multa numerant in sacramentis: nec matrimonium hoc numero excludunt, nec cõfirmationem, nec ordinem sacrum, quod Philippus Melanchthon planè & dilucidè scribit in libro Locorum cõmunium: & M. Bucerus in libro de Ratione optima componendæ religionis: Impositione, inquit, manuum, cum homines (percepto catechismo, & facta fidei suæ professione) in Christianismo confirmantur, debent intelligere & credere, se accipere Spiritum sanctum, quò in uia salutis perseuerare & progredi queant. Qui uerò eadẽ ceremonia impositionis manuum sacris deputãtur muneribus, sciant se donari eodem Spiritu sancto, quò CHRISTO in Ecclesia ritè & fructuosè deseruiant. Ita qui eo signo à peccatis, quæ iam legitimè cõfessi sunt, absoluuntur, & Ecclesiæ cõciliantur, non dubitent se uinculis peccatorũ liberari: CHRISTO in cœlis ratũ habente, quod minister gerit in terris. Hactenus Bucerus. Quid igitur causæ est, dicat quis, cur aliàs, præter baptismum & cœnam, in loco sacramentorũ isti ipsi nihil habendum putent? Quia tum uerbo sacramẽti notionem illam subijciunt, ut pertineat ad eos ritus & ceremonias quæ diuinitùs institutæ sint, ad testandam remissionem peccatorũ, Christiq; cõmunionem cum illis qui eis piè utantur. Atq; hac ratione tres faciunt uniuscuiusq; sacramenti partes. Primam partem elementũ uocant: quod sit signũ corporeum & aspectabile, oculos nostros admonẽs & erudiens de rebus inuisibilibus, quę nobis diuinitùs offerãtur. Altera pars est uerbum Dei, quo (inquit Augustinus) ad elementũ accedente, fiat sacramentum. incurrit autem uerbũ in aures, quemadmodũ elementum in oculos. Tertia pars est res ipsa, & elemento & uerbo repræsentata. hæc autem non iam sensibus, sed menti nostræ exhibetur: nempe ablutio à peccatis nostris: cõmunio cum CHRISTO, merito, iustitia, omnibusq; bonis eius: salus, & uita æterna. Hæc uerò

tanta

tanta bona, fide esse percipiēda, diuina oracula testātur. Quam quidem fidem, seu partem sacramentorū, seu rem necessariā sacramentis facias, nihil ad rem interest. Illud satis est, fidem esse, qua mysteria sacramentorū percipiamus. Hac igitur ratione baptismus, & cœna Domini, sacramēta erūt. omnia enim illa quę diximus, in eis insunt. Et baptismus quidem, inquit Pighius, ablutionis à peccatis signum est. Eucharistia animæ nostræ cibū confert, & unionē cum CHRISTO. Alia quę numerātur, in hunc numerū uenire non possunt, uel ipso eodē Pighio teste, qui ait, Sacramento ordinis cōferri Spiritus sancti gratiā non iustificantē, sed energiam ad functiones officij in utilitatem Ecclesiæ, ut dicit CHRISTVS: Accipite Spiritū sanctum: quibus remiseritis peccata, eis remittētur. Matrimonio indissolubilem cōiunctionem uiri cum uxore: & diuinā gratiam, qua torus ille sit sanctus & immaculatus. Vnctione, sanantis diuinę gratiæ dulcedinem. Confirmationē signum esse inhabitationis Spiritus sancti, quo homines cōtra pericula cōfirmantur. Hæc Pighius, quem multi catholicorū sequuntur. Ex his perspicuum est, non rem esse quæ controuersiā de numero sacramentorū inter partes faciat, sed uerbum, cui nō semper eadem sentētia subiecta sit: ac pro sentētiæ usurpatione ab alijs aliter sacramēta numerari, & ab ijsdem non semper eodem modo. Quoniā autem multi de singulis sacramētis scripserunt copiosissimè, nos quę ab alijs accepimus, breuiter & simplicissimè exponemus, ut quid in controuersia maneat, liquidò cognosci possit. Qui cōfirmationem sacramentorū numero expungunt, uisibiles Spiritus sancti gratias requirūt, quę impositione manuum ab Apostolis cōferebantur. Lucam narrare de Petro & Ioanne: illis orantibus, ac manus CHRISTI discipulis imponētibus, Spiritum sanctum in ipsos discipulos illapsum esse. Haccę re Simonē magum excitatum, emere uoluisse potestatē illam, ut cui manus imponeret, is acciperet Spiritum sanctū. De Paulo autē Ephesijs Euangelium annunciante, sic: Et cum imposuisset illis manus Paulus, uenit Spiritus sanctus super eos: & loquebātur linguis, & prophetabant. Vt igitur (inquiunt) confirmatio Apostolis sacramentū esset, qui non nuda manuū impositione uterētur, sed cum hoc signo uisibiles uirtutes & gratias conferrent: quid hoc tandem ad nostra tēpora, cum gratiæ illæ cōferri desierunt? Quorsum enim signū, sine re signata? Hanc autem ipsam ceremoniā impositionis manuum, non ad aliud Spiritus sancti donum pertinuisse, quàm ad illas mirabiles gratias, quas Spiritus sanctus principio nascentis Ecclesiæ, uisibiliter in populum suum effundebat: loca, quæ citauimus, planè testari. De unctione, quæ ab Apostolis adhibebatur ægrotis, idem affirmāt: eam tunc uiguisse, cum curationes, illustrandi & confirmādi Euangelij causa, uigebāt. Quibus cessantibus, quorsum signum usurpatur, cui res si-

Act. 8.

Act. 19.

Mar.6. res ſignata nulla ſubſit? Marcum ſic narrare de Apoſtolis: Vnge-
» bant oleo multos ægrotos,& ſanabant. Verùm non tantũ oleo,ſed
Act.28.19.5. impoſitione tum manuum, tum ſudariorũ, tum ſemicinctorũ, tum umbræ cõtactu Apoſtolos ſanaſſe,ſacram hiſtoriã teſtari.ut qua ratione unctio olei conſtituat ſacramentũ,eadem & reliqua ſigna,quibus Apoſtoli utebãtur ſanandis ægrotis. Neqꝫ ego uideo,ſi ad hæc Apoſtolorum exempla tum cõfirmatio, tum unctio exigenda ſint, quomodo ea hoc tempore in ſacramẽtis numerari debeãt. Niſi fortè his ceremoniꝭ aliud ſubeſt myſteriꝭ,quàm uel gratię uiſibiles,uel ſanationes.quod quidem ita eſſe,ritus horum temporũ indicant.Ferè enim ceremonia unctionis iꝭs adhibetur, quorũ uita deſperatur: ut magis eſſe uideatur quaſi fauſta quędã precatio itineris,iꝭs qui ex hac uita in aliam migraturi ſint,quàm remediũ ex morbo ad ſanitatem reuerſuris. Sed his de rebus aliꝭ copioſius ſcripſerũt. Impoſitione manuum olim facultatẽ Euangeliꝭ annunciãdi,& ſacramenta
1.Tim.4. adminiſtrãdi dari ſolitam,puto ſignificari illis uerbis Pauli: Ne neglexeris gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiã, cum impoſitione manuum ſacerdotiꝭ. Quòd ſi olim ſacramentũ erat,nunc quoqꝫ ſacramentum eſſe neceſſe eſt. Nam & ſignũ, & res ſignata, eadem eſt quæ olim fuerat. De matrimonio iam diximus. Dicamus de reliquis,quibus offertur nobis meritũ paſsionis CHRISTI, remiſsio peccatorum,cõmunio corporis & ſanguinis eius. Hęc in ueteri Eccleſia numerabãtur duo, circunciſio & agnus paſchalis. In noua, ut iam diximus, duo itidẽ numerantur, Baptiſmus & Cœna Domini. His nonnulli addunt Abſolutionẽ,non immeritò quidem, mea ſententia. nam eſt ſignum remiſsionis peccatorum,præclara pollicita-
» tione ipſis Apoſtolis cõmendatum: Quibus remiſeritis peccata, iꝭs
» remiſſa ſunt. Quòd ſi in ueteri Eccleſia purificationes erant, quę ſuã illi populo mundiciem exponebant: & lauacrum pollicebãtur,quo ſordes eorũ purgarentur: certè in noſtris eccleſiꝭ abſolutio purgationem nobis offert ſordiũ & iniquitatum noſtrorũ omnium,Chriſtumqꝫ nobis oſtẽdit fontem & cauſam eiuſmodi purgationis. Eſſe autem ſacramenta Iſraelitarũ cum noſtris diuerſa quidem ſignis ac ceremoniꝭ exterioribus,at myſteriꝭs eadem,multis uerũ & certum
Col.2. eſſe uidetur. Idqꝫ à Paulo planè ſignificatũ, cum & nos circunciſos
1.Cor.10. eſſe dicit,& patres baptizatos: eandemqꝫ illos eſcam comediſſe,potum eundem ſpiritualẽ bibiſſe. bibiſſe autem de petra,quę eos comitabatur,ſpirituali:hancqꝫ CHRISTVM ipſum fuiſſe.Neqꝫ uerò Paulus ignorabat elemẽta diuerſa,ritum quoqꝫ aliũ,& ceremonias alias fuiſſe Iſraelitarũ comedendi & bibẽdi,quàm noſtras. ſed quòd eundem cibum & eundem potum dicit, ad uim & efficaciã reſpexit: in qua rei ſumma magis poſita ſit,quàm in exterioribus ſignis. Quam-
Gen.17. obrem ut circunciſioni promiſsio addita erat (Ero Deus tibi,& ſemini

mini tuo post te in sempiternum) ita baptismo additur, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Vtrobiq; est promissio misericordiæ Domini, & uitæ æternæ. Non minusq; ad nos illam Dei promissionẽ Abrahæ factã pertinere, quàm ad Israelitas, in eo quoque significari, quòd secundũ Isaac filij simus promissionis: & non aliud nobis regnum cœlorum promittatur, quàm illud, ubi recumbimus cum Abraam, Isaac & Iacob. Eodem modo de Cœna Dominica nostra & ueterũ, figuris ei respondẽtibus, dicendũ est. Quas quidem figuras non semper easdẽ, sed pro temporũ ratione diuersas fuisse, sacra testatur historia, ut manna de cœlo delapsa, aqua è petra profluens, agnus memorialis transitus ex Aegypto. Hæc autem diuersitas Iudæos admonebat, ne quid siderent figuris, quæ perpetuæ non essent: sed aliquid firmius expectarẽt, cuius finis nullus esset. Nobis uerò unum est sacramentũ corporis & sanguinis Domini, non amplius mutandum. Iam enim CHRISTVS reuelatus est, post quem signorũ mutatio expectanda non est. De manna, petra, & agno paschali, in ueteri historia luculenter scribitur. De cœna uerò Domini in noua sic nobis mandatur: Accipite, comedite, hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus. Quibus uerbis apertè significatur, dari nobis in hoc sacramento corpus CHRISTI, & sanguinem CHRISTI. quemadmodũ & Paulus sic testatur: Panis quẽ frangimus, non'ne cõmunicatio corporis CHRISTI est? Poculum cui benedicimus, non'ne communicatio sanguinis CHRISTI est? Galat. 4. Matth. 8.

CAPVT XV.

De modo essendi & manducandi corporis CHRISTI, in sacramento cœnæ Domini.

MAGNAE disputationes exortæ sunt de his ipsis uerbis CHRISTI, dum modum existẽtiæ corporis & sanguinis CHRISTI in sacramento constituere nituntur: alijs substantialẽ præsentiam affirmãtibus, alijs negãtibus. Multis autem uiris eruditis ac pijs hominib. hæc disputatio inutilis esse uidetur: plus eam turbarũ, quàm fructus inuexisse in Ecclesiã Dei. Melius esse in uerbis CHRISTI resistere: corpus & sanguinem CHRISTI (quod uerba ipsius palàm indicãt) nobis dari credere, quàm in quæstiones spinosas de modo essendi descendere: quæ nec ex uerbis CHRISTI facilè possint definiri, nec ullam conscientijs afferant cõsolationem. Magnũ esse, dari nobis meritũ passionis CHRISTI, gloriã resurrectionis eius, innocentiã, iustitiam, sanctitatẽ in corpore & sanguine ipsius, dum hoc sacramento participamus. Hæc multo maiora esse, quàm si inter nos CHRISTVM naturali eius existentia conspiceremus. Quid enim, inquiũt, profuit Iudæis impijs, quid pharisæis cæcis, CHRISTVM in medio illorũ uersatum esse? manserũt in impie-

tate & cæcitate ſua: quia cum eis meritum, iuſtitiam & ſanctitatem ſuam CHRISTVS minimè cõmunicauit. Ipſa uirgo Maria, intra uiſcera ſua CHRISTI naturalẽ ſubſtantiã habuit: quę quidem omniũ mulierum beatiſsima, ore omniũ meritò prædicatur. Quãobrem? » Ipſamet ſic reſpõdet: Quia reſpexit humilitatẽ ancillæ ſuæ, unde ex » hoc beatã me dicent omnes generationes. CHRISTVS etiã mulieri ex turba clamãti, beatum eſſe uentrem qui illum portaſſet, reſpõdet » his uerbis: Imò beati qui uerbũ Dei & audiũt & cõſeruant. Beatitudinem ad auditores uerbi Dei, & factores transfert: de uentre qui illum portaſſet, cõticet. In eo item ſermone quem de cibo carnis ſuæ, uitam æternã dante, inſtituit: cum quidam ob carnalẽ manducationem, durum CHRISTI ſermonem, & auditu abominandũ dicerẽt, » CHRISTVS reſpõdet: Spiritũ eſſe qui uiuificet, carnẽ non prodeſſe » quicq̃: uerba quæ ad eos dixiſſet, ſpiritũ & uitam eſſe. Cum autem eo in loco de manducãda carne ſua loquatur, uidẽtur & hæc uerba ad hunc modũ interpretanda eſſe: Carnẽ manducatã non prodeſſe: ſpiritum eſſe qui profit, animet, uiuificet. Ad hæc CHRISTVS ipſe, etiamſi mittens apoſtolos ad doctrinã orbi diuulgandũ, promiſerit ſe fore omnibus diebus cum illis, ad conſummationẽ uſq; ſeculi: nihilominus cum de abitione ſua ad patrẽ loquitur, utiliorẽ hanc nobis fore dicit, quàm prẽſentiam corporalẽ. Scio quoſdam aſcenſum CHRISTI in cœlũ ita interpretari, ut illud cœlũ corda piorũ hominum eſſe intelligãt, quod ut non inſcitè dicatur (uerum eſt enim, regnum Dei intra nos eſſe) tamen hiſtoria, dum loquitur de hac ipſa aſcenſione, apertè indicat CHRISTI tranſitũ ex loco infero ad ſupe » rum. Quod illis uerbis palàm indicatur: Sublatis in altũ manibus, » receſsit ab eis, ac ferebatur in cœlũ: ſurſum aſſumptus eſt: in altum » ſublatus eſt, & nubes ſubduxit illũ ab oculis eorũ. & quæ ſequũtur. De corporali igitur profectione ad cœlum hoc corporale, quod ſupra nos cernimus, hiſtoria aſcẽſionis accipiẽda eſt. Cuius utilitatem ipſemet CHRISTVS ſuæ præſentiæ corporali præfert hiſce uerbis: » Expedit uobis ut ego uadã. Si enim non abiero, conſolator ille non » ueniet ad uos: ſin autẽ abiero, mittã eum ad uos. Quòd ſi tantus eſt fructus abitionis CHRISTI à nobis, ut ſine ea cõſolator ſpiritus ad nos, cum donis ſuis, quibus Eccleſiã plantat, ornat & auget, uenturus nõ eſſet: ille inquã ſpiritus, quẽ qui non habet, hic nõ eſt Chriſti: qui habet, eſt filius Dei: ſi inquam hic eſt fructus corporalis abitus, quid adhuc tãta digladiatione rixamur de Chriſti exiſtẽtia ſubſtantiali? cum hac nõ poſita, tot & tãta cõmoda ad nos perueniãt, quanta nullius lingua pro dignitate explicare poteſt? Hæc & eiuſmodi alia multa proferũtur ab ijs, quibus diſputatio hæc de CHRISTI naturali ſubſiſtentia inutilis eſſe uideẽ. Nos uerò ſimpliciter dicamus, in cœna omnino exhiberi corpus & ſanguinẽ CHRISTI. Ipſe enim dicit:

dicit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum: Bibite, hoc est san- «
guis meus. Credo igitur accipi & comedi corpus Christi, propter «
uerbū eius qui me fallere nequit. De modo essendi, qui uerbo defi
nitus nō est, solicitus esse nolo. Credo quoq;, ipsum Christū de uir-
gine natū esse opera Spiritus sancti: de modo nascēdi inquirere, nō
est meum. Credo eundē à morte reuixisse, & nos omnes suo tēpore
reuicturos Dei uirtute: modū reuiuiscēdi inuestigare nolo, nam res
non est facultatis meæ. Et tamen ut natiuitatis & resurrectionis fru
ctus ad me peruenit: ita corporis & sanguinis CHRISTI, etiamsi ho
rum modum essendi in sacramēto intelligētia mea non assequar, fru
ctus, & (ut Paulus loquitur) cōmunio ad me redundat. Verè enim
cōmunicat nobiscū CHRISTVS corpus & sanguinē suū, nos unum
secum efficiēdo: ac in societatē uitæ suæ, iustitiæ, sanctitatis, ac bono
rum omniū nos sibi adiungēdo. Quòd si de ratione manducandi
quæratur, ea distinguenda uidetur pro ratione eorū, quibus sacra-
mentū hoc cōstat. Nam si de signis quęstio fiat, ea ore corporis sumi
uidemus. Si de rebus sacris, hoc est ipso corpore & sanguine CHRI
STI, ea carnali ore accipi non posse, multis est uisum: propterea q;
quæ ore carnali sumātur, ea & dentibus mandūtur ac molliūtur, &
in uentrem demittūtur: partim̄q; in naturā eorū qui uescūtur tran-
seunt, partim foras eiiciuntur. quæ quidē omnia rerū sunt intereun
tiū, & in nihilū occidentiū: corpori Christi, ab omni interitu remo-
tissimo, cōpetere nō possunt. Neq; igitur ei cōpetet māducatio oris
carnalis, sed omnino oris fidei. De qua scitè mihi sic Augustinus di-
xisse uidetur: Quid paras dentes & uentrē? Crede, & māducasti. «
Non sine causa aūt multi putāt, hanc ipsam manducationem à Chri
sto cōmendatam esse in sermone illo à Ioanne cap. 6. cōscripto: Nisi «
ederitis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinē, non habebitis «
uitā in uobis. Qui edit meā carnē, & bibit meū sanguinē, habet uitā «
æternā. Vocatur aūt hæc māducatio & bibitio spiritualis: quā non- «
nulli idē esse dicūt quod fidē, propterea q; uitā æternā, quam Chri-
stus manducātibus & bibētibus pollicetur, eandē credētib. eodem
in sermone promittit his uerbis: Hæc est uoluntas patris, ut omnis «
qui uidet filiū, & credit in eū, habeat uitā æternā. Et, Qui cōfidit mi- «
hi, habet uitā æternā. Et paulo antè dixit: Qui uenit ad me, non esu- «
riet: & qui credit in me, nō sitiet unq;. Quid est hoc, non sitire eum «
qui credat? Potius dixisset: Qui bibit me, nō sitiet. Extinguit enim
sitis bibēdo, non credēdo. Verùm quia bibēdi rationē fide cōstare,
ostēdere uoluit, unū pro alio posuit. Sunt tamē qui hanc ipsam spi
ritualē manducationē non idē cum fide, sed fidei potius effectū esse
statuāt. Neq; enim satis esse, si fide CHRISTVM ita cōplectamur, ut
eū quomodolibet aspiciamus, sed ut intra nos manentē sentiamus.
Id significari tum nomine (quo se CHRISTVS appellauit) panis, qui

neminem pascat conspectus, sed intra uiscera immissus: tum uerbis manducādi ac bibēdi, quibus non tantū ea notio subest, cibū & potum fide cōplectendum esse, sed in intima præcordia recipiendum. Quamobrē ut manducatio carnalis est, cum cibū ore carnis intra uiscera ita sumimus, ut inde uitam naturalē uiuamus: ita spiritualis, de qua loquimur, est, cum Christū mente & animo ita intra nos accipimus, ut inde animus noster alatur & uegetetur in uitam spiritualē: sitq; caro nostra ex eius carne, os ex ossibus. Sic enim uerè cōmunionem cum carne & sanguine ipsius habebimus, cum non tantū iustitia, sanctitate, & bonis eius participabimus: sed corpore ipsius pro nobis tradito pasci, & sanguine pro nobis fuso poti erimus. Hæc de māducatione spirituali: cuius pij homines participes esse possūt, impij non possunt. Qui enim pascitur Christi carne, manet in Christo, & Christus in ipso: est Christi membrū, agitur spiritu Christi. Cum aūt impijs à satana occupatis id nullo modo cōgruat, māducationis huius capaces esse nequeūt. Itaq; si manducāt, sacramētaliter tantū manducāt. sicut inquit Augustin. de Iuda, eum māducasse panem Domini, non Dominū. Hocq; est uel præcipuū discrimē inter spiritualē & corporalē manducationē, q; illa solis pijs attribuatur,
» hæc etiā impijs cōtingat, Paulo sic attestāte: Qui ederit panē hunc,
» aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit ob corpus & san-
» guinē Domini. Qui edit aut bibit indignè, iudiciū sibi edit & bibit.
Ex quo perspicuū est, sacramentalē manducationē, si spiritualis ad eam nō accesserit, noxiā esse utētibus: si accesserit, incredibiles, ut diximus, eam adferre utilitates. Etsi aūt cōcio CHRISTI, quā Ioannes cap. 6. diuinè descripsit, de spirituali manducatione in primis intelligēda sit: tamē & ad sacrā cœnā eam accōmodari posse, uerba illa indicāt: Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Quibus uerbis quid aliud promittitur, q̄ quod offertur &
» exhibetur istis: Hoc est corpus meū, quod pro uobis traditur? Illic
dicitur, Panis quē ego dabo, caro mea est: hic, Hoc est corpus meū. Vtrobiq; fit mētio carnis, seu corporis: illic quidem, pro mūdi uita dādi: hic, pro nobis tradēdi. Cum igitur utrisq; uerbis CHRISTVS redemptionē nostri nobis promittat per corpus suū, quod in cibū nobis offert: in cōcione aūt à Ioāne descripta, spiritualis māducatio à nobis exigatur: certè & in cœna eadē nō minus exigitur: nec quicquam cœna addit ultra id quod à Ioāne descriptū est, præter māducationem sacramentalē. Hæcq; causa plerisq; uisa est, quamobrem à Ioāne cœnæ institutio omissa sit, q; de ea satis dixerit cap. 6. Parum enim probabiliter nōnulli dicūt, ideo omissam esse, q; ab alijs copiosè descripta sit. nam eadē ratione historiā passionis CHRISTI scribere supersedisset. Quod si quis cōtendat, manducationē sacramentalem minimè esse necessariā, cum ex spirituali fructus omnis uitæ

immor-

immortalis proueniat: respõsum est in promptu, Deũ non tantũ rebus inuisibilibus, sed & uisibilibus cõmendare nobis uoluisse sua beneficia. Itaq; & eunuchũ iam credentẽ, uerboq; Dei ad salutẽ eruditum, & Corneliũ cum omnibus domesticis ad Petri prędicationem iam spiritu sancto donatũ, aqua baptizari uoluit. Ad eum modum, cum res corporis & sanguinis CHRISTI offeratur nobis, unà cum panis & poculi Dñi exhibitiõe, percipiẽda sunt dona hęc, quib. Dominus nõ ludit nos, sed uerè pręstat, q̃d uerbis porrigit & exhibet.

CAPUT XVI.

De modo transubstantiandi panis & uini in corpus & sanguinem Christi.

ATQVE ad hunc modum mysterio cœnæ Domini explicato, quod uocãt rem signatã sacramẽti: de signo quoq; dicendũ est, quod nõ omnib. idem esse uidetur. Alij panẽ & uinũ, alij species panis & uini signa esse dicũt cœnæ Dominicæ. Quæ & ipsa cõtrouersia intricatior est, q̃q; utilior. Paulus quidem certè, etiã post benedictionẽ, panis appellatione utitur, his uerbis: Panis quem frãgimus, nõne cõmunicatio corporis Christi est? Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Qui mãducauerit panem hunc, & biberit calicẽ Domini indignè, &c. CHRISTVS etiã de pane qui esset corpus suũ, sic loquitur: Panis quẽ ego dabo, caro mea est. Nõ ignoro, multos ueterũ facere mentionẽ cõuersionis panis in corpus Christi, & uini in sanguinẽ. quorũ uerba citãtur à Lõbardo & Gratiano. Clarissima aũt uidẽtur esse illa Ambrosij, quib. multum nitũtur doctores scholastici: Panis est in altari usitatus ante uerba sacramentorũ, ubi accessit cõsecratio, de pane fit caro Christi. Et paulo pòst: Sic quod erat panis ante cõsecrationẽ, iam corpus Christi est post consecrationẽ. quia sermo Christi creaturã mutat: & sic ex pane fit corpus Christi. Neq; ego negare sustineo, hanc esse uerborũ Ambrosij sententiã, quam prę se ferũt. Toto enim canone, qui incipit, Reuera mirabile, exẽpla colligit, quib. persuadere uult, possibilẽ esse Deo conuersionẽ rerũ aliquarũ in alias. Ac tandem concludens ait: Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, nõ potest ea quę sunt, in id mutare quod nõ erãt? Hęc ille. Verùm si autoritatib. magnorũ uirorũ remotis, spectemus rem ipsam, diuersam sanè rationẽ uidebimus enunciationũ quæ simpliciter dicant esse, & earũ quæ dicãt esse cum adiũctione modi alicuius. Quis enim nõ uidet, longissimũ esse discrimẽ inter has duas, Petrus est albus, & Petrus est albus necessariò? quarũ altera uera esse potest, altera omnino falsa est. Non nego, Deũ ex Iuda Iscariote facere posse Simonẽ Ionaidã. at nego, Deũ id unq; feciss e. Cõcesso igitur hoc antecedẽte, Deũ cõuertere posse panẽ in corpus Christi: qua me ratione coges, ut cõcedã, Deũ id feciss e? Iam si propter Ambrosij autori-

« Sen. 4. d. 11.
« De consec. d. 2.

tatem tollimus ex sacramẽto panis substantiã, tollemus & figuram.
c. Omnia quæ cunq; uoluit. Sic enim idẽ inquit: Licet figura panis & uini uideatur, nihil tamen aliud q̃ caro Christi & sanguis post consecrationem credendũ est. Quòd si autoritate hac dissimulata, retinendã putamus figuram, & alias panis qualitates: cur non & substantiã retinemus, alijs autoritatibus dissimulatis? Collegit Hoffmeysterus alias ueterũ autoritates, qui in sermonib. de cœna Domini mentionẽ faciũt transubstantiationis, transelemẽtationis, trãsmutationis. Quæ uerba ego ita interpretor, post benedictionẽ, panem esse ideo transmutatũ, quia ex cõmuni pane factus sit sacer panis: qui amplius in usus profanos cõferri minimè debeat. Cęterùm haud scio, an quis unq̃ transubstantiationis nomine intellexit panis desitionẽ illã, quæ est (ut scholastici theologi interpretãtur) à simpliciter esse eius, ad simpliciter non esse eius. Sacramẽta hæc sunt, & mysteria, de quibus loquimur. Nõ igitur desitio, aut ulla mutatio naturalis, sed mystica, in eis cogitãda est: ut quod antè, cum de pistrino sumptum est, nihil aliud q̃ panis fuit: sit deinceps panis sacer, quo uerè exhibeatur res sacra. Timent multi, ne si pronomine HOC, demõstretur panis: admittere cogantur absurditatẽ illã, substantiã panis idem esse quod substantiã corporis Christi: uerùm nihilo secius idem absurdũ cõsequitur, si pronomine Hoc, demõstres accidentia panis & uini. Ita & accidẽtia tollenda essent, absurditatis uitãdæ gratia, sicut substãtia panis & uini tollitur. Quòd si retinẽda putas horũ accidẽtia, cur non retineatur substãtia, quæ fulcrũ est accidentiũ omniũ? Scitũ est illud, demonstrationem aliàs sensui fieri, aliàs intellectui: pro cuius ratione rem eandem, nõ eodem semper modo tribui rei subiectæ. Cum aũt in sacramento cœnæ, quemadmodũ in cęteris, & signũ adsit, & signatũ, si pronomine Hoc demõstretur signũ, prædicationem esse synecdochicã, dicendo, Hoc est corpus meũ: si signatũ, identicã (his enim uocabulis utũtur, qui his subtilitatib. delectãtur) sensumq̃ hunc esse, Hoc ens, contentũ sub isto signo sensibili, est corpus meũ. Vtrumcũq̃ dicas, causa nõ uidetur esse, cur panis & uini substãtia adimẽda sit ex hoc sacramẽto. quod ex aliorũ sacramentorũ ratione ostendi potest. Non'ne quod in memoriã trãsitus ex Aegypto præcipitur Iudæis comedendum, est agnus? Et tamen de illo dicitur: Est enim phase, id est trãsitus Domini. Nõ'ne, quo tingimur in remissionem peccatorũ, est aqua? & tamẽ dicitur lauacrũ regenerationis. Quòd si hæc illis substãtijs tribuũtur, sine illarũ mutatione: quid opus est fingere mutationẽ uel desitionẽ panis, propterea quia de eo dicitur esse corpus Christi? Vrgeamus similitudines usitatas. Quemadmodum aquâ corporis sordes abluuntur, ita baptismo maculæ animi. Tolle substantiã aquæ ex baptismo, quomodo constabit hæc similitudo? ita si sustuleris panis substantiã ex hoc sacramẽto, quomodo

simili-

similitudo hæc retinebitur: Sicut pane & uino aluntur corpora nostra, ita corpore & sanguine Christi animæ nostræ? Quòd si huius sacramenti institutionẽ uideamus, CHRISTVS certè panem in manus accepit: de eo dixit, Hoc est corpus meũ. Quem panem cum antea se daturum promisit, sic de eo dixit: Panis quem ego dabo, caro mea est. Ecce tibi eiusmodi prędicatio, uel Christo autore minimè absurda: Panis est caro mea. Quod & Augustinus sic: Quod uidistis, panis est, & calix: quod uobis etiã oculi uestri renunciãt. Quod aũt fides uestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis. Quorsum igitur ex media sophistria accersuntur mõstra illa prædicationũ dictu infandarũ? At transubstãtiatio iamiude à concilio Lateranensi firmiter in ecclesijs creditur. Scio. Sed eadem priori Ecclesiæ, autore Erasmo, ignota fuit. Olim, inquit, satis erat credere, corpus Domini adesse per cõsecrationem sacerdotis: pòst inuenta est transubstantiatio. Scotus dicit, philosophũ pro maiore incõueniente habere, substantiã panis negãdo, cp̃ haberet de omnibus articulis, quos habemus de incarnatione. Addit etiã, mirũ esse, quamobrem in hoc articulo, qui non est principalis articulus fidei, debeat talis intellectus asseri, propter quem fides pateat cõtemptui omnium sequentiũ rationem. Et hæc dicit Scotus, argumentãdo in eam partem, quæ asserit, cum Christi corpore adesse panẽ in eucharistia. Quæ argumenta soluit quidem, sed mirũ quàm frigidę sint solutiones: quàm illa inexplicabilia, quibus explicat transubstãtiationem? Panis, inquit, desinit esse hic: & nõ acquirit aliam præsentiam alibi. Panis quia non manet in esse substãtiali, oportet cp̃ desinat desitione, quę est à simpliciter esse eius, ad simpliciter nõ esse eius. Hęc si ita habent, uir acute, cur negas annihilationem? Quomodo enim non est nihil, quod præsentiã nullibi habet? Quòd si est nihil, quomodo non est annihilatũ, cum prius aliquid esset? Excipis tu quidẽ, ad annihilationẽ requiri præterea, ut nihil succedat ei quod esse desijt. Verùm hæc nulla ratione fulciũtur. Nam finis huius desitionis est, non esse simpliciter. Panis igitur in nihilũ recidit. at id sine annihilatione nullo modo intelligi potest. quemadmodũ esse albũ, sine dealbatione intelligi non potest, in eo quod prius non erat album. Quòd uerò corpus Christi acquirit in sacramento esse hic, id minimè excludit annihilationem panis: posita quidem eius desitione ad non esse simpliciter: quemadmodũ generatio aquæ in materia quæ prius suberat igni, non excludit ignis corruptionẽ. Quot, dij boni, quæstiones, quãtis cum sudoribus excogitatæ sunt in circulis scholasticorũ, inuenta ista transubstãtiatione? Qua ignorata, ne quęstiones quidem illæ sciebãtur ab hominibus pijs & doctis in prima Ecclesia. Quamobrem? Ingenio'ne, an studio, an donis cœlestibus minus prædiți erãt? Atqui solertiã illorũ in omni disciplina maiorem,

Augustinus in serm. ad infantes.

studium

ſtudium religionis ardentius, dona ſpiritus diuini ampliora in illis fuiſſe, monimenta illorū literis mādata teſtātur. Quòd ſi trāſubſtantiatio iſta minimè erat neceſſaria, quæ à prima Eccleſia cognoſceretur, cur hodie tanq̄ maximè neceſſaria urgetur? Certè in ea tot inſunt obſcuritates, quot uix reperias in numeris Platonicis. Primùm de panis prę̄ſentia Scotus, mea ſententia, utitur argumentis firmiſsimis: quibus opponit ſolutiones adeò debiles, ut niſi tāto ſudore ac labore conaretur perſuadere, eſſe tranſubſtantiationē, putarē eum præuaricatorem agere in hac cauſa. Durandus aūt utraq̄ argumēta ſoluit: & quibus negatur præſentia panis, & quibus eadem affirmatur. Ita Durādus in utranq̄ partem & affert rationes probabiles, & eaſdem ſoluit: eſtq̄ ei hoc problema de eorū numero, quæ Dialecti ci uocāt neutra. Quamuis enim, inquit, modus iſte de facto tenēdus eſt, ſcilicet corpus Chriſti in ſacramento altaris eſſe, cōuerſa ſubſtantia panis in ipſum: nō eſt tamen negandū, quin alius modus ſit Deo poſsibilis, uidelicet q̄ Deus poſſet facere, quòd remanente ſubſtantia panis, corpus Chriſti eſſet in hoc ſacramento. Addit idem: Satis durū eſt, & derogare uidetur immenſitati diuinæ potentiæ, dicere q̄ Deus non poſſet facere corpus ſuū eſſe in ſacramento per alium modū, q̄ per cōuerſionem ſubſtātiæ panis in ipſum. & quæ ſequuntur apud Durandū. Hæc de ipſa tranſubſtantiatione. Deinde de modo tranſubſtantiādi, Thomas & Scotus negāt, eſſe panis annihilationem, aut corruptionē. Durādus cōcedit uel annihilationē, uel corruptionem. Hunc̄q̄ cōuerſionis modum ſubſtātię panis in corpus Chriſti affirmat eſſe poſsibilem & intelligibilē: itaq̄ amplectendum, alterū illū, quo & annihilatio & corruptio negatur, inintelligibilem: itaq̄ reſpuendū. Præſertim cum neuter præ altero ſit magis uel approbatus ab Eccleſia, uel reprobatus. Difficultates fidei non eſſe alijs difficultatibus cumulādas: ſed potius omnes eius obſcuritates elucidādas. Poſtea de modis loquēdi diſputāt. Ait Thomas, cui ſubſcribit Gabriel Byel, hanc falſam eſſe, Panis eſt corpus Chriſti: has ueras, Ex pane fit corpus Chriſti, De pane fit corpus Chriſti: ſi uidelicet De uel Ex, non circunſtantiā materiæ, ſed circunſtantiam ordinis deſignent. Cōtrà Durādus: Cum uerbo, inquit, eſſendi uel fiendi, propoſitiones aut non ſunt ueræ, aut nō ſunt proprię. ut ſi dicatur, Panis eſt corpus Chriſti, falſa eſt: quia panis nō eſt, ſeu nō manet. Si aūt dicatur, quòd panis ſit corpus Chriſti, uel ex pane fit corpus Chriſti, falſæ ſunt, uel ualde impropriæ: quia quōd præexiſtit factioni, non fit per illam factionem. Sed corpus Chriſti præexiſtit cōuerſioni panis in ipſum: ergo non fit ex pane cōuerſo: nec panis fit corpus, in quod cōuertitur. Quia in permanentibus quod fit, quādo factū eſt, eſt: ſed quādo panis eſt cōuerſus in corpus Chriſti, non eſt uerum dicere, q̄ panis ſit corpus Chriſti. Ergo in cōuerſione

sione non est uerum dicere, quòd panis fiat corpus Christi. Verum tamen quia sancti non semper obseruant proprietatem locutionis, ideo aliquæ de prędictis locutionibus inueniuntur dictæ à quibusdam sanctis, & maximè ab Ambrosio. Hactenus sententiæ magistrorum nostrorũ. Quæ cum à me discendi causa legerentur, uidereḿq; non minus discordes esse, quàm aduocati Terentiani de Antiphonis nuptijs rogati discordãt: exclamaui & ipse cum Demipho ne, Incertior sum multo quàm dudũ. Nisi quòd minore cum periculo incertus quis esse potest de rebus profanis, quàm sacris, quæ ad religionem pertineant. Quoniã aũt uideo transubstantiationẽ nec inter religionis nostrę axiomata numerari, nec eam in sanctis literis nominatim haberi, nec ex ijs quę expressè posita sunt, necessariò colligi posse: puto rem in cõcilio minimè prætermittendã. Cuius concilij potestas erit, de ea statuendi: quemadmodũ olim à posterioribus cõcilijs priorum decreta emendata esse, autor est Augustinus. Hactenus de signo & signato sacramẽti in cœna Domini instituti.

CAPUT XVII.

De adoratione CHRISTI in sacramento cœnæ: de circumlatione: de modo seruandi in sacrarijs.

ENIAMVS ad alia, quæ propria egent explicatione, & quę hodie multorũ hominũ in disputatione uersant̃: ut de CHRISTI adoratione in sacramento cœnæ, de circumgestatione, & alijs id genus rebus. Quæ disputationes cognoscendę sunt ijs, qui in cõcilio dicturi sunt sententias. Nemini aũt ignota est doctrina, quę traditur in ecclesijs nostris: sed quid alij doceãt, non est ignorandũ. Multi uenerationẽ in eo sitã perhibent, ne quis, nisi prius se explorato, sumat: idq; in memoriã Domini. Cõuiuium enim hoc commune non esse, nec uulgare: sed & Christianorũ proprium, & nequaq; in uulgus celebrandũ. Nemini itaq; illud inire licere, nisi qui prius se examinauerit atque explorauerit: ut bene sibi conscius, edat de pane illo, & de poculo bibat. Secus sumentes, indignè sumere: damnationem sibi sumere, ut qui de Domini corpore non rectè iudicent. De eadem re Erasmus sic scribit: Si in Ecclesia totus est CHRISTVS, cur non est adorandus? Nullũ est sacramentum tam humile, cui non assistamus nudis capitibus, cum administratur: uelut in baptismo, in cõfirmatione paruulorũ. Quid sentiũt igitur, qui putant idololatriã esse, si huic sacramento caput aperiãt, etiamsi corpus & sanguis CHRISTI ibi sint in sacro signo? Addit & hęc: Quidam sibi ualde pij uidentur, si quoties sacerdos finit uidere corpus Domini, undiq; accurrãt, ac è proximo defixis oculis intueantur. Quãto religiosius erat, cum publicano, procul à cancellis abstinere: & corpore humi fuso, mente adorare crucifixũ? Nullus est

tam ſtolidus, ut humanam Chriſti naturam adoret pro diuina, aut ut panem & uinũ adoret pro Chriſto. Quoniã autem nemo certus eſt, an ſacerdos uerè cõſecrauerit, præter ipſum unũ: nullus ibi adorat Chriſtum, niſi ſub tacita cõditione. Et tamen id quod in Chriſto propriè adoratur, nuſq; non adeſt. Hæc ille. Pompas circumlationum & oſtentationũ ſacramenti, maxima hominum celebritate ubiq; per orbem Chriſtianũ peragi, non ignoramus. Sed nunquid
Act.7. » hæc cõgruunt cum diuinis illis ſententijs? Excelſiſsimus ille non in
Eſa.66. » manufactis templis habitat, ſicut propheta dicit: Cœlũ mihi ſedes
» eſt, terra autem ſcabellũ pedum meorũ. Quam domum ædificabi-
» tis mihi, dicit Dominus: aut quis locus requietionis meæ eſt? non-
» ne manus mea hæc fecit omnia? Et hæc quidem Stephanus proto-
Act.17. » martyr. Paulus autem ſic: Deus non in manufactis templis habitat,
» nec manibus humanis colitur, indigẽs aliquo: cum ipſe dederit om-
» nibus uitam, & halitum per omnia. Eraſmus item: CHRISTVS, inquit, in eo ſacramento eſt ſub ratione cibi ac potus, ut ſumma cum animi puritate ſumatur: nõ ut oſtentet, aut in ludis publicis q; pompis circũferatur, aut in equo circum arua uehatur. Id nequaq; eſt ueteris exempli: ſed in hoc, multitudinis affectui plus ſatis indultũ eſt.

Ego uerò quid his autoritatibus addam, nihil habeo: ſed hæc & ſimilia uiris doctis diligenter eſſe animaduertenda cenſeo. Multis argumentis colligunt nõnulli uiri docti, morem ſeruandi corporis CHRISTI in ſacrarijs, à ueteribus ad nos defluxiſſe, uel propter ægrotos, uel propter alias cauſas. Veruntamen haud ſcio, an hoc pro fidei articulo Eccleſiæ obtrudi non debeat. Nam ad omnem neceſsitatem uerbis ſolennibus à ſacerdote prolatis, ſacramentũ cõficitur. Iucũdius autem, & ad conſolandũ accõmodatius, tum ægroto, tum cuiuis ſacramentũ expetenti eſſet, audire ex ore ſacerdotis Chriſti inſtitutionem, & conuiuij myſtici cõfectionem. Quorſum igitur aſſeruari oporteret? Quot cautionibus & prouiſionibus opus eſt, ut de mucore abigendo, de muriũ corroſione auertẽda, de q; id genus alijs? Hæ omnes ceſſarent, more conſecrandi, cum uſus eſſet, introducto: nec cuſtodire & aſſeruare ſacramentũ opus eſſet. Multi perſuaſiſsimũ habent, nihil nec de euchariſtia, nec de alijs ſacramentis conſtitui oportere, quàm quod uerbo CHRISTI, qui autor ſit illorum, comprehendatur. Atqui uerba omnia CHRISTI ad nos pertinere certũ eſt. Non enim panis, non uini cauſa dicitur, Hoc eſt corpus meũ, Hoc eſt ſanguis meus: ſed noſtra. His porrò uerbis nõne illa cõtinenter præpoſita ſunt, Accipite, Comedite, Bibite? Quòd ſi ſeparanda non ſunt quæ Deus cõiunxit, quomodo cõmunicationem ſeparabimus ab eo pane qui eſt corpus Chriſti, & ab eo calice qui eſt ſanguis Chriſti? Datur enim corpus, ſed ut edat: datur ſanguis, ſed ut bibatur. Quorſum igitur ſeruabitur? quorſum circumferetur?

feretur? imò quid erit, si non ex præscripto CHRISTI accipietur, comedetur, bibetur? Non auderem hoc argumẽto uti, nisi illud Origenes usurparet in Leuit. Hom. 5. cap. 7. his uerbis: Nam & Dominus panem quem discipulis dabat, & dicebat eis, Accipite, manducate: non distulit, nec seruari iussit in crastinũ. Hoc fortasse mysterij cõtinetur etiam in eo, quòd panem non iubet portari in uia: ut semper recentes, quos intra te geras, uerbi Dei panes proferas. Sunt & illa uerba obseruanda Clementis, quæ Gratianus refert: Certè tanta in altario holocausta offerũtur, quanta populo sufficere debeant. Quòd si remãserint in crastinũ, non reseruentur: sed cum timore & tremore, clericorũ diligentia, cõsumantur. Expendendum igitur & hoc est, ut quid Deo publicè statui debeat, antè cognoscatur. De consecr. d. 2. c. Tribus.

CAPUT XVIII.

De sacrificio Missæ.

RESTAT dicere de sacrificio: de quo cõtrouersia talis mihi esse uidetur, ut si utrinq; scribentes uia & ratione procederent, magno sese labore colligendorum testimoniorũ liberarent. Nunc testimonia innumera congeruntur: pugnatur à partibus acriter: definitio ac diuisio sacrificij à paucis tractatur: à multo pluribus in totum omittitur: qua tamen posita, cessat cõtentio omnis. Quod nos ex sententia illorũ, à quibus hæc accepimus, breuiter ostendemus. Sacrificiũ esse definiunt, opus à Deo institutũ, placandi illius, honorisue illi exhibendi causa. Atq; hinc duas sacrificij formas cõstituunt: alterũ uocant expiationis, quo expientur peccata nostra, satisq; Deo fiat pro culpa & pœna illorum: alterum laudis, seu gratiarũ actionis, quod græcè eucharisticon appellant, ad agendas Deo gratias, pro illius beneficijs infinitis destinatum. Hoc sensu Psalmista uocat sacrificia iustitiæ, quæ cum fide & uera pietate fiant ab hominibus Deo recõciliatis: spiritũ item contribulatum, cor contritũ & humiliatũ, ob acrem sensum peccati. ad hæc, hostiã laudis, & inuocationem nominis Dei: hoc est, studium benignitatis diuinæ celebrãdæ, & laudibus prædicandæ. Ad summam, salutare sacrificium dicit esse Iesus Sirach, studere mãdatis, ac discedere ab omni iniquitate. Augustinus uerò, omne opus bonũ, Deo placitum, quod propter ipsum fit, & ad eum refertur, sacrificium dici scribit. An igitur missa est sacrificium? Qui id negant, de propitiatorio intelligũt: idq; solum & unicũ fuisse mortem CHRISTI dicunt, quæ peccata nostra abluit, ac iustitiæ Dei pro nobis satisfecit. Quod sic apud Apostolum in epistola ad Hebræos: Semel « oblatus est, ad exhaurienda multorũ peccata. Vnica oblatione con « summauit in perpetuũ, eos qui sanctificãtur. Vbi peccatorũ remis- « sio est, non est amplius oblatio pro peccato. Absque sanguinis effu- Psal. 4. 51. 115. Ecclesiastici 35. Augustinus de Ciuit. Dei lib. 10. cap. 6.

sione non fit remissio. Hæc ferè sunt, quę ab ijs citantur, qui negant missam esse sacrificiū. Qui concedunt, de eucharistico sacrificio loquuntur: de eoq; CHRISTVM cœnam instituisse cōfirmant, uerbis
» illis historiæ euāgelicæ: Cœnātibus illis, accepit IESVS panem, &
» gratias egit, ac fregit. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit discipulis. Celebrantur enim in missa laudes Dei: commemorantur beneficia illius, in primis autem illud ex cruce nobis præstitū, quo reconciliatus est orbis Deo. Alij rem ita expediunt: Verum quidem sacrificium in cruce peractū esse, quod nimirum cum morte CHRISTI coniunctum erat: cæterùm memoriam illius quotidie in Ecclesia fieri, & quasi oculis nostris subijci. Cum autem memoracula sæpe donentur appellatione rerum quas repræsentant, fieri, ut missa
Gal. 3. sacrificiū uocetur. Hoc q; sensu Paulum dixisse, CHRISTVM in oculis Galatarum fuisse crucifixū: non quòd re ipsa cruci fuerit affixus (semel enim mortuus, amplius non moritur) sed prædicatione & cōmemoratione, ritibusq; alijs, mors illius oculis Galatarum quasi explicabatur. Quo quidem modo memoriam Paschę, dicimus Pascha: & memoriam Pentecostes, Pentecoste. Hunc sensum approbat Thomas Aquinas, p. 3. q. 73. a. 4. loquens sic de eucharistia: Hoc sacramentum respectu præteriti, in quantum significat, est commemoratiuum Dominicę passionis, quæ fuit uerum sacrificium, nomi natur sacrificiū. Et Petrus Lombardus sen. 4. d. 13. §. Post hæc quæritur: Illud, inquit, quod offertur, & consecratur à sacerdote, uocatur sacrificium & oblatio: quia memoria est, & repręsentatio ueri sacrificij, & sanctę immolationis, in ara crucis factæ. Multa in utranq; partem testimonia citantur à multis, quæ ad modū iam dictum conciliantur. Sacrificare enim ueteribus id ferè est, quod facere sacrum cœnæ Dominicæ, ad cōmemorationem CHRISTI beneficiorum,
» quemadmodum ipsemet CHRISTVS præcepit, inquiens: Come-
» dite corpus meū, quod pro uobis tradetur: Bibite sanguinem meū,
» qui pro uobis effundetur: Hoc facite in mei memoriam. Dispensatio igitur & usus cœnæ Domini legitimus, est sacrificium. est enim sacer & Deo gratissimus cultus. Hic de applicatione mortis CHRISTI disputari solet. Sacrificiū (aiunt) in cruce factum, etsi sufficiat peccatis totius mundi expiandis, nec illud iterari necesse sit: tamen quia quotidie peccamus, sacrificij illius uirtus quotidie nobis applicanda est: quod quidē fit sacrificio hoc quotidiano, quod missam uocamus. Contrà alijs uidetur, fide sola nobis meritū passionis CHRISTI applicari, missamq; cōmemorationem esse sacrificij illius cruenti, non applicationē. Hic nodus facilè, mea sententia, expedietur, si constituerimus, uerbo Dei applicari, id est offerri & exhiberi (idem enim hæc uerba significāt in præsenti sermone) nobis omnia diuina beneficia, quæcunq; uerbo ipso signantur & repræsentātur.

Quod

Quod ſic Paulus, de officio prædicatorum uerbi loquens, teſtatur: 2. Cor. 2.
Deo gratia, qui ſemper triumphat per nos in CHRISTO, & odorem ſuæ notitiæ diuulgat per nos in omni loco. Veruntamen applicatio eiuſmodi, quæ fit miniſterio uerbi Dei, non aliter auditoribus prodeſt, quàm ſi eam fide acceperint: Paulo eodē teſte, qui ait, Euāgelium potentiā eſſe diuinam, ſalutarē omni credenti. Cum autem ſacramentorum & rituum diuinitùs inſtitutorū officium ſit idem, quod uerbi, cuius ſunt appendices: nihil abſurdi eſt, ſi ut uerbo, ita illis dicamus applicari meritū paſsionis CHRISTI, utentibus. Quibus tamē non aliter prodeſt illa applicatio, niſi eam fide acceperint. Propoſuit enim nobis Deus CHRISTVM propitiatorē, per fidem in eius ſanguine collocandā, inquit idem Paulus. Quibus in uerbis illud obſeruandum eſt, fidei mentione facta, mox ſanguinis CHRISTI mentionem fieri: ut intelligamus, hanc ipſam fidem non aliò quàm in CHRISTI ſanguinem intueri debere: quo delicta & ſcelera omnia quæ humanum genus cōmiſit, abluta ſunt, iuſtitiæq; diuinæ cumulatè eſt ſatisfactum. Hæc de applicatione. Qui ex Pauli uerbis, de oblationibus gentium uitandis, uenantur miſſæ ſacrificium propitiatorium, mirum eſt quam adhibeant artem formandis ſuis concluſionibus. Dehortatur Paulus Corinthios à cultu ſimulachrorum, hoc ferè argumēto: Quemadmodum apud Iſraelitas, qui ſacrificijs ueſcūtur, participes ſunt altaris illorum: ita apud gentes, qui ſacris illorum utuntur, participes ſunt menſæ dæmoniorū. Sed uobis, qui poculum Domini bibitis, & menſa eius participatis, non licet participes eſſe dæmoniorum: Debetis igitur à ſacris gentium abſtinere. Hoc mihi argumentū eſſe uidetur Paulinum, cui à nonnullis illud attexitur, euchariſtiam eſſe ſacrificiū pro peccatis, quòd inter uictimas Iſraelis & oblationes gentium numeretur. Hoc auctarium legitur in decretis Tridentinis, quæ publicata adhuc (ut aiunt) non ſunt: ſed à theologis & patribus examinata eſſe dicūtur. Sed qua facilitate illud adiectum eſt, eadem reijci poteſt. Non enim euchariſtia tanquam forma ſeu ſpecies ſub eodem genere cum alijs comprehenſa numeratur: ſed potius ut medium inter duo extrema (ſic enim Dialectici loquuntur, cum de ſyllogiſmi principijs conſtitutiuis diſſerunt.) Quod medium cum uni extremorū conueniat, alteri minimè, extrema ipſa in concluſione ſeiungi neceſſe eſt. Nam uſus oblationū gentium, Chriſtianis ideo interdicitur, quòd euchariſtia utantur. Diſponatur enim Pauli argumentū hac cōcluſione: Qui euchariſtia ueri Dei utūtur, non debent participare ſacris gentium: Chriſtiani euchariſtia ueri Dei utūtur: Non igitur fas eſt illis ſocietatē facere cum ſacris gentium. Iam libens diſcerem, quid ex hac ratiocinatione trahi poſsit in ſacrificiū propitiatorium miſſæ? Eſſe autem hanc Pauli ratiocinationē, facilè apparebit textum uer- 1. Cor. 10.

» borum eius inſpicienti. Propoſitio illis uerbis explicatur: Quę im
» molant gentes, dæmoniis immolant, non Deo. Nolim aũt uos con-
» ſortes dæmoniorũ eſſe: non poteſtis poculũ Domini bibere, & po-
» culum dęmoniorũ. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, &
» menſæ dæmoniorũ. Aſſumptio, illis: Poculum benedictionis, cui
» benedicimus, non'ne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis
» quem frangimus, non'ne cõmunicatio corporis Chriſti eſt? Nam
& apud Iſraelitas, qui edunt uictimas, participes ſunt ſacrarij. Hæc de Pauli ſententia. In re liquida uerſamur, & quæ uix ulla egeat explicatione. Verùm hæc omittere non eſt uiſum, eorum qui religionis negotium tractant cauſa: ut firmiora iaciant fundamenta tantis ædificijs: accuratiuſq; hæc examinent, quæ orbi Chriſtiano, anathematis pœna propoſita, denunciare debent: ne & Canones eiuſmodi contemnantur, & eorum architecti cum toto cõcilio perdant autoritatem. Quæ ex ſanctis Bibliis de ſacrificio dici poterant, diximus ut potuimus. quæ ex ſcriptorum aliorum monimentis conquiri poſsint, ea ab alijs fuſè prodita ſunt. Itaq; ab illis petenda, & diligenter cognoſcenda ac iudicanda.

CAPUT XIX.

De cœna Domini ſub utraq; ſpecie.

DICAMVS deinceps de ijs ſacramentis, quibus populus & presbyteri maximè ſecernuntur hoc tempore, matrimonio & euchariſtia. Vtricq;, aut certè permulti ex ordine utroq;, iniuriã ſibi putant fieri: presbyteri quidẽ, matrimonij in totum: populus autẽ, alterius partis cœnæ Domini interdictione. Neq; nos ſumus ij, qui citra concilij autoritatẽ quicquam in ijs mutatum uelimus. Sed quoniam eius celebrãdi tempus inſtare aiunt, conſiderandũ eſt, an qua ratio inueniri poſsit cõſociandi eccleſias, quæ nunc à nobis diſiunctæ ſunt: & quas à cõmunione & ſocietate noſtræ Eccleſiæ non alias ob cauſas magis, quàm propter uſum horum duorum ſacramentorum arcemus. Non tantum ueteres, ſed etiam noui ſcriptores prodiderũt, conciliorũ decreta iuſtis de cauſis nonnunq; mutari ſolere. Quod, pręter alios, Martinus Bereſius Aiala ſignificat in libro de Diuinis apoſtolicis atq; eccleſiaſticis traditionibus, de hac materia cœnæ Domini ſcribẽdo, ubi laudata cõmunione uniuſ ſpeciei, concludit tandem his uerbis: Nihil ergo eſt periculi, imò laudabiliter ſeruatur conſuetudo cõmunicandi ſub altera ſpecie. etiamſi aliam non improbamus, modò maiorũ autoritate concedatur. Cuius uiri autoritate nos cõmoti, in hanc partem diſputare inſtituimus: quaſi cõmunicatio ſpeciei utriuſq;, cõcilij proximè inſtantis autoritate cõcedenda ſit. Neq; uerò, ut quidam exiſtimant, de ſpeciebus contendimus: ſed de ſacramento euchariſtiæ,

laicis

laicis ex toto dando. In speciebus aiunt illi salutem nullam esse, nec in illis fiduciam ullam collocandã: sed in eo, qui sub speciebus uisibilibus inuisibilis cõtinetur. Hac uerò ratione non à uino tantum, sed à panis quoque specie, imò ab aqua baptismali laicos dehortari fas erit: contrà quàm CHRISTI præceptũ, & Ecclesiæ fert institutum. Nos igitur omissis rhetoricis extenuationibus, dicamus de sacramento cœnæ Domini, non dimidiatim, sed integrè laicis concedendo. Dicamus, cum specie panis comedi corpus CHRISTI: cum specie uini, bibi eius sanguinẽ. Tam igitur laicis bibere uinum necessarium esse, quàm comedere panem necessariũ putatur. Aut ab utroque excludendos laicos esse, aut ad utrunq; admittẽdos. Igitur rationes, quibus Ecclesia adducta esse dicitur, ad laicam communionem sanciendã, considerabimus. pòst ostẽdemus, magnam causam esse, quamobrem libertas permittẽda sit laicis, de calice bibendi. Simul etiam confutabimus ea, quibus cõfirmari solet laica cõmunio.

Aiunt calicem ad confutandũ errorem eorum, qui in sacramẽto corpus exangue dari affirmabãt, laicis ademptũ esse: ut in sola panis participatione ostenderetur, totum in eo CHRISTVM contineri. Quod ut uerum esset, tamen & illud nihilo secius uerum, presbyterorum manducationẽ eandem quoq; ansam hæresi dare posse: eos non integrũ in pane sumere CHRISTVM, sed tantum illius corpus, & id quidem mortuum, propterea quòd seorsim sumãt sanguinem illius. Quod si Ecclesia nõ mouetur calumnijs istis, quo minus permittat presbyteris sacrificãtibus utraq; parte sacramẽti seorsim uti, cur moueatur in populo, non immeritò aliquis quærat. Omnino qua ratione manducatio populi, calumnijs aliquibus exposita est, eadem & presbyterorũ. Quomodo enim isti effugiẽt calumniam, non illi: dum causa calumniãdi par est, & eadem? Igitur si laicorum communio cõstat una parte, ad hæresim tollendam, & sacerdotum communio una cõstare debebit. Sed enim alio subsidio presbyteri utranq; sacramẽti consequũtur partem. Repræsentant enim CHRISTI mortẽ, in qua sanguis à corpore separatus erat: populus uerò cõmemoratione mortis illius cõtentus, unica parte sacramẽti etiam contentus esse potest. Enimuero si hæc causa uera est, quę diuersam faciat cõmunionem sacerdotalem & laicalem, omnino prior causa huc afferẽda non est: cum quidem posterior satis esse uideatur comprobandæ huic uarietati: priorq; illa, causæ nomine uix est digna, qua scilicet posita, affectus non semper ponatur. Verùm quia diximus de priore satis, de hac quoq; posteriore disputandũ est. In qua tria memorãtur, Cœna Domini, cõmemoratio mortis eius, repræsentatio quoq; mortis eiusdem. Repræsentatio mortis CHRISTI solis presbyteris datur: qui eleuando, manus extendẽdo, ritus sacrificiorum probatos iterando, quasi præsentẽ oculis Ecclesiæ offerũt

CHRISTI

CHRISTI mortem. Commemoratio & presbyteris & laicis conceditur. Cœna quoq; utriſq; : ſed his una, illis utraq; in ſpecie. Nunc uelim mihi dici, qua de cauſa repræſentantibus utraq; ſpecies, commemorantibus una tantum permittatur? An non commemoratio mortis Chriſti, finis eſt, ad quem cœnam Domini referri oporteat? Excutiamus, ſi placet, cauſas omnes, ut philoſophis mos eſt, cœnæ Domini. CHRISTVS qui inſtituit, idem iuſsit accipi, hoc eſt, manducari & bibi. Propoſuit igitur & quod edendũ, & quod bibendũ eſſet. Ac ne ſimplex cibus potusq; putaretur, carnem & ſanguinem ſuum eſſe, quem propinabat, teſtatus eſt. Hancq; formam ueluti ſigillum impreſsit cœnæ ſuæ, ut omnes conuiuiũ hoc ſacrum eſſe ſcirent, cuius eſca ac potione profanis hominib. ueſci minimè liceret. Addidit finem, cuius cauſa cõuiuium hoc inſtitutũ ſit, inquiẽs: Hoc facite in mei cõmemorationem. Velim igitur mihi reſponderi, cur ad finem aſpiranti, liberũ eſſe non debeat, omnibus ad finem illum ordinatis uti: & uti quidem integrè, non dimidiatim? Cur repręſentantibus neceſsitas imponitur ſeorſim comedẽdi, ſeorſim bibendi: cõmemorantibus libertas adimitur, iſto modo accipiẽdi? Atqui repræſentatio mortis Domini, non eſt ipſa cœna Domini. Nam illa eſt quaſi pictura quędã mortis: hæc pictura non eſt, ſed ueritas. Repræſentant, ut dixi, ſacerdotes in Miſſa paſsionẽ Chriſti: at cœnam non repræſentant, ſed illam ipſam peragunt, quam Chriſtus Hieroſolymis peregit. Ille ipſe cibus eſt, ille ipſe potus in noſtris cœnis, quem cibum, quem potum dabat Chriſtus Hieroſolymis. Omnes
1. Cor. 10. enim de uno pane, & de uno calice participamus. Et quia unus panis eſt, ideo unum corpus multi ſumus. Quod igitur hoc eſt argumenti genus: Soli ſacerdotes repræſentant mortem Chriſti, ſoli igitur capere cœnã debent, & comedẽdo & bibẽdo: Laici non repræſentant, non igitur ad eundẽ modum capere debent, ſed cõtenti ſint altera ſpecie? Vt ſi quis ſic cõcludat: Phidias ſolus Mineruæ formã repræſentauit, ſolus igitur dea integrè utatur: alij non repræſentarunt, non igitur ad hunc modũ utãtur. Sentio quàm in re peruia & facili uerſetur oratio noſtra: uerùm quia à multis eruditis uiris hæc repræſentatio iactatur, oſtendant illi, ſi poſſunt, quo iure, qua lege, qua ratione, quo teſtimonio ſacræ ſcripturæ, quibus decretis Dialecticorũ, id repræſentationi tribuatur, ut ſoli illi utraq; ſpecies ſacramenti adiudicetur. Si id monſtrare non poſſunt, captionibus ſophiſticis omiſsis, cauſas tantæ rei primas ab origine nobiſcum repetãt. Ipſa Chriſti inſtitutio palàm docet, & corpus eius edendũ eſſe in illius cõmemorationem, & ſanguinẽ quoq; bibendũ in illius commemorationẽ. Quòd ſi populus memoriã mortis & omnium Chriſti beneficiorũ celebrat ſacramẽto hoc utendo, non uidetur prohibendus altera ſpecie: utpote qui mente recolat, ore annunciet & prædicet bene-

cet beneficia CHRISTI. Sunt enim illa Pauli uerba, hoc sacramentum describētis: Quotiescūq; comedetis panem hunc, & bibetis de « poculo, mortem Domini annunciabitis, donec ueniat. Separatim « comestio nominatur, separatim bibitio, ab illa sapiētia increata, cui sapientia omnis humana de inseparabilitate sanguinis uiui à carne uiua cedere debet. Non enim hic disputandū est ex rationibus humanis, sed uoluntas Christi intuēda: qui conuiuiū non mancum instituit, sed cibo addidit potū. Itaq; & in illis mysterijs à Ioanne cap. 6. descriptis, non tantū edendi corporis, sed & bibendi sanguinis fit mentio: & in hac cœna mysteriorum refertissima, quò esset clarissimum monumentū Christi mortis ad omnē posteritatis memoriam duraturū, effusio sanguinis omnibus proponitur: ut scilicet memoriale responderet rei ipsi, quam repræsentet, in qua sanguis è corpore effusus cernebatur. Itaq; omnibus clarè edicitur, ut & edant & bibant. Certè sanguis ut sumatur in corpore, non bibitur tamen. non enim bibitio intelligi potest, sine potus, è corpore ipsum cōtinente, effusione. Neq; uerò, quia in cœna Hierosolymitana nemo præter presbyteros aderat, ideo hæc ad solos presbyteros pertinere intelligenda. Aut enim laicis hoc sacramentū CHRISTVS dari iussit, aut non. Si iussit, quibus id uerbis tandem, nisi illis: Accipite, comedite, bibite? Bibendū igitur laicis est, non tantum comedendū, si Christi iussis parêre uelint: sin minus, cur igitur illis datur? cur non in totū illis interdicitur? Nulla est enim alia huius sacramēti institutio, prętereq; illa unica: ut qua ratione detrahas populo calicē, eadem & panem detrahere possis: quo uerò prȩcepto adigas eos ad panem, eodem & ad calicē. Cœnam Emaunthanā huic institutioni opponere non decet. Quid enim Emaunthi noui instituitur? narratur tantum, quid CHRISTVS egerit cum discipulis duobus: non narratur aliqua institutio noua. Loca obscuriora claris anteferēda non sunt: sed illa ad hȩc accōmodanda. Non quia Apostoli in nomine Christi baptizare dicūtur, propterea mutanda est Christi institutio, qua iubemur baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Ita institutio Christi nullo modo mutāda est propter Emaunthanū conuiuium: in quo uideo panē frangi, & dari discipulis: non audio eos admoneri alicuius mysterij: quod tamē in primis factū oportuit (siquidem corpus erat, quod eis præbebatur) ut illi omni animi deuotione talem cibū sumerent. Nam si illis imprudētibus dabatur, quid tandem profuit? cui rei seruiebat? quem fructū attulit illis māducatio? Accedit uerbū ad elementū, fit sacramentū: inquit Augustinus. Et Paulus, fidem ex auditu esse ait. Vis itaq; sacramēti non in porrigendo & manducādo tantū, sed in uerbis diuinitùs traditis cōsistit: quæ à sumēte & recolēda, & tota mente accipiēda, & gratiarū actionibus prosequenda sunt. Itaq; in cœna Hierosolymitana Apostoli

sumpturi talem cibū, audiunt uerba salutaria, non panem esse hunc uulgarē & quotidianū, sed corpus CHRISTI, quod pro mundi salute in mortē tradendū esset. Emaunthi uerò, unde cōuinces, priusq; fractionē uidissent, eos sciuisse quis daret, quid daret, quamobrē daret? Certè si corpus CHRISTI sibi dari sciuissent, cognouissent hæc omnia: cognouissent cōuiuam uel ipsum Christū fuisse, uel aliquē è numero illorū, quos sciebāt illi fuisse familiares: quibusq; potestatē faciēdi, quod in extrema cœna feciſſet, datam fuisse nō ignorassent. Nunc oculi eorū tenētur, quò minus id cognoscāt. putāt peregrinū esse, qui cum loquūtur: nec aliunde Christū fuisse resciscūt, q̄ ex panis fractione, quā Christi subita disparitio cōsequuta est. Et quemadmodū Aeneas (liceat nobis declarādi causa sic loqui) matrē deā tunc agnouit, cum illa odorib. diuinis effusis disparuisset: ita discessus Christi ille inuisibilis, & fractio panis mirifica, admonuit discipulos magistri sui. Quod nōnulli uiri docti secū expendēdo, aiunt Christo morē fuisse, ut nō secus panē frāgeret, q̄ si uteretur cultello acutissimo. Itaq; illū frangēdi morē discipulis mox in mentē uenisse, atq; ita ex fractione Christū cognitū esse. Quod & Lucas extrema hac narratione cōmemorat: & Thomas Caetanus annotat in libro cui titulum fecit Ientaculorū. neq; enim ex benedictione Christus agnitus esse dicitur, quod tamē si diceretur, nō mox cōcludi liceret, corpus Christi tum porrectū fuisse. Solenne enim fuisse Christo, in cōuiuijs, pane arrepto, benedicere, frāgere, porrigere, citra eucharistiæ administrationē, cùm multa scripturarū loca indicant, tum ille apud Matthæū, cum quinq; milia hominū pauissent Christus paucis panibus: ubi in cœlū suspexisse memoratur, benedixisse, fregisse, distribuisse. Non igitur ex benedictione narratur Christus cognitus esse, ut putes cognitionē hanc fuisse singularē: sed ex fractione oculi discipulorū aperti sunt, ut cognoscerent illū: non secus q̄ Adami & Euæ oculi aperti fuisse tradūtur, cum de ligno uitæ comedissent: & Agar ancillæ Saræ, cum sitiēte & plorāte puero, puteū uidisset. Aliquid enim prius non considerauerūt: ad quod oculos cum intēdissent, idq; animaduertissent, tum primùm oculi eorū aperti fuisse memorātur. Sed quorsum hęc? Vt uideamus, hunc locū, & similes ex Actib. apostolicis, in quibus fit mētio fractionis panis, obscuriores esse, q̄ ut opponantur claræ institutioni cœnæ Hierosolymitanæ. Quod si quis panē Emaunthanū de Christi corpore intelligendum esse cōtendat (id quod de sentētia Augustini conātur aliqui ostēdere) equidē non multū refragabor: modò illud quoq; agnoscat usitatissimū esse cùm in omnibus, tum in diuinis scriptis tropū, partis nomine totū intelligi: ut cum historia Euāgelica narrat IESVM à pharisæo inuitatū esse, ut māducaret panē eius: & alibi omnibus præcipitur, ut frangāt esurienti panē suum: hoc est, cibent eum, & potent.

Thomas Caetanus Ientaculo 7. q. 1.

Matth. 14.

Gen. 3.

Gen. 21.

Quod

Quod si quis magis adhuc urgeat, non tantũ corpus Christi datum esse illis duobus Emaunthi, sed etiã datum absq; calice: tamen illud nunq; probabit, libertatẽ esse alicui ademptã hoc uel illo modo sumendi. Nam quod aiunt solis sacerdotib. à Christo datũ esse panem & calicem in cœna Hierosolymitana, id tantum abest ut uerũ sit, ut contrariũ ex historia cœnæ illius ostendi possit. In qua non presbyterorum, sed populi uicem apostoli obtinere uidentur. Solus enim Christus ibi sacerdos est: solus cõuiuatoris officio fungitur. Distribuit cõuiuis suis panem & uinũ, Melchisedeci illius sacerdotis Dei altissimi uicem implet ipse uerissimus sacerdos. Vt enim ille Abrahę, homini laico, obtulit panem & uinũ: ita iste suis laicis dat panem & uinum. Mitto disputare, laici tum fuerint, an presbyteri, illi quibus Christus porrigebat. Illud quidem affirmare non dubito, non eos sacerdotũ officio tum functos esse. Solus enim, ut iam dixi, Christus tum cibũ & potum in manũ sumebat: solus benedicebat, frãgebat, distribuebat, potestatemq; eadem faciẽdi tum primùm illis dabat, cum dixit, Hoc facite in mei cõmemorationem. Sunt qui uerbum Facite, pro cõsecrate, ita positũ cõtendant, ut cœnã illam ad solos presbyteros referãt, q; soli illi cõsecrent. Verùm qui sic interpretantur, totã narrationem inspicere deberent. Non enim solus panis cõsecratur, sed & uinũ: non solus panis porrigitur, sed & uinũ. non solũ Christus dicit, Comedite: sed &, Bibite. Paulus etiã post panis distributionem, cui adiecit, Hoc facite: mox de poculo narrat Christi uerba, inquiens: Hic calix nouũ testamentũ est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei cõmemorationem. Quis hic nõ uidet, cum his uerbis, Hoc facite, cõiuncta esse illa, Quotiescũq; biberitis: quemadmodũ proximè, ad uerbũ Comedite, eadem adiũcta sunt? Quoties igitur hoc monumẽto ad omnem memoriã mors Christi cõmemoranda est (quod quidem tãtisper faciendum est, dum ille iterum ueniat) toties aliquis unus sacerdos, Christi uicem præstãs, facere ea debet omnia, quę Christus fecit in cœna: accipere panem & poculũ, gratias agere, frangere, dare discipulis, & dicere: Accipite, comedite, bibite. Quod quidem à Paulo, uerborum Christi uerissimo interprete, liquidò cõprobatur, qui posteaq; uerba ad apostolos de accipiẽdo, hoc est de comedẽdo & bibẽdo, prolata exposuisset, ne quis illa putaret ad solos apostolos pertinere, eadem ad Corinthiorũ ecclesiã, ad quam scribebat, & in qua non solum sacerdotes, sed multo maior laicorũ pars erat, trãstulit, sermone ad illos cõuerso inquiens: Quotiescunq; enim mãducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec ueniat. Deinde non tantũ Corinthijs, sed uniuersæ Christianorũ Ecclesiæ cõcionatur, inquiens: Itaq; quisquis ederit panem hunc, & biberit de poculo Domini, indignè, reus erit corporis & sanguinis

» Domini. Et, Probet aũt ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, &
» de poculo bibat. Nam qui edit & bibit indignè, iudiciũ ſibi edit &
» bibit, non dijudicans corpus Domini. Ad uniuerſam igitur Eccle
ſiam pertinere utrũq;,& comedere & bibere,certũ eſt. Illud quoq;
nõ minus certũ, quemadmodũ quod de corpore à Chriſto dicitur,
illud pro multis dari: ita quod de ſanguine, illũ pro multis effundi,
non minus ad laicos, q̃ ad presbyteros pertinere: ut cauſa nulla ſit,
ad quos promiſsio pertineat,ad eos rem cui annexa ſit,pertinere nõ
oportere:præſertim cum poculũ ſanguinis,teſtamẽti noui nomine
ornetur. Non igitur populo noui teſtamẽti ullo modo adimendũ.
Clamatur ab Apoſtolo clariſsimis uerbis,nõ eſſe remiſsionẽ pecca-
torũ ſine ſanguinis effuſione. Vbi igitur de remiſsione agitur pecca
torũ,ibi ſanguinis effuſio & mente recolenda,& uerbis prædicãda,
& omnibus ritibus exprimẽda eſt. Non poteſt aũt aliter ad Chriſti
inſtitutionẽ exprimi, niſi ſeparatim comedatur corpus, ſeparatim
bibatur ſanguis. Hęc ſimpliciſsimè à nobis expoſita ſunt: quę ſi cui
infirmiora uideantur, q̃ ut præſens Eccleſiæ cõſuetudo propterea
mutãda ſit:tamen diligẽter aduertendũ eſt,an magis ſit è Repub. &
è religionis dignitate,libertatẽ permittere cuiq; Chriſtiano,hoc uel
illo modo ſumẽdi:atq; hac ratione cõſociare eccleſias,quę nunc diſ-
iunctæ ſunt:quàm eadẽ libertate adempta, ab Eccleſiæ cõmunione
ac ſocietate eos arcere,qui ſumant utranq;. Sacramentũ cœnę Do
mini,ſymbolũ eſt charitatis,cõcordię & unitatis Chriſtianorũ.non
igitur debet eſſe cauſa tãtæ diſcordię & ſeparationis eccleſiarũ. Vi-
dimus ipſi magnos quoſdã uiros, qui ferè pro hoſtibus Eccleſiæ ha
bendos putarẽt eos,qui iam ab illo uſq; tẽpore, cum religionẽ Chri
ſti agnouerũt, utraq; ſpecie ſemper, ſine ulla intermiſsione uſi ſunt.
Loquor enim tum de Rutenis,tum de Bohemis,gentilibus noſtris:
quorum laici, illorũ quidem omnes, iſtorũ bona pars, utraq; ſacra-
menti parte utũtur. Non dubito decreta concíliorũ pro tempori-
bus mutari poſſe. Quod præter alios,Martinũ Bereſium Aialã,de
hac materia ſcribentẽ,ſignificaſſe,ſuis uerbis ſuprà oſtẽdimus. Itaq;
ſi cõcilium hoc quod inſtat,putabit ex dignitate religionis fore,faci
lè adducetur, ut libertatem ſumendi huius ſacramenti ſub una uel
utraq; ſpecie laicis permittat. præſertim cum ante tempora conci-
lij Conſtantienſis, etſi aliqui una ſpecie uſi fuiſſe legantur, tamen li-
bertas illa populo adempta fuiſſe,nuſquam, ni fallor, legitur. Sub-
latus eſt error ille ex Eccleſia Dei, mortuum corpus in ſacramen-
to dari: nec uſquam, quod ſciam, auditur. imò uerò ſumma orbis
Chriſtiani cõſpiratione atq; conſenſu, ſummoq; cum iubilo in om-
» nibus eccleſijs illud cantatur: CHRISTVS reſurgens ex mortuis,
» amplius non moritur, mors illi amplius non dominabitur. Subla-
ta igitur cauſa, tollatur & effectus, ut tollantur multorum diſsidio-
rum ſe-

rum seminaria. Hæc de calice laicis restituendo. De quo qui plura scire cupiat, legat Dialogos nostros, de hac materia scriptos.

CAPVT XX.

De matrimonio presbyterorum hæc in summa hic docentur. 1. Etsi matrimonium & sacerdotium per se considerata, minimè sunt contraria: 2. tamen propter uotum cœlibatus sacerdotio adiunctum, prorsus pugnant inuicem, neq; uni cõuenire possunt. 3. Sed quoniã plurima à sacerdotibus scandala proueniunt, uotumq; ipsum cum dedecore status ecclesiastici passim uiolatur: 4. ideo optandũ est, ut aut homines tantũ prouectæ ætatis initientur, qui re præstare possint, quod uoto promisissent: 5. aut si uulgò omnes, quamuis iuuenes, ad ordinem (quemadmodum hodie receptum est) admittantur, ut potius uoto non obstringantur, quàm scandalo sint Ecclesiæ, uitæ turpitudine. 6. Huius autem rei potestas est penes Ecclesiam legitimè congregatam. 7. Atq; id multo honestius, atq; ecclesiis salubrius fuerit, quàm scortationes presbyterorũ ferre: docereq; sacerdotem minus peccare fornicando, aut adulterando, quàm matrimonium contrahendo. Hæc omnia hic ex ordine confirmantur, iuxta numeros in margine signatos.

SEQVITVR ut de matrimonio presbyterorũ dissemus, eo quidem modo, ut de laicorum calice dictum est. Hoc est, non ut definiamus quicq; (nam nec res est nostræ facultatis: & fieri potest, ut in tantis rebus fallamur, qui in minoribus hallucinemur) sed ut quid nobis de hoc dici posse uideatur, ostendamus. Cõmendat legem cœlibatus præconijs singularibus Beresius Aiala: concluditq;, eam necessariò seruandam esse, interim quòd non relaxatur. Pium etiam Papam dictitasse Platina refert, sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, maiore restituendas uideri. Ad hæc multi nobiles scriptores non obscurè significãt, expedire hoc tempore Ecclesiæ, quando prisca religio refrixit, si coniugium cõcedatur autoritate cõcilij, ijs qui continere non possunt: potius quàm impurus cœlibatus ab eis exigat. Nos igitur in eam partem disputabimus, quasi lex cœlibatus relaxãda, matrimoniumq; sacerdotibus cõcilij autoritate permittendum sit. Duo in hac causa, quantũ existimare possum, cõsideranda sunt: natura sacerdotij, & ei adiũcta: ut tandem appareat, quatenus pugnet cum sacerdotio matrimoniũ, quatenus non. Dicamus igitur primùm, naturã sacerdotij eam esse, quę minimè repugnet matrimonio. Vtrũq; enim sacramentũ est, utrunq; opus Dei præclarũ. Et ut baptismus, pœnitẽtia, ita & matrimoniũ cum sacerdotio, uni cõgruere possunt. quod quidem, expositis definitionibus utriusq;, facilè ostẽdetur. Quid enim sacerdotiũ est, nisi sacramentũ, quo potestas fit ei qui se illo obstrinxit, docendi, & mysteria diuina administrandi? Quid aũt matrimonium, nisi sacramentũ, coniungens uirũ cum uxore, ad prolem educendam,

Beresius in lib. Trad.

Platina in uita Pij 2.

1

cendam,& ad ſcortationem uitandã? Horum rationes non ita ſunt diſcrepãtes,ut uni cõuenire non queãt.Et quemadmodũ prophetę cum munere docendi,dabãt operã rei uxorię:& Dauid cum officio regis (quod longè maiores habet difficultates,q̃ matrimoniũ)fungebatur munere eccleſiaſtæ:ita eum qui deſtinatus eſt ad eccleſiaſticas functiones,non eſt incongruũ uxori cohabitare. Quod & Paulus non obſcurè ſignificat,dum 1.Tim.3.dicit, oportere epiſcopum unius uxoris eſſe uirũ. Certè ſi rationes horũ diſcreparent, non ea coniungeret,tanq̃ ſibi cõſentanea:ſed diceret potius,oportere epiſcopũ eſſe cœlibem. Quod tamẽ nec Paulũ,nec quenq̃ illius claſsis ſcriptorem unq̃ dixiſſe,cõſtat. Et quãuis multi dictũ Paulinũ ita interpretentur,quaſi excludere uoluerit uxorũ pluralitatem,non aũt admittere unitatem:tamen facilè eſt cernere, iſthoc gloſſemate uim apertã fieri uerbis Paulinis, quibus conceditur uxor una epiſcopo. Sed ſunt qui hanc uxoris unitatem ad tempus præteritũ referãt, ut qui epiſcopus ſit futurus,ei impedimento eſſe non debeat,fuiſſe aliquãdo monogamũ:uerùm & hoc gloſſema uerbis Paulinis cõfutatur.non enim dicit,Oportet fuiſſe: ſed,Oportet eſſe. & paulo pòſt,
» cum de diaconis loquitur,pręſenti uerbo utitur,inquiens:Diaconi
» ſint unius uxoris mariti. Et ad Tit.1. Si quis eſt inculpatus, unius
» uxoris uir. Ac ne cauillationibus locus relinqueretur, Paulus ipſe cauere uoluit,effectis matrimonĩj in medium prolatis,prole ſcilicet ipſa: ex qua bene & rectè educta, argumentũ ſumit futuri boni epiſcopi: contrà,ex eadem malè & ad turpitudinẽ inſtituta,mali & ne-
» quã epiſcopi. Sic enim Paulus pergit:Si quis liberos habeat in ſub-
» iectione,cum omni reuerẽtia.Quòd ſi quis propriæ domui præeſſe
» non nouit,quomodo Eccleſiã Dei curabit? Hactenus ex rationib. ſacerdotĩj & matrimonĩj,& Apoſtolica ſententia oſtendimus,nihil repugnare,quo minus ſacerdotium & matrimoniũ ſimul eidem homini cõpetant.Quãuis aũt hæc ſatis eſſe deberent ad eius rei cõprobationem: tamen ne quis putet,quæ dixi,à ſanctionibus patrũ aliena eſſe,de eis quoq̃ pauca dicenda ſunt. Et de orientalibus quidem eccleſijs planũ eſt,homines ſacris initiatos,uxoribus cohabitare.Id enim mores Rutenorũ,& cõſuetudines ad hunc diem durantes,ob oculos ponũt. Atq̃ illis non tantũ cum uxoribus uiuere, quas ante profeſsionem duxiſſent: ſed etiã profeſsis iam,& initiatis,matrimo-
» nium cõtrahere licere,Stephanus Papa teſtatur 31.d.Aliter. Aliter,
» inquit,ſe orientaliũ traditio habet eccleſiarũ, aliter huius ſacræ Ro-
» manæ eccleſię. Nam eorũ ſacerdotes diaconi aut ſubdiaconi matri-
» monio copulãtur.Iſtius aũt eccleſię,uel occidentaliũ nullus ſacerdo
» tum à ſubdiacono uſq̃ ad epiſcopũ, licentiã habet coniugiũ ſortien
» di. Hęc ille. Et gloſſa quidem uerbũ(copulãtur)interpretatur per, copulato utũtur: ſed illã Textus cõuincit falſi. Eſt enim antitheton

eccleſiarum

ecclesiarum duarum, orientalis & occidentalis, in matrimonio à sacerdotibus cõtrahendo. quod antitheton aliter cõstare non potest, nisi uerbũ Copulãtur propriè sumatur. est enim sensus: Ecclesiæ occidentalis sacerdotes cõiugia non sortiuntur, orientalis sortiuntur. Quòd si ecclesia orientalis una est cum occidẽtali, quemadmodum unã esse putandũ est, siquidem uerè Ecclesia est (unus enim Deus, una fides, unũ baptisma, quo initiamur omnes) si inquã utraq; ecclesia una, una igitur natura sacerdotij utriusq;. Cumq; talis sit natura orientalis sacerdotij, ut qui iam eo fungantur, matrimonium sortiri queant: sequitur, & naturã occidentalis sacerdotij eam esse, quę non pugnet cum matrimonio. Quod quidem Ancyrana synodus affirmat, 28. d. Diaconi. Verba decreti hęc sunt: Diaconi quicunq;, cum ordinãtur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes se uelle habere uxores, nec posse se cõtinere, si postea ad nuptias peruenerint, maneant in ministerio: propterea q; his episcopus licentiã dederit. Planè igitur hoc decreto Ancyritano dicitur, naturas sacramentorum horũ, ordinis sacri & matrimonij, inter se non repugnare. Etenim quæ inter se repugnant, ea nunq; uni attribui possunt. Ea enim illorũ natura est, ut uni simul nunq; conueniant. Cumq; ostensum sit, sacramenta, de quibus agimus, uni cõuenire posse: sequit ut dicamus, naturas & essentias eorũ cõsentaneas esse. Necq; uerò me clam est, quid & Augustinus & Hieronymus scripserint de presbyteris cõiugatis, eos iam initiatos liberis procreãdis uacare nõ posse. alioqui, inquit Hieronymus, si quis deprehensus fuerit, non quasi uir tenebitur, sed quasi adulter dãnabitur. Verùm enimuero nõ tantum theoremata doctorũ uirorũ consideranda sunt: sed quid etiã tulerit praxis, & mores recepti. Mõstrauimus, sacris initiatos ad matrimoniũ peruenire posse, & in orientali & in occidentali ecclesia. Quorsum uerò id esset, nisi fine matrimonij uti possent? Est enim finis matrimonij, non tantũ prolis procreatio, sed etiã ut uterq; coniugũ alterius intemperantię mutuis officijs medeatur. Quod & à Paulo 1. Cor. 7. affirmatur, & 32. q. 2. ostẽditur. Sed & praxim Ecclesiæ aliam fuisse, à theorica illa quorundã patrũ traditione, Nicęni concilij gestis cõprobari potest. Quod cum legem ponere uellet, ne presbyteri cum uxoribus, quas ante ordinationẽ duxerant, dormirent, impeditum est à Paphnutio: resq; tota cuiusq; arbitrio permissa. hoc narrat Gratianus 31. d. Nicęna. Canone etiã sequenti, qui incipit, Quoniã, eadem 31. d. sancitur, non in perpetuũ, sed tempore oblationis, à cõplexu suarũ mulierũ sacerdotes abstinere debere. Quamobrem Nicolaus Papa, ad Ratholdũ episcopũ Argentoratensem, 33. q. 2. c. Latorem, scribens de presbytero matricida, usu plurimarũ rerũ ei interdixit: atq; adeò ne oblationes offerat (unde presbyterũ fuisse constat hunc ipsum matricidã) nisi expletis multorũ annorũ curriculis,

culis mandat: ueruntamẽ uſu matrimonij ei nõ interdixit. Sic enim
» ad uerbũ: A' propria, inquit, ac legitima cõiuge non ſeparetur, ne in
» fornicationis uoraginem corruat: quod ne fiat, optamus. Quid igi
tur impedit, quo minus, ut prius, à cauſa ducto argumẽto, diximus,
cui fas ſit matrimoniũ cõtrahere, eidẽ liceat cõtracto uti: ita nunc ui
ce uerſa ab effectis colligamus, Si licet presbytero cõmodis matri-
monij uti, cur nõ liceat matrimoniũ cõtrahere? Non enim uerũ eſt,
cui finis cõceditur, ei media ad finẽ ordinata negari oportere. Ad-
huc autẽ uerſamur in ea orationis parte, qua ſacerdotij naturã cum
matrimonio cohærere poſſe, oſtẽſuros nos polliciti ſumus. Qua in
re honeſtas rerũ perſe cõſideranda eſt, & utilitas. Vtriuſq; rationẽ
magnã habitã eſſe à cõcilijs & ueteribus põtificibus, oſtẽdimus: qui
noluerunt, ut matrimonij ac eius uſus negatione, aliquis per ſcorta-
2 tionem in uoraginẽ æternæ mortis caderet. Quoniã igitur de na
tura ſacerdotij dixi, nunc de adiũctis illi dicã: non quidem de omni-
bus, ſed de eo quod quaſi eregionè matrimonij ſit poſitũ. id aũt eſt,
uotũ caſtè uiuẽdi. Neq; uerò hoc abſurdũ cuiq; uideri debet, quòd
uotũ caſtitatis ſeiungamus ab eſſentia ſacri ordinis. nam & materia
diuerſa eſt illis ſubiecta: & unũ ſine alio ſubſiſtere, iam oſtendimus.
Multa in utranq; partẽ à multis doctis uiris diſputata ſunt, de uoti
natura, ui & efficacitate: quę apud ſuos autores legi poſſunt. Illud ſa
tis eſt à nobis in præſentia dici, pia uota, quibus tanq; ſponſionibus
cum certa animi inductione factis Deo obligamur, neceſſariò per-
ſoluẽda eſſe. Eiuſmodi enim uotorũ uiolatio, iuſtã excuſationẽ non
» habet. Quod Eccleſiaſtes ſic cõprobat, cap. 5. Cum uoueris Deo uo
» tum, ne differas ſoluere: non enim Deus ſtultis delectatur. Proinde
» quod uoueris, exolue. Melior namq; eſt qui non uouet, eo qui uo-
» uet, nec ſoluit. Vota non eiuſdẽ formæ eſſe, multi uiri docti prodi-
derũt. Alia, quæ ſolẽniter & palàm fiant, ut quæ uouentẽ in ſtatum
uitæ à priore diuerſum deducãt. talia eſſe, quæ uouẽtur tum à pro-
feſſis religionem monaſticã, tum ab aſcriptis ordini ſacro. Alia, quę
ſtatũ uouentis non mutent, nec ulla ſolẽnitate adhibita ſuſcipiãtur:
ſed conſilio priuato cõcipiantur, nuncupentur ue. hęc ſimplicia uo
cant, illa ſolẽnia. Etſi aũt diſcrimen hoc non ſit improbandũ: tamen
uoti utriuſq; uis illa eſt, ut qui ſe illo obligaſſet, illud reddere nõ ne-
gligat: id quod ex ſentẽtia Eccleſiaſtæ oſtẽſum eſt. Quãuis enim uo
ti ſimplicis uiolatores nõ cogũtur ad illud repetendũ, ſed pœniten-
tia à ſacerdote iniuncta crimen eluunt: ſolennis aũt uoti fidẽ qui ſol-
uant, ij & pœnitentiã ſolenniter agere, & ad ſtatũ unde diſceſſerunt
redire iubẽtur: tamen ſi res ipſa ſpectetur, ſimplicis & ſolennis uoti
apud Deũ diſcrimen eſt nullũ. Vtrunq; enim à uoluntate hominis
proficiſcitur, utrunq; eadem deliberatione ſępe ſuſcipitur. Imò fieri
poteſt, ut quod ſolenne eſt, temerè & dolo malo: quod ſimplex, ma
turiore

turiore deliberatione & cõsilio cõsideratiore suscipiatur. Quid igitur refert, solenniter Deo uoueas, an citra ullã solennitatẽ? cum quidem Deus inspector sit cordiũ: solennitatesq; magis hominũ causa, qui testes sint promissorum tuorum, adhibeantur, quàm Dei, cui cogitationes tuæ sine ullis testibus sint perspectæ. Ideo Bonifacius octauus in Sexto, de uoto & uoti redemptione inquit, solẽnitatem uoti esse per solam Ecclesię cõstitutionem adinuentã. Diximus de uoto uniuersè, omne illud præstandũ esse, quod pium sit. Dicamus speciatim de uoto cœlibatus, quo homo sanctè cõsecrat se ad castitatem corporis seruandam. Hoc quia à CHRISTO ipso cõmendatur, qui eunuchos ait esse, non tantum natura aut opera hominũ factos, sed qui se propter regnum cœlorũ castrassent: nõ est quod nos plura uerba faciamus in eius cõmendationem. Cum igitur ferè receptũ sit, ad ordines sacros neminẽ, in occidẽtalibus ecclesijs, aspirare posse, quin simul uoueat corporis castitatem: hæc aũt à matrimonio implicatis seruari nõ possit: omnino sacris initiatis matrimoniũ inire minimè licet: idq; nõ ui ordinis, ut prius demõstrauimus: sed ui uoti, sacris ordinib. adiuncti. Pugnat itaq; iam matrimoniũ cum sacerdotio, nõ essentijs & naturis suis, quemadmodũ idololatria cum uero Dei cultu pugnat: sed propter adiunctũ sacerdotio uotum castitatis. Quod si adimeretur, iam non pugnarent: quemadmodũ in ueteri Ecclesia, sacerdotum & prophetarũ ordo minimè matrimonio aduersus erat. Cõsequens est ut disputemus, num qua ratio in- 3.
ueniri possit, ut ei qui sacro ordini se cupiat ascribi, castitatẽ uouere necesse non sit. Atq; hic optandũ esset, ut ne quis uoto temerè, neue coactus se obstringeret. Cum enim actionũ humanarũ causæ sint iudiciũ & uoluntas, qui uel inuitus, uel iudicio parum circũspecto uouet aliquid, temeritatis potius aut stultitię accusandus est, quàm uoti religione cõmendãdus. Ideo & puerorũ uota, ob iudicij illius ætatis infirmitatẽ, nullius momẽti esse putãtur: & si quis ab extrinseco impulsore coactus uoueat aliquid, uix ab aliquo iudice cogi potest ad uotum exequendũ. Iam quid dicamus de impulsoribus, qui intra homines sunt, & in mẽtibus eorũ uersantur? Hominũ inquam, qui non quod uouent, id expetãt: sed quiddã aliud longè diuersum, cuius causa tandem castitatem, animo minimè suo, uouere nõ dubitent. Et quoniã sententiã quasi in conspectu totius Ecclesiæ uideor mihi dicere, dicã apertè & cãdidè omnia, ut decet tali in loco, tãtisq; de rebus. Qui hodie uotis implicant, omnes, paucissimis exceptis, beneficijs sacerdotalib. & ambitione ad uouendum alliciũtur. Sunt enim hæc maxima sacerdotiorũ autoramẽta, sine quibus uix quisq; adduci posset ad uouendũ. Qui igitur honores & ampla sacerdotia ambiunt, hi cum in luxũ rerum ferè omniũ effusi sint, an possunt castum præstare cœlibatum? Qui item uel ex aulæ ministerijs, uel ex

quolibet hominum genere,cõmodorum cauſa initiãtur,an conſtanter colunt cœlibatum? Vita quidem cõmunis ſacerdotũ teſtatur, quàm præſtent quod uoto ſpopõderunt: præſertim cum infinitus eorũ numerus florẽte & integra ætate,quidã etiã tantum non ab incunabulis,in collegia ſacerdotũ peruenerũt. Paulus in uiduarũ cœtum,quæ miniſtrent eccleſijs,non uult minorẽ annis ſexaginta allegi:iuniores reijciẽdas eẽſet.eas enim ad nubendũ,ac liberos gignendos magis aptas eſſe, quàm ad eccleſiæ miniſteria obeunda. Hodie ex iuuenibus fiunt presbyteri,hoc eſt ſeniores. Tam igitur prẽſtant cœlibatũ,quàm ſunt ſeniores. Ipſi antiſtites eccleſiarũ ſciunt,& archidiaconi nouerunt,& uulgò cõpertum eſt,quàm turpiter proſtituatur cœlibatus ſacerdotũ. Quid ita? Quia ab hominibus parum ratione ualẽtibus,parumq; ſpontis ſuæ uotus eſt:qui partim nõ intelligãt quid uires ſuę ferre poſsint,quid'ue recuſent: partim habendi ac poſsidẽdi nimio amore urgeãtur,furijſq; ambitionis impellantur ad ea uouenda, quæ nec præſtare didicerunt, nec præſtãda eſſe unq; in animum induxerũt. Quid igitur uolunt prẽfecti eccleſiarũ, ut quos malis auibus inauguratos eſſe non ignorãt,eos in hoc curſu uotorum perpetuo retinere ſatagãt? Non fert hoc rerum natura,ut curſus qui malè cœpti ſunt,bene perficiantur:& cum initio rei inſti
4 tutæ erratũ ſit,non multa inde prodeãt peccata. Remedia igitur aduerſus hoc malum quęrenda ſunt, de quibus nos cogit iam loqui curſus ipſe orationis. Votũ cœlibatus uiolatur omni cõcubitu uenereo.Qui igitur ſe illo obſtrinxit,cõcubitum omnẽ fugiat neceſſe eſt.Hoc ſi præſtari nequit,certè aut uoto obſtringẽdi non ſunt,qui initiari debẽt: aut ſi illo obſtringẽdi ſunt,tales ſacro ordini aſcribantur,de quibus ſpes ſit maxima, fore ut cœlibatũ colant piè & inuiolatè.quod & ex uita anteacta colligendũ eſt,& ex ætatis maturitate: nimirum in quam ſuſpicio non cõueniat,uitæ turpiter degẽdę. contrà atq; hodie fieri iam oſtẽdimus:cum in hunc ordinẽ ueniunt permulti ætate maximè lubrica, & multis uitijs obnoxia: qui ſacerdotiorum reditibus allecti,nihil penſi habent quid promittant:ac non tantum cœlibatũ, ſed & quiduis uouere audeãt, ut cõmoditatibus
5 & beneficijs eccleſiarũ potiãtur. Quamobrẽ ſi tales in presbyterorum ordinem ſunt recipiẽdi, ratio ipſa indicat,uinculis eiuſmodi cõſtringendos nõ eſſe,quæ tandem ſint ab illis rumpẽda. Diſplicet
Eccleſiaſtes 5. enim Deo ſtulta promiſsio,inquit Eccleſiaſtes:meliusq; eſt non uouere,quàm,quod præſtiturus nõ ſis,promittere. De his igitur ſtultis promiſsionibus deinceps agamus. Cõcubitus omnis uel fit cum uxore matrimonio iuncta,uel extra prẽſcriptũ matrimonij. Vterq; cõcubitus aduerſus cœlibatũ pugnat. ſed tamen ille à Deo cõceſſus eſt, iſte prohibitus. Cum igitur uotum cœlibatus obliget hominẽ, qui ſe illo obſtrinxit,ad perpetuã continentiam: qui hanc cõſtanter

præſtare

præstare nequit,potius est ut quærat medicinã diuinitùs cõcessam, quàm omnino uetitã. Quid tu igitur, inquiet aliquis,fenestrã aperis uiolãdis uotis? Nõ aperio,ô bone:imò dico,peccare omnem uoti uiolatorẽ: sed quemadmodũ medici faciunt,remedia quæro morbis apposita. Quod diuum Cyprianũ fecisse uideo,qui de uirginib. Deo dicatis,lib.1.Epist.11.sic inquit:Quòd si se ex fide CHRISTO di « cauerunt,pudicè & castè sine ulla fabula perseuerẽt: ita fortes & sta « biles præmiũ immortalitatis expectẽt. Si aũt perseuerare nolũt,uel « non possunt,melius est ut nubãt,quàm in ignem delicijs suis cadãt. « Etsi aũt in ea ipsa epistola multa disserat Cyprianus de uirginibus, quæ excludi ab Ecclesia,admittíue ad eam,& quibus cõditionibus debeãt: tamẽ omnem illum sermonẽ non ad eas pertinere, quæ iam nupsissent,sed quæ uel sint reipsa quod dicuntur,uel se esse simulẽt, illud argumento est,quòd de obstetricibus facit mentionẽ,quæ inspectione corporis iudicẽt de uirginitate: & lapsas non nisi exomologesi iusto tẽpore facta,ad Ecclesiã recipi iubet. De illis uerò quæ in professione & ordine cœlibum persistere nõ possint, planè pronunciat,melius esse ut nubãt, quàm ut in ignem delicijs suis cadant. Idq; Ecclesiæ magis interesse putat,quàm ut sint scandalo fratribus & sororibus. Addit etiã de illis quę extra legitimũ thorum deliciari uelint,eas hunc cœlibatui prætextum obtẽdere non posse: quòd & inspici & probari possint, an uirgines sint, cum & manus obstetricum, & oculi sæpe fallãtur. Virginẽ enim uitiari posse non tantum ea parte qua mulier potest esse, sed & alia corporis parte, quæ corrumpi potest,inspici non potest. Legat,qui uelit,epistolã totã Cypriani:facilè cognoscet, quæ dicimus. De quibus igitur uirginibus *ille loquitur*, cum melius esse pronũciat ut nubant, quàm in ignem delicijs suis cadant? Non'ne de ijs quę se Deo cõsecrarunt, aut quæ monasticũ uitę genus delegerũt? At his ipsis,non minus quàm alijs uoto castitatis obstrictis, matrimonio interdictum est. Nam & lex Chalcedonẽsis 15.nominatim eis nuptias prohibet:siq; nubãt,communione omniũ expertes esse uult. & lex uetustior erat in Ecclesia, de omnibus qui uirginitatẽ uouissent,ut à nuptijs arcerẽtur. Nihilo minus aduersus legis illius præscriptũ Cyprianus,scortationis morbo medicã manum admouere non dubitat. Primùm enim iubet,ut quę Deo sacrassent continentiã suã,in ea constanter starent, ac prę-mium uirginitatis expectarent. Illis autẽ quę fidem uoti seruare uel nollent,uel non possent,censet,seu (ut alij loquuntur) permittit, ut nubant potius,quàm eadẽ fide nihilo secius rupta,nefario cõcubitu se inquinẽt,ac tandem in ignem æternũ ruant. Neq; uerò sententia nostra est diuersa à Cypriani,qui continentiã Deo deuotam,sanctè præstandã censeamus:incõtinentię uerò malo cum non aliud remedium propositũ esse uideã,quàm matrimonij thorum immaculatũ,

Chalced.conc. c.15.& 27.q. 1.Si qua.

eo uti ſuadeo uoti uiolatoribus potius,quàm ut illi extra thorum le gitimũ Venere ſe polluẽtes, cadant in barathrũ pœnarũ æternarũ. At hoc eſt contra mores & leges Eccleſiæ.Fateor quidem.neqꝫ ego ſum autor cuiquã, ut quod publico cõſenſu factum eſt, id priuatim abroget.Sed nũc de eo,quod in cõcilio fieri poſsit,diſputo.Si enim ĩj admittendi ſunt ad ordines,quorum ætas & uita talis ſit,ut libidi nibus obſiſtere non uelint,aut non poſsint:an non potius fuerit,eis
„ permittere ut Pauli cõſilio utãtur (qui ſic ait, Propter fornicationẽ
„ unuſquiſqꝫ habeat ſuã: &, Melius eſt matrimoniũ cõtrahere,quàm
„ uri) quàm ut illi uoto obſtricti,perpetuò urantur, & in ſcortatione uolutentur? Quis enim magis uritur, niſi qui illegitimo concubitu polluit corpus ſuum? Feroces, indomiti & effrænati affectus, cum in maximis uerſentur periculis, ita tenendi & moderãdi ſunt, ut ne interdictione nimia inuoluãt hominẽ turpitudine, actionibus non dicẽdis,extremo dedecore,ac deinde morte ſempiterna. Moderan do affectui uenereo inuenit diuina ſapiẽtia thorum matrimonĩj ſan ctum.Et religio quidem uitę(de qua loquimur) prorſus ſuadet ab ſtinere à matrimonio. Sed eò iam uentũ eſt,non ut de uoti ſanctita te diſceptetur:ſed ut diſputatio fiat,utrũ alteri cedere debeat: an uo tum titulotenus matrimonio, an matrimoniũ uoto ſine re, nimirũ cum illegitimis cõgreſsibus cõiuncto. Res quidẽ tota eiuſmodi eſt, quam ſpectare neceſſe ſit uel ad uitã,uel ad mortem ſempiternã.Co gitet quiſqꝫ de illis uetulis, in ptochodochio neſcio quo impregna tis,& de infante in aquis immerſo:cogitet de offenſionibus ex cœli batu presbyterorũ infinitis: cogitet tormẽta & cruciatus cõſcientia rum incredibiles:denicꝫ cogitet,quàm ſit horrendũ incidere in ma nus Dei uiuẽtis:& facilè intelliget quæ diximus.Nam ab hominib. ocioſis uix hæc quæ dixi,cum aliquo ſenſu cognoſci poſſunt. Igitur qui in magnis tẽtationibus (tametſi innocẽtes ipſi) uerſati nõ ſunt, qui item in omnem fœditatẽ proiecti,Dei metu remoto,in uolupta tibus deliciãtur,cognitioni cauſæ huius parũ apti eſſe uidẽtur: quæ (ut ferè aliæ omnes) iudicem deſiderat,qui condolere poſsit ĩjs qui ignorãt & errãt:quiꝫ ipſe circũdatus ſit infirmitate,propter quam ut ſuũpſius,ita aliorũ miſereatur. Qualem Paphnutiũ fuiſſe credibi le eſt: cuius iudicãdi uirtus,ob cõcilĩj Nicæni memoriã,orbi ad im-
6 mortalitatem eſt cõſecrata. Sed ut Paphnutius uoce ſua cõcilio præiuit quid faciendũ eſſet,ac cõcilium tandem ſummo cõſenſu ſe quutum eſt ſententiã illius, ita puto nemini priuato de hoc ſtatuere quicꝫ licere:totam eius rei poteſtatẽ Pontificis eſſe,ac cõcilĩj legiti mè cõgregati. Quod diuus Thomas copioſè explicat 22.q.88.ar.11. expreſſeꝫ dicit,per Eccleſiã poſſe diſpenſari in uoto cõtinentiæ ſo lenniſato per ſuſceptionem ſacri ordinis. Alfonſus item Viruesius, epiſcopus Canarienſis,uir doctus,& ſcriptor perquàm diligens,de

uerbis

uerbis Pauli (Propter fornicationem unuſquiſq; habeat ſuam) diſputans, ait præceptū his uerbis non cōtineri, ſed conceſsionē & indulgentiā. Qua cōtendit, unicuiq; tribui ius ducendi uxorē, ſi aliter fornicationē uitare non poſsit. Et poſteaq; remedia ad cœlibatum conſeruandū neceſſaria deſcripſit, presbyterūq; ea omnia, ut quod uoto pollicitus eſſet, præſtaret, tentare iuſsit: audet tandem cōfidenter, ei qui tentatis omnibus cōtinere non ualeat, id cōſilij dare, ut potius ducat uxorē, ſalutiq; ſuæ cōſulat, quàm ſcortetur, & in mortem æternā ſe præcipitet. Sed tamen ſuadet, ne id ſine ſummi Pontificis autoritate faciat: cui data ſit poteſtas in ædificationē, non in deſtructionem. Hic iam finis faciēdus eſſet huic cauſæ, niſi occurreretur 7
nobis à doctis quibuſdā & eruditis uiris, dicētibus, obligatos uoto cōtinentię, minus peccare fornicādo, quàm matrimoniū contrahendo. Id enim à Pighio & Eccio traditur: & à Perionio orationis honeſtiſsimę nomine commendatur: & à uiris quibuſdā alijs eruditionis & autoritatis magnæ cōfirmatur. Me uerò autoritates nullę mouent, contra quas, rationes & teſtimonia ſcripturarū pugnent. Tu ſcelus inexpiabile admiſſum dicis à presbytero qui duxit uxorem, quam relicturus ſit nunq; : à ſacerdote uerò cōcubinario non item, propterea quòd ille animū non habeat ceſſandi: iſte in timore Dei compungatur pœnitentia, agnoſcat peccatū ſuum, à cōcubinatuq; ceſſet. Hæc enim tradūtur ab Eccio. Quid autem dices, ô Ecci, de iſtis qui ceſſent nunq; : qui concubinatū ad mortem uſq; cōplectantur: nec aliter cum cōcubinis uiuant, quàm cum uxoribus? ut ueriſimile ſit eos nunq; uera compungi pœnitentia, cum à concubinatu non ceſſent. Talium enim, quibuſdam in locis, ingentem numerum uidimus, cum prole numeroſa. quomodo talium extenuabis concubinatum, præ uxoratis presbyteris? Etenim, inquit Pighius, fornicatio poteſt fieri ex infirmitate: à presbytero autem uxorato iugum in totū excuſſum eſt. Loquamur uerò, ô Pighi, de iſtis, qui palàm & impunè uerſentur in fornicatione, adulterio ue, uſq; ad mortem. an horum peccatum infirmitatis uocabis? an hos iugum CHRISTI in totum excuſsiſſe negabis? Aiunt alij, cōcubinarios & adulteros manere in unitate Eccleſiæ, à qua uxorati ſint excluſi. Egregiā uerò manſionem, in quacunq; uelis unitate, cum eo peccato, quod te tandem dabit præcipitem in ignem æternū: ubi etiamſi ſint pœnarum gradus diuerſi, uæ tamen omnibus illis qui ibunt in ignem nunquā extinguendum. Scortatores, adulteri, fornicatores, inquit Paulus, « regnū Dei non poſsidebunt. Quis hoc de matrimonio dicat? Vox « eſt aliquando audita à Luca Aquilino (non enim puto illum mihi uitio daturum, ſi dum de teſtimonio ueritati perhibendo agitur, nomen ipſius non conticeſcam) audiuimus inquam Aquilinū theologum, uel (ut hodie loquuntur) concionatorem doctiſsimū, cum

in omnium ordinum frequentia, rege præsente, Petricouiæ in templo pro suggestu diceret, non licere presbyteris esse uxoratis propter legem cœlibatus: qua si soluerentur à cõcilio, tum quidẽ, quod hodie nõ licet, licitum fore. Non dãnauit uidelicet rem ipsam, cum de dignitate matrimonij differeret: ut faciunt, qui de hoc argumento loqui nesciunt, quin matrimonium infamia aspergãt, tanquã non deceat eos qui sacris se addixissent: sed totam rem in publicã interdictionem reiecit. Eandem sententiã luculenter cõprobari à Thoma Aquinate & Alfonso Viruesio, suprà ostẽdimus. Atqui nemo hoc diceret de scortatione, uel si Põtificis aut cõcilij autoritas accederet. Pugnat enim omni ex parte scortatio cum religione Christiana, atque adeò cum sacerdotio. matrimonium cum Christianismo nõ pugnat: imò ne cum sacerdotij quidẽ natura per se cõsiderata. Id enim iam à nobis demõstratum est, diusidiũ quod huic cum matrimonio est, non proprium ei esse, & in eius quasi neruis inhærens, sed ascititium & assumptũ. Sed quid opus multis? Cyprianus, quem suprà citaui, ait melius esse ut Deo dicata nubat, quàm extra nuptias libidinosè uiuendo, in ignis uoraginem cadat. Lege etiã Neocęsarienſi est sancitum, ut presbyter ducens uxorem, ordine moueatur: adulterium uerò aut scortationem perpetrãs, extra Ecclesiã abijciatur, & ad pœnitentiã inter laicos redigatur. Scilicet minori peccato minor pœna, maiori maior decernitur. Iam si qua autoritas canonib. à Clemente collectis, qui Apostolorũ dicuntur, tribuitur, quid magis cõfirmat sententiã nostrã, quàm canon 50, qui sic ait: Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quiuis omnino de sacerdotali cõsortio, nuptijs & carnibus & uino abstinuerit, nõ propterea quò mens ad cultũ pietatis reddatur exercitatior, sed propter abominationem: oblitus, ꝙ omnia pulchra ualde, & ꝙ masculum & fœminã Deus creauit hominem: sed diffamationibus lacessens, creationem Dei uocat ad calumniam: aut corrigitor, aut deponitor, aut ex Ecclesia ejicitor. Non uolunt hoc canone Apostoli, presbyteros à matrimonio abstinere, tanꝯ re abominãda: necꝫ eos uolũt uxorem propriam sub obtentu religionis abijcere, canone 6. At illi ijdem, in clerum nullo modo perduci uolunt eum, in quem de fornicatione adulterio ue accusatio sit instituta: ut uidere licet canone 60. Huc adde, multos clarissimos scriptores uotorum quidem sanctitatem plurimùm cõmendare: qui tamen matrimonia uoto obligatorum uel non damnãt, uel minus damnant ꝯ scortationes. Itaqꝫ & Augustinus in lib. de Bono uiduitatis, inquit: Quidam, nubentes post uotum, asserunt adulteros esse. Ego autem dico uobis, ꝙ grauiter peccant, qui tales diuidunt. Si itaqꝫ autoritatibus pugnandum est, certè istæ minimè sunt cõtemnendę: quibus scortatio in ijs qui cõtinentiam Deo uouerunt, magis dãnatur, magisꝙ punitur, ꝯ matrimonium.

18. d. presbyter.

Decretorum d. 16.

27. d. quidam.

nium. Ad hoc enim autores, quos iam citaui, alij quidē iuris cōmunis relaxatione, seu (ut hodie loquuntur) per dispensationē, alij aūt nulla mētione facta dispēsationis, uiam aperiūt: ad scortationē uerò nec hi quos dixi, nec ullus unq̄ Christianorū aditum alicui patēre unq̄ ostenderūt. Quod aūt Eccius cum suis sectatoribus, in sacerdotibus diuersum docuerunt: non tam ex animi sententia scripsisse mihi uidentur, quàm odio sacerdotū maritorū. Non rectè quidem, ut ego sentio. Nulla enim alicuius sententia ita improbāda est, ut falsum defendamus. Quod fortasse in schola tolerandū esset: in seriis sermonibus nullo modo concedendum est. Tales comparationes effecerunt, ut quidam opinentur, minus peccare eum qui scortetur, quàm qui carnes manducet die Veneris: quòd hic ab unitate Ecclesiæ discedat: ille, etsi in Deum peccet, in Ecclesia tamen maneat. Itaque in carniuoros animaduertitur grauissimè: in scortatores, etiam si publici sint, prorsus nihil, aut certe leuissimè. Ad eundē modum nostra tēpestate acerbius multo puniūtur presbyteri mariti, quàm scortatores & adulteri. Et quibus culicem non colari magna religio est, iis camelum deglutiri leuis & perexiguus error. Hæc magis reprehendenda erant Eccio, quàm istis coloribus extenuandus pauperum Christianorum sacerdotum concubinatus: propterea quòd ex fragilitate humana à concupiscentia uicti labuntur: & sunt in timore Dei, agnoscentes peccatum suum, accusante conscientia: ideo compunguntur ad pœnitentiam, & confessionem peccati sui. Hæc enim sunt uerba illius, in ea Apologia, quam pro principibus catholicis aduersus M. Bucerum scripsit, super actis comitiorum Ratisbonæ, puncto 19. folio 93. Velim autem, qui omnia admirantur Ecciana & Pighiana, ut tamen delectum habeant, quid probandum sit in scriptis illorū, quid improbandum: neq̄ mox in suspicionem hæreseos uocent eum, qui in uerba illorum iurare nolit. Videant Eccianistæ, ne leuando & molliendo presbyterorū concubinatu, causę suę patrocinari uideātur: aliosq̄ in hanc nassam illiciant, ex qua scilicet minus sit periculi. In qua quidem nassa magistrū illorum fuisse, subsignificare uidetur Bartholomæus Latomus, præclarus scriptor, & eruditus uir: dum Bucerū ob uxorem, & Eccium ob mulierculam, cum qua fortasse (ut ipse ait) commoratus sit, inter se comparat. Quòd si sic uixit Eccius, non mirum est, talem uiri fuisse orationem, quales mores fuerunt. Omnino uidimus non tantum pauperum, de quibus nominatim Eccius loquitur, sed & diuitum Christianorum, si dijs placet, sacerdotum, scortationem perpetuam non secus tolerari, quàm si iure permissa esset. Quæ cum in oculos hominum incurreret, grauissimamq̄ afferret offensionem: tamen inuenti sunt theologi, qui eam extenuarent, ac pulchris additis coloribus tantum non commendarent.

Verba Eccij.

APOLOGIA.

DE matrimonio presbyterorum quæ scripsimus, multa arguuntur à multis: nõ sine aculeis cõtumeliarũ, quibus pungimur. Quos quidẽ aculeos nos omittemus: ad accusationes tantùm respondebimus. Deinde magis cõfirmabimus sententiã nostram. 1 Primùm sentẽtia nostra quæ in libro ad notam unitatis ponitur, sic à criticis corrigitur: ordinẽ sacrũ matrimonio nõ repugnare, quatenus utrunq; sacramentũ est: cæterùm quæ à matrimonio iunctis fiũt, ea cum sacerdotio pugnare. Quasi uerò, qui matrimonij sacramẽto iũcti sunt, officiũ matrimoniale præstare nõ possint sine indignitate sacerdotij: uerbaq; illa (Erunt duo in carne una) & illa (Matrimoniũ in omnibus honorabile, thorusq; immaculatus) nõ de matrimonio sacramento, sed de re profana, sint accipiẽda. Quòd si Lõbardus uerè scripsit, nõ tantùm consensu coniugũ mutuo copulã CHRISTI cum ecclesia significari, quæ quidẽ copula sit per charitatẽ: sed & cõmistione sexuũ eandẽ copulã significari, quæ sit per naturæ cõformitatẽ, (sumpsit enim CHRISTVS formã de natura hominis) an hæc cõmistio nõ inter res sacras numerabitur, quę quidẽ mihi matrimonij propria esse uidetur. Nã illa unitas quæ ex cõsensione animorũ existit, extra matrimoniũ etiã inuenitur in amicis. At copulatione corporũ legitima, caro una coniugũ, unioq; illa efficitur, quæ Christi cum ecclesia unionẽ representat. Quã unionẽ Paulus ut indicaret esse maximã, ab illa cõiugũ cõsociatione sumit similitudinẽ hisce uerbis: *Sic debent uiri amare uxores suas, ut sua ipsorũ corpora. Qui suã uxorẽ amat, seipsum amat. Nã nemo unq; suum corpus odit, sed id alit, foueteq;, ut* CHRISTVS *ecclesiã: cuius* CHRISTI *corporis mẽbra sumus nos, ex eius carne atq; ossibus.* Certè hæc omnia de cõiugib. accipiẽda sunt, qui nõ tantũ animo, sed corpore etiã unũ sint: quorũ coniunctio uel ad sobolẽ procreandã, uel ad stuprũ uitandũ, sit destinata. Hæc matrimonio, ut est sacramẽtum, adeò sunt necessaria, ut qui illis explendis impar sit, diuortio coniugem amittere cogatur: nimirum qui finem matrimonij consequi nequeat. Huc enim, opinor, spectat caput iuris, de frigidis & maleficiatis. Contrà, qui hoc uitæ genus professus, explere possit munera hæc uel conseruando humano generi, uel scortationi uitandæ necessaria, huic necessitatem impositã esse persoluendi, non iam suo, sed coniugis arbitratu, quod debet, docet Paulus. Quorsum igitur hæc censura de matrimonij officijs, tanquam de rebus nihil ad sacramentum matrimonij pertinentibus? 2 Critici sic pergunt: Si sacerdotem esse, nihil esset aliud, quàm prophetam esse, uerbiq; ministerio fungi: non ita pugnaret natura sacerdotij cum nuptijs, quin eidem conuenirent. Quoniã uerò certum esse dicit Origenes, impediri sacrificiũ indesinens ijs qui necessitatibus coniugalibus inseruiunt: uidetur illius solius esse offerre sacrificiũ indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se deuouerit castitati. Dicit hoc quidem Origenes. Quid etiam sit sacrificium indesinens, explicat. Enumerat ibi festiuitatum Dei ordines multos: primamq; festiuitatem appellat indesinentem, quam cum sacrificijs indesinentibus coniungit, quæ indesinenter & sine ulla prorsus interruptione in matutinis & uespertinis offerantur. Dies ergo, inquit, festus est Domini, si sacrificium indesinens offeramus: si sine intermissione oremus: ita ut ascendat oratio sicut incensum in conspectu eius manè, & eleuatio manuum nostrarum fiat ei sacrificium uespertinum. Deinde paulo pòst ostendit, qui eiusmodi festũ agere, & eiusmodi sacrificium offerre queant, his uerbis: Certũ est, quia qui peccat, & agit diem peccati, agere nõ potest diem festum. Et ideo illis diebus, quibus peccat, offerre nõ potest indesinens sacrificium Deo. Sed ille offerre potest, qui indesinenter custodit iustitiam, & conseruat semetipsum à peccato. Qua die autẽ interruperit & peccauerit, certum

Criticorũ censura excutitur.

Sen. 4. d. 26. § cum ergo.

Origenis sentẽtia de sacrificio indesinenti explicatur.

Orig. hom. 23 in Num.

tum est quòd in illa die non offert sacrificium indesinens Deo. Vereor aliquid dicere, quod ex sermonib. Apostolicis intelligi datur, ne fortè uidear aliquos contristare. nam si oratio iusti sicut incensum offertur in conspectu Domini, & eleuatio manuũ eius sacrificium est uespertinũ: dicit autẽ Apostolus ijs qui in coniugijs sunt, Nolite fraudare inuicẽ, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi, & iterum in idipsum sitis: certum est, quia impeditur sacrificium indesinens, ijs qui coniugalibus necessitatibus seruiunt. Vnde uidetur mihi, quòd illius est solius sacrificiũ offerre indesinẽs, qui indesinẽti & perpetuę se deuouerit castitati. Hactenus uerba Origenis: in quibus, mea sentẽtia, nihil dicitur de sacrificio missæ: sed tum de festiuitate indesinenti, quæ perpetuò agenda sit: tum de sacrificio etiam indesinenti, quod manè & uesperi offeratur. Quod ipse dicit orationem indesinentem, quæ sicut incensum ascendat in cõspectũ Domini manè: & manuum eleuationem, quę fiat sacrificiũ uespertinũ. Hoc uerò sacrificium, an non ad uniuersum populum Dei pertinet: perinde quidẽ ad laicos, atq; sacerdotes? Qui uerò sunt, qui tales dies festos agere, & talibus sacrificijs operam dare possint? Dupliciter respõdet. Primò simpliciter: Illi, inquit, qui non peccant: peccantes enim nec hanc festiuitatem agere, nec hoc sacrificiũ offerre posse. Secundò cunctanter & timidè, ex uerbis Pauli ratiocinando de coniugibus: qui cum castitatem perpetuam nõ seruent, cõcludit eos sacrificium indesinens offerre non posse. Hæc collectio est Origenis: recta'ne an non, nihil nunc refert dicere. Timidè certè hac in parte loquitur. Satisq; est nostro proposito, nihil hîc de missæ sacrificio dici: nihil de sacerdotũ officio peculiari: totũ sermonẽ ad cunctũ populũ pertinere, cui tum de festo, tũ de sacrificio perpetuò cõcionabatur. Hæc de sentẽtia Origenis. Recitatur tandẽ argumẽtũ Hieronymi aduersus louinianũ, his ferè uerbis: Sacerdoti orãdum est semper: semper etiã pro populo offerẽda sacrificia: ergo semper carendum matrimonio. nam & laicus fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali: & in ueteri lege, qui pro populo hostias offerebant, ab uxorib. separabantur. Enimuero si Hieronymus de oratione illa loquitur, quæ est perpetuum quoddam studium implorandi diuini auxilij, talis non minus laicis quàm sacerdotibus præcipitur à Paulo, dum orare iubet indesinenter. Talis oratio ut cibo, potu, & actionibus alijs honestis minimè impeditur, ita nec coniugali congressu, qui (Apostolo teste) thorus est immaculatus. Sin de illa grauiore, quæ ferè cum ieiunio coniungitur, huius causa à maritalibus officijs ad tempus cessandum esse, idem Paulus author est. Verùm hoc non ad sacerdotes tantùm, sed ad laicos quoq; referendum est. neq; precum solennium causa modò, sed & tempore belli, & in omni calamitate id esse necessarium, non minus nobis quàm ueteri olim populo à Deo traditum. Quod Ioel uates sic testatur: Egrediatur sponsus de cubili suo, & spõsa de thalamo suo. Moses etiam multis antè seculis, populo legem susceptur o edixerat, ut in diem tertium parati essent, seq; à mulieribus abstinerent. Certè in eiusmodi solennitatibus, non thalamos duntaxat cõiuges deserere debent: sed à cibo & potu delicatiore, à somno longiore, & negotijs alijs abstinere, ut rebus diuinis maiore animi deuotione adesse possint. Cùm autem solennitates & ferię eiusmodi perpetuæ non sint, ut nihil prohibebat sacerdotes olim uxores habere: ita ne nunc quidem prohiberet, si per concilium Christianum id liceret. Non'ne patriarchæ, prophetæ, & multi sancti uiri mariti fuerunt? in quibus tamen tantũ studium religionis ac ueræ pietatis in Deum & in homines fuerat, ut nunc illi in primis nobis proponantur ad imitandum: & Abraam pater omnium credentium appelletur? Si quis amplius urgeat, ac neget eum qui sacrificia offerre debeat semper, uxori aliquando coniungi debere: huic non aliud respondebimus, quàm quod synodus sexta decreuit, & à Gratiano relatum est 31. d.

3 *Argumenti Hieronymiani examẽ, et ad authoritatẽ eiusdẽ aliorũq; magnorum uirorũ responsio.*

1. Thes. 5.

1. Cor. 7.

Ioel 2.

Exodi 19.

Quoniã. Primùm Romanæ legis mẽtio fit, qua ſacris initiati à cõmercio ſuarũ uxorũ arcebãt. Deinde ea lege neglecta, canõ Apoſtolicę diligẽtiæ renouat, ut ſacrorũ uirorũ legales nuptię deinceps ualeãt: cõnubia eorũ ne diſſoluant: familiaritateq; uxorũ, in tẽpore opportuno ne priuent. Ad hæc, nemo ſacro miniſterio dignus uel à tali miniſterio prohibeat ob uxoris cõſuetudinẽ, uel tẽpore ordinatiõis ad profitendã caſtitatẽ cogat. Tertiò, modus cõſuetudinis cũ uxore habẽdę addit: nẽpe ut ſacerdotes tẽpore oblationis à cõplexu mulierũ ſuarũ abſtineãt. Quartò, pœnę in cõtraueniẽtes legi huic addũtur: Qui priuare uelit ſacerdotem cõmunione uxoris ſuæ, deponat: Sacerdos aũt qui religionis ergò abiecerit à ſe uxorẽ, excõmunicetur, deponatur ue. Ita & ſummã decreti Sextæ ſynodi expoſuimus: & obiectioni Hieronymi ſatis, ut opinor, fecimus. Non enim puto neceſſe eſſe, ut omnis ſacerdos ſacrificium faciat omni die. quod nec in ueteri eccleſia obſeruatum fuiſſe, ex hiſtoria de Zachariæ miniſterio apparet. In noua aũt, quantus eorũ eſt numerus, qui in anno uix ter quater ue ſacrificant? Qui frequentius, hi tempora habent miniſterij diſpertita, quibus per uices ſacris operãtur: qui omni die, hi ferè uictum miſsis celebrãdis quærũt. Quãuis igit quotidie operãti, perpetuò carẽdũ eſſet matrimonio: tamẽ qui ſæpe à ſacrificio uacãt, eos cũ uxorib. cõſuetudinẽ ſtatis temporibus habere, nihil impediret. Oblatiõesq; taliũ in eccleſia minimè eſſe improbãdas, canone Quarto cõcilij Gangrẽſis ſancitur, his uerbis: Si quis diſcernit presbyterũ cõiugatũ, tanq; occaſione nuptiarũ offerre nõ debeat, & ab eius oblatiõe ideo abſtineat, anathema ſit. Hoc aũt quòd à nõnullis dicit, nõ pugnare quidẽ maritũ eſſe & ſacerdotẽ: ſed pugnare, inter quotidianos uxoris amplexus uerſari, & cœleſtia myſteria tractare: uerè quidẽ ex parte, nõ totũ dicitur. Nõ enim tales omnes mariti ſunt, qui ferãt perpetuos amplexus uxoris. Ne uiro quidẽ politico id cõuenit, niſi ſit aliquis Sardanapalus: tantũ abeſt ut ſacerdoti probo conueniat. Multi uiri ſunt, quib. præter uxores curæ eſt Reſp. & religio. Multę uxores ſedulæ & ſapiẽtes, quę ſint ornamẽto uiris ſuis, quę domos ſuas inſtruãt: quales qui inuenit, bonũ inueniat, & Domini fauorẽ obtineat. Multi cõiuges, qui in hoc uitæ genere caſtè modeſtèq; uiuẽtes, non minus ſe ſuaq; officia Deo ac eccleſiæ approbare poſsint, atq; ipſi cœlibes. Ex huiuſmodi cõiugib. ſumẽda ſunt exẽpla matrimonij ſacerdotalis. Proponẽdus inter cæteros Zacharias cũ Elizabetha: qui cõiuges erãt, ambo apud Deũ iuſti, ſeſe in omnib. Domini præceptis & inſtitutis gerẽtes inculpatos. Tales ſi ante oculos poſuerimus, deſinemus loqui de perpetuis amplexib. cõiugũ. Deſinemus cogitare de ineptijs cõiugũ, quæ ſine rubore nominari nõ poſsint. Non enim ad iſtas ineptias, nõ ad laſciuiã aut immoderatã libidinẽ, ſed ad neceſsitatem, & ad ſtupra uitãda matrimoniũ inſtitutũ eſt. Qui nullũ carnalẽ cõcubitũ putat ſine peccato fieri poſſe, is in totũ dãnet matrimoniũ neceſſe eſt. At hoc dãnandũ non eſt, quod à Deo inſtitutũ, à CHRISTO cõſecratũ, à multis ſanctis uiris celebratũ & initũ eſt. Nõ igit omnis cõmiſtio ſexuũ dãnanda. Eſt thorus aliquis immaculatus, ut dicit Apoſtolus. Talis uerò quid ſanctitati ſacerdotali oberit? Neq; uerò ſum ignarus, à multis doctis & pijs uiris argumentũ illud Hieronymi, cuius põdus tãtopere examinamus, tãquã Achilleũ in mediũ produci. Verùm prẽter ea quę diximus, morib. etiã & inſtitutis Græcarũ eccleſiarũ prorſus refellit. Aut enim Græcorũ ſacerdotib. nec offerre, nec ſacra facere licet ſine crimine: aut ſi licet, iaceat illud argumẽtũ oportet, nec uirib. et (ut ita dicã) lacertis ſuis ualet, ſed tãtũ Latinę eccleſię ſuffragijs. Ignis ubiq; adurit, nõ minus apud Græcos quàm Latinos. Natura enim ignis ea eſt, quæ ab hoc effectu ſeiũgi nõ queat. Quòd ſi hæc ſacerdotij natura eſſet, quę propter oratiões & ſacrificia, cõiugij officia prorſus excluderet: tale eſſet ſacerdotiũ ubiq;. Sed tale nõ eſt apud Græcos. Nõ igit naturà tale eſt: ſed hoc quicquid eſt, externũ

28. d. Si quis diſcernit.

Prouerb. 12. 14. 18.

illi

illi & aduentitium est, uoto cœlibatus, aut (si mauis) constitutione Latinæ ecclesiæ illi adiunctum. Hinc autem perspicuum est, cœlibatum presbyterorum non esse ecclesiæ catholicæ, nec in confessione fidei catholicæ debere numerari, sed Latinæ tantum: ut qui contra illum differat, nõ contra catholicam, sed Latinam tantum ecclesiam differere uideatur. Augustinus in libro Psalmorum dicit, Gratiano referente, copulam sacerdotalem uel cõsanguineorũ, nec legali nec euangelica uel apostolica authoritate prohiberi: ecclesiastica tamen lege penitus interdici. Et audent aliqui testimoniorum cumulos, sacerdotalibus nuptijs proscindendis, ex legalibus euangelicis & apostolicis scriptis coaceruare: cùm illis scriptis, si Augustino credimus, prohibitę nõ sint. Audẽt non tantum sacris iam initiatos à matrimonio ineundo dehortari: sed prorsus ostendere, coniugalia officia illos nullo modo decere. Dolendum profectò, eò uel impietatis uel insciti æ in ecclesia Christiana progressum esse, ut non secus de matrimonio iudicetur, quàm de re profana, cui aliqua turpitudo sit coniuncta. Qui cœlibatum ordini sacerdotali primi adiunxerunt, uidẽtur rationem illam ante oculos sibi posuisse, ut qui maximi muneris curationem susciperent, uacui essent ab ijs rebus, quibus uita humana in matrimonio carere nõ potest. Hanc opportunitatem Paulum sequutum esse, probabile est: qui cum more aliorum apostolorum, & in primis Petri, potestatem haberet mulierem sororem circunducendi, non eam circunduxerit: ut (quẽadmodum Clemens apud Eusebium loquitur) ad euangelij prædicationem expeditior esset. Postea consequuti sunt homines, qui non tam illam curarum coniugalium uacuitatem sibi proposuerũt, quàm coniugium tanquam rem profanam sacerdotio indignã esse arbitrati sunt: contra & ueteris ecclesiæ mores ac instituta, & nouæ illius, quæ mox à Christi in cœlum ascensu, quod infrà ostendemus, cum cõiugijs sacerdotia iungebat. De argumento Hieronymi satis. Quòd si quis me tanti uiri authoritate aut aliorum qui matrimonium eiusq; officia sacerdotali dignitate indigna putent, premere pergat: huic ex Erasmi & Alfonsi Virucsij sententia respondeꝛim, Hieronymũ iniquiorem matrimonio fuisse: itaq; eius authoritatem naturæ causæ minimè nocere debere. Nam cum Iouiniani aut Heluidij hæresi esset excitatus, tantis laudibus uirginitatem extulit, ut nõnunquam de matrimonio parum honorificè loqui uideretur. Quorsum enim illa eius uerba: non negamus uiduas, non negamus maritatas, sanctas mulieres inueniri: sed quæ uxores esse desierint: quæ in ipsa necessitate cõiugij, uirginum imitentur castitatem. Hæc ab Hieronymo ita dicta sunt, quasi coitus in matrimonio sit illicitus: matrimoniumq; sanctum cum suo officio coniunctũ, non sit honorabile, aut thorus immaculatus. Multa eiusmodi uirginitatis studio à patribus scripta sunt. Quale illud est, quod ex Ambrosio Gratianus citat: Nuptiæ terram implẽt, uirginitas paradisum. Et illud quod Augustinus optat, ut omnes ab omni concubitu abstineant. citius enim sic implendã Dei ciuitatem. Quòd si hæc intelliguntur, coniugatis cœlum non patere, uirginibus patere, quid ineptius? imò quid falsius? nam & uirgines multæ sunt fatuę, quarum lampades extinctę sint: & coniuges multi sanctissimi in ecclesia Dei. Quanto uerius diceretur, & matrimonium & uirginitatem ita implere cœlũ, si & coniuges & uirgines piè uixerint. Vtrunq; enim opus est Dei: de utroq; honorificè & dicendum, & sentiendum. Et mulier seruabitur per liberorum procreationem, si permanserit in fide, charitate, sanctimonia, cum frugalitate. Et cœlebs, aut uirgo, si res Domini curauerit, sancta erit tàm animo quàm corpore: quæ uia est expeditissima ad cœlum perueniendi. Hæc ad authoritates magnorum uirorum. Redeamus ad canonem Quoniam, suprà citatum: quem ecclesiæ orientali seruire, Gratianus eodem in loco, §. Hoc autem exloco, fatetur. Mihi uerò id satis est, qui naturam sacerdotij orientalis & occiden

26. q. 2. sors.

1. Cor. 9.

Euseb. Eccles. hist. lib. 3. c. 30.

22. q. 1. nuptiæ.

Aug. de bono cõiugij.

talis ecclesiæ contendo esse eandem: quodq; in occidentali ecclesia obseruetur, id uel ex uoto continentiæ, uel ex constitutione ecclesiæ fieri, non ex natura, aut essentia sacerdotij. Seu igitur afferantur scriptores Latini contra nostram sententiam, seu Græci, dicemus illos quidem loqui de sacerdotio uel uoto uel constitutione ecclesiæ ad cœlibatum seruandum obstricto, non de eodem nudè considerato. Istis autem opponemus synodum sextam, quæ & ipsa Græca erat: maioris quidem authoritatis, quàm uel Socrates Græcus, uel Epiphanius Cõstantię Cypri episcopus, quantũuis illi diuersum sentire uideantur. Iam alijs obiectionibus respondeamus. De uerbis Pauli, Oportet episcopum unius uxoris esse uirum, multorum scriptorum nomina citantur, qui digamos excludant à sacerdotio. Quod quidem ita esse, ipse uidi apud Origenẽ in Lucã hom. 17. & Ambrosiũ 1. Tim. 3. Verùm neuter, Pauli uerbis interpretandis, monogamos excludit: quod satis est nostrę sententiæ cõprobandæ. Hieronymus etiam, etsi matrimonio presbyterorũ iniquior, in disputatione aduersus Iouinianũ sic scribit: Si autẽ Samuel nutritus in tabernaculo duxit uxorem, quid hoc ad præiudicium uirginitatis? Quasi non hodie quoq; plurimi sacerdotes habeãt matrimonia: & Apostolus episcopũ describat unius uxoris uirũ, habentem filios cum omni castitate. Idem extra rhetoricationẽ & extra disputationem, sedatis affectibus, uerba Pauli de quibus agimus sic interpretatur: Quidam de uerbis Pauli ita sentiunt: Iudaicæ consuetudinis, inquiunt, fuit, uel binas uxores habere, uel plures. Quod etiam in ueteri lege de Abraam & Iacob legimus. Et hoc nunc uolunt à Paulo esse præceptum, ne is qui episcopus eligendus est, uno tempore duas pariter habeat uxores. In epistola item ad Oceanum, sic inquit: Ex Iudæis erat apostolus: prima CHRISTI ecclesia ex Israel reliquijs congregabatur. Sciebat lege concessum, & exemplo patriarcharum ac Mosi familiare populo nouerat, in multis uxoribus liberos spargere. Ipsis quoque sacerdotibus huius licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergo, ne eandem licentiam ecclesiæ sibi uendicent: sacerdotes ne bina pariter & trina sortiantur coniugia, sed ut singulas uno tempore uxores habeant. Hanc interpretationem affert Hieronymus uerborum Paulinorum. Etsi autem plures quoq; afferat, tamen alias prorsus improbat: alias uocat coactas, nonnullas superstitiosas magis quàm ueras. Hanc uerò quam recitauimus, minimè reprehendit. Si igitur nos authoritate Hieronymi urges, ecce tibi eiusdem Hieronymi authoritatem: si sententijs illius, habeo eius contrarias sententias. Placet tibi, quod ille dicit presbyteros à matrimonio arcendos: placet & mihi, quod idem dicit sedata oratione Paulum interpretando. Quòd si tibi hæc contraria apud eundem ferenda non uideantur, quid aliud restat, quàm ut istis riuis relictis, ad fontem recurramus, ac Pauli uerba expendamus? quod à nobis in Libro factum est. Sed tibi perridiculum uidetur, quod ex illis Pauli uerbis quidam colligunt: dum non uolunt non fuisse, sed esse oportere episcopum unius uxoris uirum. Ego uerò, ut sis sciens, non id colligo: sed Paulum istis ipsis uerbis sic scriptum reliquisse affirmo, Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris uirũ. Omnes quos habere potui, adhibui interpretes. nullus scripsit, fuisse: omnes scripserunt, Esse. Quo uerbo, qui Græcè sciunt, usum esse Paulum affirmant, cum dicit, δεῖ οὖν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίλημπτον εἶναι, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. Eodem uerbo usum esse infrà de Diaconis, διάκονοι ἔστωσαν μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες. Ais Hieronymum ita scripsisse, Oportet Episcopũ irreprehensibilem esse, ut nulli uitio mancipatus sit: unius uxoris uirum, qui unã habuerit uxorem, non habeat. Scripsit, sed calore contentionis. Cæterum uerba Pauli in commentarijs enarrando, nihil huius meminit. Ad Pammachiũ item affirmat, bigamos excluſos à sacerdotali dignitate, propter sacramenti uirtu-

Verborum Pauli, Oportet episcopũ unius uxoris esse uirum, fusior interpretatio.

Hier. lib. 1. in Iouin.

Hier. in ep. ad Tit. 1.

Idẽ ad Oceanum.

uirtutẽ, ut sit unius uxoris maritus, sicut unius ecclesiæ unus quoq; est CHRISTVS. Est etiam inter constitutiones Sylvestri primi, ut Platina narrat, gradus in ordinibus ecclesiasticis illum constituisse: ut unusquisque uno ordine contentus sit, & unius solum uxoris uir. Obijcitur ex Hieronymo: Si, inquiunt, sententia hæc, ut episcopus sit unius uxoris uir, recipitur, non erit episcopus & sacerdos CHRISTVS, non Paulus, non Ioannes euangelista, non multi alij qui cœlibes fuisse leguntur. Obijcitur hoc quidem à Hieronymo, sed illis qui putant rem necessariam esse ut episcopus sit uxoratus: neminemq; ordinandum episcopum, nisi qui prius uxorem duxerit. Pauli uerò uerba non sunt præcipientis, sed permittentis. Permiserunt enim, inquit ipse idem Hieronymus, Apostoli eo tempore, ut episcopus esset unius uxoris uir, quando recenti adhuc ecclesia non poterant inueniri tot uirgines, nec cœlibes quidem, quot episcopis & sacerdotibus opus erat. Eodem sensu Chrysostomus: Non hoc, inquit, uelut sanciens dicit Apostolus, quasi non liceat absque uxore episcopum fieri: sed eius rei modum constituens. Alibi sic idem: Obstruere, inquit, uoluit Paulus ora hæreticorum, qui nuptias damnarẽt: & matrimonij dignitatem ostendere, cum quo aliquis posset ad sanctum episcopatus solium euehi. Hæc quidem ad Paulinorum uerborum explicationem attulimus, quæ planissima sunt. Primùm enim episcopo modum præscribit habendi matrimonij, cum dicit: Sit unius uxoris uir. Deinde diaconis, dicens: Diaconi sint unius uxoris mariti. Idem de presbyteris ad Titum sic inquit: Reliqui te in Creta, ut constituas presbyteros: Si quis est inculpatus, unius uxoris uir. Cum igitur ijsdem omnino uerbis utatur episcoporum, diaconorum, & presbyterorum uxoribus describendis: dubitabimus adhuc de matrimonio eorum? præsertim cùm & liberorum mentionem faciat, & ex huiusmodi uita laudatè & honestè acta bonũ eligi uelit ministrũ ecclesiæ. Nã cuius industria, prudentia & integritas in liberis ac familia gubernanda est cognita, is idoneus putatur qui accedat non tantum ad Rempub. sed etiam ad gubernandam Dei ecclesiam. Sunt enim hæc à Paulo scripta, inter boni ecclesiæ ministri rationes: Qui suæ domui bene præsit: qui liberos habeat in subiectione, cum omni reuerentia. Quòd si quis suæ domui præesse nõ nouit, quomodo ecclesiam Dei curabit? De cœlibatu quidem nihil eiusmodi dicit Paulus, boni episcopi facultatibus enumerandis. Quamobrem à maioribus nostris sæpius maritos, rebus diuinis deditos, ad ecclesiæ gubernationem uocatos esse: uirgines uerò, qui negotijs profanis uacabant, neglectos, Hieronymus ostendit, cum in libro contra Iouinianum primo quærit, & sibi respondet his uerbis: Et quomodo, inquies, frequenter in ordinatione sacerdotali uirgo negligitur, & maritus assumitur? Quia fortè cætera opera non habet uirginitati congruentia: aut uirgo putatur, & non est: aut est uirginitas infamis: aut certè ipsa uirginitas ei parit superbiã: & dum sibi applaudit de sola corporis castitate, uirtutes cæteras negligit. Hactenus de sententia Pauli: quæ tam clara est & sermonis genere, & ijs quæ ad eam pertinentia subiecta sunt, ut interpretationes uarias ad eam exponendam quærere, hominis sit otio nimium abutentis. Verùm nobis, propter peruersa quorundam iudicia, tot uerba effundere necesse erat. Quoniam autem de Apostolis hîc quæritur, habuerint uxores nec ne, de eo aliquid dicendũ est. In canonicis quidẽ Biblijs de socru Petri, & filiab. Philippi legitur: quod argumẽto est, Petrũ & Philippũ uxores habuisse. Quod etiã ab Eusebio traditũ est, ex Clemẽtis autoritate, his uerbis: Clemens propter eos qui nuptias reprobabãt, eos qui ex Apostolis in cõiugijs fuisse probãtur, recẽset dicens: An & apostolos reprobabũt? Petrus enim ac Philippus liberis procreãdis operã dederũt, Philippus etiã filias suas uiris nuptũ dedit. Et Paulus nõ detrectat in

Hieron. in Iouin.

Chrysost. in 1. Tim. 3. Hom. 10. in Tit. ho. 3.

De uxorib. Apostolorum. Matth. 8. Act. 21. Eus. in eccl. hist. lib. 3. c. 30.

epiſtola quadam ſalutare coniugem ſuam, quam non circunduxit, ut ad ministerium expeditior eſſet. Et paulo pòſt dicit, Petrum, cum uxorẽ ſuam admortem duci cerneret, gauiſum quidẽ fuiſſe uocationis gratia, & quòd ad ſua remearet. acclamaſſe uerò illi admodum, hortandi & cõſolandi gratia, ex nomine eam compellando, ac dicendo, ô N. memento Domini. Tale erat beatorum coniugium, & integer amiciſſimorum affectus. Qua de re & Ignatiũ in epiſtola ad Philadelphenſes, idem Euſebius narrat, meminiſſe his uerbis: Non detraho cæteris beatis, qui nuptijs copulati fuerunt, quorum nunc memini. Opto enim Deo dignus ad ueſtigia eorũ in regno ipſius inueniri, ſicut Abraã, Iſaac & Iacob, ſicut Ioſeph & Eſaias & cæteri prophetæ, ſicut Petrus & Paulus & reliqui apoſtoli, qui nuptijs fuerunt ſociati: qui non libidinis cauſa, ſed poſteritatis ſubrogandæ gratia coniuges habuerunt. Quòd ſi Apoſtoli habuerunt coniuges ſubrogãdæ poſteritatis gratia, quid eſt quod aliqui ita affirmare audent, Non eſſe dubitandum, Petrum, & alios Petri exemplo, poſtquam CHRISTI diſcipuli facti ſunt, cum uxoribus commercij deinceps nihil habuiſſe? Vnde enim iſthæc certitudo? Si hoc probabile uideri poſſe diceretur, tolerandum eſſet: nunc quî certum hoc eſſe poteſt? Tantùm enim ad tempus coniugibus temperantiam ſuadet Paulus: nempe ut ieiunio & precibus uacent, idq; ex mutuo conſenſu. Quos cum admonet ut redeant in idipſum, hoc eſt, ut congrediantur: an non palàm indicat, modum adhibendum eſſe immodicæ coniugum caſtimoniæ: idq; graui addita cauſa, ne tententur à ſatana? Iam ſi Petrus ab uſu coniugij abſtinuit, certè ex conſenſu uxoris abſtinuit. Illa enim beneuolentiam debitam expetente, Petro negare minimè licebat. Quàm ſit enim abſurdum, uſum coniugij negare ei qui coniugem habeat, in Libro oſtendi. Quàm autem graue, & periculi plenum, & Paulus ipſe teſtatur, dum coniugibus, ob nimiam temperantiam, metuendas eſſe dicit ſatanę tentationes: & Dionyſius Areopagites oſtendit in epiſtola ad Gnoſios, qua commonet & precatur epiſcopum eorum Pynitum, ne graue ſeruandæ caſtitatis onus neceſſariò fratribus imponat, ſed multorum ſeſe imbecillitati attemperet. Quòd autem Paulus tempus anguſtum eſſe dicit, ut qui uxores habent, perinde ſint ac ſi non habeant: de moderato coniugij uſu, & nõ de perpetua continentia intelligendum eſſe, declarant quæ ibidem ſequũtur: quæ certè deploratu aut gaudio perpetuo accipi non poſſunt. Deinde quòd CHRISTVS dicit, omnem qui reliquerit domum, fratres, ſorores, patrem, matrem, uxorem, eum centuplum accepturum: non nudè intelligendum eſt, ſed Dei & Euangelij cauſa. nam ſi Deus requirat, non tantũ ea quæ à CHRISTO hîc ſunt dicta, ſed noſtra ipſorum uita eſt deſerenda. imò & odio habenda, ſi diuerſum quid ſuadeat quàm CHRISTVS uelit. Si quis enim, inquit CHRISTVS, ad me uenit, nec ſuum patrem & matrem, & uxorem & liberos, atque adeò ſuam ipſius animam odit, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hæc de uxoribus Apoſtolorum. Atq; hîc à nonullis introducitur diſputatio, de quæſtionibus à Paulo explicatis 1. Cor. 7. Verùm quia parum ſeruit noſtro propoſito, & paucis explicari non poteſt, alibi eam tractabimus. Exagitãtur à criticis & ea quæ in Libro attulimus, improbando gloſſam uerborum (matrimonio copulantur) 31. d. Aliter. Aiunt uerba illa pro eo accipi debere, quod eſt, matrimonio copulato utuntur: propterea quòd ſic acceptum ſit 30. q. 1. Noſſe deſideras, & à diuo item Gregorio, & ab interprete Chryſoſtomi ſic uſurpatum. Mitto quærere, quàm aptè illa loca citentur, dum uel pro coniunctis ſimplicia uerba afferuntur, uel in coniunctis non minus contractus matrimonij quàm uſus intelligi poſsit. Illud quæro, an quia alibi ita acceptum ſit ut tu uis, ideo in hoc loco ita accipi debeat? Nos ex ſecunda parte antitheti, quæ clariſſima eſt, ſenſum prioris partis colligimus. Tu ex prima parte, quæ & ipſa clariſſima

Euſ. Eccl. hiſt. lib. 4. c. 23.

Luc. 14.

Intellectus canonis Aliter, in libro citati, defenditur.

rissima est, si per glossam liceret, uim facis secūdæ parti, non eam interpretaris. Quid autem causæ, cur, quod feciſti prima parte interpretanda, idem non feciſti secunda explicanda? Fortasse ratio antitheti te ad rectam intelligentiam cō uertisset. Quid enim est sortiri coniugiū, quàm contrahere, &, ut ita dicam, nanciſci illud? Sic enim & Hieronymus in epistola ad Oceanum suprà citata intelligit, cum dicit, Sacerdotes ne bina pariter & trina sortiantur cōiugia: & Lombardus Sen. 4. d. 37. §. Sunt igitur. pro eodem usurpata, sortiri coniugium, sortiri uxorem, & ducere uxorem. Latini etiam utuntur illis modis dicendi, sortiri prouinciam, sortiri magistratum: pro eo quod est, obtinere uel consequi. Apostolus item in epistola ad Hebræos 1. dicit CHRISTVM præangelis excellentius nomen sortitum esse: quod alij interpretati sunt, nomen obtinuisse: alij, nomen hæreditasse. Et Petrus Actor. 1. dicit, Iudam sortitum fuisse partem ministerij Apostolici. Quis autem unquam dixit sortiri coniugium, pro eo quod est dormire cum uxore? Hoc si tu cogitasses, nunquam hunc esse germanum uerborum Stephani sensum, quem dicis, pronunciasses: nec orationem rectam, tanta ui, in partes quibus studes detorsisses. Verba Stephani sunt hæc: Orientalium sacerdotes matrimonio copulantur: occidentalium nullus licentiam habet coniugium sortiendi. Quorum tu hunc sensum dicis esse germanum: Orientalium sacerdotes mariti præstant uxoribus quod debent ex lege matrimonij, occidentalium nequaquam. Quid magis alienū à recta interpretatione? Ac ne tibi absurda uideatur sententia Stephani papę, subscribit ei Innocētius, & ipse Papa, eius nominis Quartus, scribēs de ordinatis ad sacros ordines, eos matrimoniū cōtrahere posse, nisi cōstitutiones ecclesiæ hoc prohiberēt. Verba Innocētij infrà describemus. Seu aūt Innocentij uerba de orientalibus, seu de occidētalibus sacerdotibus intelligant, nostra nihil refert: qui de matrimonio in eā partē disputemus, eius naturā nō repugnare sacerdotio: omnē repugnātiā ex uoto esse, ac ecclesiæ cōstitutiōe. Quàm aūt ordinatè disposuerit Gratianus d. 31. sentētias Græcę ecclesię de matrimonio presbyterorū, uideamus. Primo canone qui incipit Nicena, narrat, Nicenū cōcilium presbyteros à cōcubitu uxorū, ante ordinationē ductarū, abstrahere uoluisse: uerùm Paphnutio intercedēte, latione legis quę fornicationis causa existeret supersedisse, rēq; uniuscuiusq; arbitrio permisisse. Sequēti canone qui incipit Quoniā, narrat à Sexta synodo sancitū esse, ut uxores presbyterorū ante initiationē ductę legitimę haberent: cōsuetudo etiā cū eis mutua, legitima esset: nec impedimentū alicui inferret, peruenirēdi ad ullos honores sacros. Tertio canone, qui incipit Aliter, narrat etiā sacris initiatos in ecclesijs oriētalib. matrimonio copulari: hacq; re ab eis ecclesias occidētales differre, quarū presbyteri licētiā nō habeāt coniugiū sortiēdi. Ludant critici ut uelint, in uerbis (matrimonio copulātur) certè antitheti pars posterior planè indicat sensum prioris. quo sensu citat à nōnullis iurisperitis: quorū uerbis infrà cōfirmabimus sententiam, quam sequimur. Qui glossam uerborum (matrimonio copulantur) tuentur, illi integrum canonem Diaconi 28. d. omittūt. Facilius eis erat uerba duo cauillari, quàm canonē integrū eludere. Sic in exagitando canone Latorem 33. q. 2. sunt nimiū loquaces, canuntq; magnificè triumphos: in c. Nicena, & c. Quoniam. 31. d. sunt prorsus muti. Atqui satis est, nos una lege cōprobasse nostram sententiam. Aut omnia à nobis adducta, erāt refellenda, aut nihil. Quid enim si unum aliquem, aut plures uincas: postremò ab uno uincaris? certè inter uictos numeraberis. Hunc uerò matricidam, de quo est canon Latorem, presbyterum fuisse uerisimile est. Quomodo enim oblationes quæ à laicis fierent, prohiberentur ei, cui gratia sacræ communionis concessa esset? Quòd si mihi non quidem legisperito, sed tamen discendi studioso, de hoc magis loqui licet, opinor simile quiddam huic matricidæ accidisse, quod presby-

7 *De alijs canonibus ex Gratiano in libro citatis.*

presbytero non legalibus nuptijs addicto. de quo 28. d. Presbyterum. Quoniam enim iſte priore uxore mortua (ut gloſſator interpretatur) ſecundã duxerat: cõtra eccleſiæ ſanctiones, quæ bigamos priuant ſacerdotali functione, uiſum eſt ſynodo Sextæ, ut talis cathedrã quidem retineret, uerùm ab officio penitus abſtineret. Hoc eſt, ne publicè priuatimq; benediceret, aut diſpenſaret corpus Domini, aut alio modo miniſtraret. Affert rationem canon: Quia benedicere alijs, eum qui uulnera ſua debet curare, conſequens nõ eſt. Benedictio enim, ſanctificationis traditio eſt. Qui uerò hanc nõ habet, propter delictũ ignorantiæ, quomodo alijs tradet? Hæc de presbytero, per iuris ignorantiã ſecundis nuptijs implicato: cui honor cathedræ permittitur, ſed officiũ ſacerdoti propriũ inhibetur. Quid igitur impedit, quo minus idem dicatur de illo matricida: ei, rebus alijs permiſsis, oblatiõe ſacerdotali eſſe interdictũ? Nã cùm illa in benedictione poſita ſit: benedictio autem ſit ſanctificationis traditio: qui hac ipſa ſanctificatione careat ob delictum perpetratum, is eam tradere alijs non queat. Hæc interpretatio minimè coacta eſt, ſed ex cauſarum ſimilitudine petita. probabilior quidem, mea ſententia, quàm iſtorũ qui de hoc ita diſſerũt, quaſi nõ minoris ſint laicæ oblationes quàm ſacra communio: hacq; alicui conceſſa, illæ denegari debeant. Atqui oblationes huiuſmodi fiunt in uſum uel pauperum, uel miniſtrorum eccleſiæ: ut cui illas facere ſit prohibitum, non eius hoc fiat incommodo, ſed eorum ad quos fructus aliquis rerum oblatarũ redundaret. Magis igitur de oblationib. ſacerdotalibus canõ de matricida intelligendus eſſe uidetur, quàm de laicalibus. Nõ enim, ut dixi, ueriſimile eſt, conceſſa alicui communionis ſacræ gratia, ei nõ concedi poteſtatem eleemoſynas cõferẽdi priuatim aut publicè. Quid enim ſunt oblationes iſtę, quàm eleemoſynę uoluntariæ? quas qui elargiatur, nõ ſibi, ſed pauperibus ac eccleſiæ commodet? Sed hæc ſententia, uel coniectura potius, non iuriſconſulti eſt, nec eius qui in libro Decretorum diligenter uerſatus eſſe uideri uelit: ſed hominis, cognoſcendi ueri percupidi: quem conſcientia rectè factorũ delectet multo magis, quàm uel oſtentatio, uel ſermunculi hominum ineptorũ. Seu aũt ſic ea quæ de matricida diximus intelligantur, ſeu aliter, parui noſtra refert. Satis nobis eſt, leges alias, quas citauimus, à nobis ſtare.

8 De Cypriani ſententia in Libro citata. Et de eo, nũ pontifex relaxare poßit uota monaſtica? Itẽ, an aliquando, qui actu initiatus eſſet ſacris, duxerit uxorẽ?

De Cypriani ſententia, quæ ad notam quinarij in libro recitatur, ita nonnulli diſputant, ut diſtinguant inter Deo dicatas, & uelatas, ſeu uotum continentiæ ſolenniter profeſſas. Negant, uerba Cypriani de uelatis debere intelligi: de Deo dicatis concedunt. Subdunt tamen, retro trahenda eſſe ad id tempus, quo nondum ſe Deo dicauerant. Nugę. Quaſi idem de uelatis dici non poſsit, ſi uerba retro trahas ad tempus quo nondum ſolenniter profeſſæ eſſent. Has uerò Deo dicatas, de quibus loquitur Cyprianus, iam fuiſſe re ipſa Deo dicatas, principium epiſtolæ eius indicat. Dicit enim, ſe ſcripturum de uirginibus, quę cum ſemel ſtatum ſuum continenter & firmiter decreuerint tenere, detectæ ſint poſtea, in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis, ex quibus unus diaconus fuerit. Deinde non priuatim fuiſſe profeſſas, argumẽto eſt, quia hoc nomine poteſtati ſeu epiſcopi ſeu paſtoris ſui ſubiectæ fuiſſe uidentur. Nam Pomponiũ à Cypriano ea de re conſilium petijſſe, principium epiſtolæ illius teſtatur. Iam de Deo dicatis canon Chalcedonẽſis, in Libro recitatus, expreſſe loquitur. Oſtendimus autẽ in Libro, ad notam binarij, utriuſq; uinculi uim eſſe eandem: ſolenniſationemq; eſſe conſtitutionis eccleſiæ. Quid autẽ opus hac ſubtili diſtinctione uelatarum à non uelatis: aut iſto uiolento tractu ſtatus præſentis ad eum qui iam præterijt? Quin potius conſideratur ratio à Cypriano adducta, cum de Deo dicata dicit, Melius eſſe ut nubat, quàm ut in ignẽ delicijs ſuis cadat? Non ne toti mundo palàm eſt, multas eſſe monacharum, quæ uelum quidem habeant, uirginitatem non habeant? nõ paucas ita ſe geſſiſſe,

siſſe,ut ſi è mediis lupanaribus eſſent? De his nos cum Cypriano loquutos eſſe,Liber noſter teſtatur. Placet nobis caſtus cœlibatus: non placet contaminatus, & ſpurcitiæ plenus. Laudamus continentiam: non laudamus ſcortationem,aut adulterium,continentiæ titulo ornatam. Nihil de uoti religione detrahimus: at in comparatione cœlibatus contaminatiſsimi cum nuptiis legitimis,has illi præferendas putamus,uel in iis qui ſe uoto ſolenniter addixerunt. A quo quidem uoto ſolenni,& quidem per profeſsionem religionis ſolenniſato, quoſdam certas ob cauſas liberatos eſſe, literis proditum eſt. Narrant ſcriptores rerum Polonicarum, Cazimirum Meciſtai regis Poloniæ filium, profeſsione monachũ,ordine diaconum,à Benedicto papa eius nominis nono,è monaſterio dimiſſum, uotorumq; monaſticorum religione ſolutum eſſe. Agebatur tum annus ſalutiferi partus Milleſimus quadrageſimus,cum Polonia,Meciſtao rege defuncto,ad interregnum deducta erat. Cumq; & domi Reſp. à ciuibus turbaretur, & foris ab hoſtibus infeſtaretur: fierentq; paſsim cædes & direptiones plurimæ, nec finis earum rerum ullus appareret: illud à proceribus captum erat conſilium, ut filius regis Cazimirus ubiq; locorum quæreretur. Is enim aut factionibus ciuium, aut alia cauſa impulſus, è regno clàm ſeceſſerat. Ac primùm Lutetiæ Pariſiorum in Gallia literis operã dedit, regio quidem genere ſemper diſsimulato: pòſt Cluniacenſis monachus factus, ad diaconatũ uſque,ſacris honoribus ſuſcipiendis, proceſſerat. Hunc igitur ipſum Benedictus Papa,Reipublicæ Polonæ cauſa, monaſteriũ,ordinem diaconatus, ac uota omnia deſerere, atque ad regni patrij gubernacula accedere iuſsit. Quæ gubernacula ille annis decẽocto oppidò quàm feliciter tractabat: ac liberis quinq; ex Maria uxore ſuſceptis, Anno CHRISTI 1058 mortuus eſt. Erat poſt Benedictũ nonũ Papa uigeſimus nonus, Celeſtinus tertius,quẽ & ipſum rẽ ſimilẽ feciſſe, Platina refert his uerbis: Celeſtinus Tertius patria Romanus,patre Petro cognomẽto Bubonis,pontificatũ adeptus ægrè ferẽs Tancredũ regno Siciliæ potiri, Conſtantiam rege Rogerio natã occultè è monaſterio Panhormitano eduxit: eamq; licet Deo dicatam, Henrico Sexto Federici Barbaroſſæ filio,diſpenſatione Apoſtolica, in matrimonium collocauit: hac conditione, ut regnum Siciliæ cis & ultra Pharum dotis nomine repeteret: reſeruato cenſu,qui Pontifici,feudatario iure,quotannis ſolueretur. Hæc Platina. Etſi autem Innocentius Tertius,qui proximè Celeſtino Tertio ſucceſſerat,in pontificem Decretalem ediderit,qua pronunciat abdicationem proprietatis, ſicut & cuſtodiam caſtitatis,adeò eſſe annexam regulæ monachali,ut contra eam nec ſummus pontifex poſsit licentiam indulgere: tamen duo illi pontifices, Benedictus & Celeſtinus, contrarium factis ipſis declararunt. Gloſſa etiam dicit, Papam non poſſe diſpenſare,ut monachus habeat proprium exiſtendo monachus: ſed de monacho poteſt facere non monachum. Quod de habendo proprio Gloſſa dicit: idem de habenda uxore dici poſſe, duo illi pontifices oſtenderunt. Oſtendit & Abbas, & eius gloſſatores, De clericis coniug. Cum olim. Quòd ſi pontifices, quos dixi, cauſis profanis adducti ſunt ad laxandum uoto cœlibatus tum monachum, tum monacham: an non magis moueri deberent cauſis ad conſcientiæ ſanctitatem pertinentibus,ad ſimilia facienda? nulla enim cauſa eſt, quæ cum animæ ſalute poſsit æquiparari. quemadmodum Chriſtus ipſe dicit: Quid proderit homini, ſi uel totum mundum lucratus fuerit, & animæ ſuæ iacturam faciat? aut quam dabit homo animæ ſuæ compenſationem? Quid igitur obſtat, quo minus Alfonſi Virueſij ſententiam,ad notam ſenarij in libro citatã imitemur: ac cum eo dicamus,in uia ſalutis humanæ nullã perplexitatẽ eſſe? hoc eſt,neminem ita legibus aut uotis poſſe teneri, quin aliquà pateat illi modus, quo ſaluti ſuæ poſsit conſulere. Hanc uiam illi Deo dicatæ à Cypriano apertã

De ſtatu monachorũ & canonicorũ regulariũ. Cum ad monaſterium.

Matth. 16.

Alph. Phil. 19.

esse: ut cùm cõtinendi munere, quod Deo uouerat, destitueret, uirũ potius duceret quàm scortaretur. At in illa epistola, à Cypriano sponsa CHRISTI, si cũ uiro reperiatur, CHRISTI uocatur adultera. Vocatur: & grauiter peccat, si extra legitimum matrimonij thorum hoc faciat. Verùm ut perplexitatem, de qua Alfonsum loqui diximus, fugiat, ac ne adultera iudicetur, hanc ei ad salutem uiam Cyprianus ostendit, ut potius nubat, quàm in ignem delicijs suis cadat. Quòd itaque à nonnullis dicitur, neminem ostendi posse, qui in sacris constitutus unquam duxerit uxorem, falsum est. Cazimirus enim rex Poloniæ, diaconus, uxorem duxit. Nec dubitandum est, quin Benedictus nonus, quod concessit diacono, concessurus fuisset actu presbytero: eadem scilicet manente causa. Tametsi parum id nostra refert, factum aliquando fuerit, nec ne. Satis est, hoc lege diuina non uetari. Quod autem lex non uetat, id etiam si nunquam antea factum esset, fieri potest. Iam quia huic legi à pontificibus, quos dixi, contrauentum est, argumento est, hanc legem humanam esse: eamq; per ecclesiam prorsus tolli posse. Quod ut magis sit perspicuum, plura testimonia adducenda sunt. Proferamus igitur maximorum uirorũ nõ theoremata uana & futilia, non opiniones de hominibus ab humana natura separatis, non somnia de matrimonio ab officio matrimonij seiuncto: sed grauissimas sententias de rebus maximis, de rebus inquã cum usu & officijs suis coniunctis: ad quas natura facti sumus, quarum prohibitione multi homines pij Deiq; metuẽtes onus Aethna grauius putant se sustinere: tota Resp. Christiana scandalis & offensionibus est plena: deniq; nomen Dei immortalis male audit apud exteras gentes. Primùm autem iurisperitos proferamus. Innocentius Papa eius nominis Quartus, in commentarijs suis tit. de conuers. coniug. c. placet: Matrimonium, inquit, de iure naturali non impedit quenquam ordinari ad sacros ordines. Quia naturali iure potest ordinatus uti matrimonio contracto, sicut facit Orientalis ecclesia. Et etiam contrahere posset, nisi cõstitutiones ecclesiæ hoc prohibeant, &c. Ioannes Antonius præpositus sancti Ambrosij, episcopus Alexandrinus, & auditor causarum sacri palatij, tit. Qui clerici uel uouentes matrimonia contrahere possunt: Tẽpore, inquit, primitiuæ ecclesiæ licebat presbyteris, & sic constitutis in sacris, uxorem habere, dummodo die celebrationis abstinerẽt à cõiugibus. Postea in Occidentali ecclesia uenit prohibitio, ut constituti in sacris deberẽt cõtinere. Et dicit hîc Cardinalis, quod dat materiam illaqueandi plures animas hoc præceptũ. et ideo credit, quod sicut ecclesia induxit hoc præceptũ cõtinentiæ, quòd quandoq; reuocabit. Et erit cõueniẽs dicto Apostoli reuocatio, qui dixit, De uirginibus præceptũ nõ habeo: consiliũ aũt do, &c. Abbas Panormitanus, de clericis cõiugatis, c. cum olim, sic quærit: Nunquid hodie possit ecclesia statuere, quòd clericus possit cõtrahere matrimoniũ, sicut Græci? Credo quod sic. & hoc indubitatum est apud me, respectu eorũ qui nõ sunt obligati ex uoto tacito, uel expresso. Probo ratione: Cõtinẽtia nõ est in clericis secularibus de substãtia ordinis, nec de iure diuino: quia aliàs Græci peccarẽt, nec excusaret eos cõsuetudo, quia illa nõ ualet cõtra legẽ diuinã: & iste de quo textus loquit, esset illegitimus, quia foret cõtra legẽ diuinã genitus. Et nõ solũ credo potestatẽ inesse ecclesiæ, hoc concedendi: sed credo pro bono & salute animarũ, quòd esset salubre statutum, ut ualentes continere, & magis mereri, relinquerẽtur uoluntati eorum: non ualentes autem continere, possint contrahere. Quia experientia docente, contrarius prorsus effectus sequitur ex illa lege continentiæ: cùm hodie non uiuant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculẽtur illicito coitu, cũ eorum grauissimo peccato: ubi cũ propria uxore esset castitas. Vnde deberet ecclesia facere, sicut bonus medicus, ut si medicina experientia docente potius officit quàm prosit, eã tollat, &c. Hęc ad uerbũ à iurisperitis, nõ quibusuis, sed

9 *Testimonia quibus ea, quæ de matrimonio presbytero rũ diximus, confirmantur.*

ſed qui omniũ doctiſsimi habẽtur, prodita ſunt, multisq; authoritatibus confirmata: quas qui ſcire uelit, legat apud illos. Facilè autem noſtrã ſententiam cum ſententia illorũ cõferenti apparebit, nos nihil diuerſum ab illis ſcripſiſſe.

Niſi fortè quis in dubiũ uocat, quòd ad notã binarij ſcripſimus, uoto cœlibatus ſacerdotẽ à matrimonio arceri. Hoc enim à quodã theologo reprehẽſum eſt, affirmãte, cõſtitutione eccleſiæ id fieri. Sed de hoc eſt quædã cõtrouerſia, magis in uerbis, quàm in re poſita. Gl. in c. cum olim. tit. Qui cle. uel uo. mat. cõt. poſsint: tenet, Occidẽtalis eccleſię clericos uoto ad cõtinẽtiã obligari. Ioã. Antonius ibidẽ affirmat, id potius ex cõſtitutiõe eccleſiæ eſſe. Nos ſeu gloſsã, ſeu Ioannẽ Antoniũ ſequamur, nihil in eccleſiã peccabimus. Iam ſi huius tẽporis ſcriptores citãdi ſunt, an nõ inſtar omniũ eſt mihi Alfonſus Viruesius? Sentẽtia diui Thomę in libro citata, expreſſa eſt à Durãdo Sẽt. 4. d. 38. q. 2. Vbi de ſentẽtia multorũ ait, ſolẽnitati ordinis nõ eſſe annexũ uotũ cõtinẽtię eſſentialiter: ſed ſolũ ex ſtatuto eccleſię, & accidẽtaliter. Et ideo in tali uoto poſſe diſpenſari per eccleſiã: nõ obſtãte cõſecratione, cui nõ cõiungitur uotũ per ſe. Sed nõ tantũ diſpenſatione põtificis Thomas Aquinas docuit, melius eſſe presbytero matrimonio uti, q; ſcortari: ſed & cõſilio presbyteri cõfeſſoris. Nã in Summa quę incipit, Cõmiſerationes Domini ſunt ſuper omnia) capite 165. quod incipit, Poſt hæc dicendũ eſt de inceſtu) ſic inquit ad uerbũ: Dicit canõ, quòd ſi clerici in minoribus ordinibus cõſtituti, cõtinere nõ poſſunt, & matrimoniũ cõtrahere uoluerint, debet eis aſsignari ſuſtẽtatio ſua de beneficijs ſuis extra eccleſiã: ita quòd de cætero nõ miniſtrẽt in eccleſia in ordine ſuo, ſed tonſurã habeãt, & libertate gaudeãt clericorũ. Cõtra hãc canonicã inſtitutionẽ hodie obtinet cõſuetudo, quòd ſtatim ex quo acolitus cõtrahit matrimoniũ, omni eccleſiaſtico beneficio priuat. Cũ canõ, ut dictũ eſt, præcipiat, de beneficio ſuſtẽtari. Si aũt acolitus in ſecreta cõfeſsione ad diſcretũ ſacerdotẽ ueniat, & ſe nullo modo cõtinere poſſe dicat, nõ multũ peccat ſacerdos dãdo ei cõſiliũ, ut cum aliqua occultè matrimoniũ cõtrahat, & occultè ſui epiſcopi oculos fallat. Minus enim credimus eſſe peccatũ, beneficiũ cum occulto cõiugio retinere, q; fornicariã cõtra diuinã prohibitionẽ habere. Si uerò poſtea ad ſacros ordines à ſuis prælatis cogat accedere, credimus minus eſſe peccatũ uxore uti, q; cũ alia fornicari: ſi ex toto noluerit cõtinere. Atq; hæc ſunt uerba Thomæ illius, qui & inter monachos ſocietatis Dominicanæ uixit uitã cœlibẽ: & inter eruditos doctrinaq; excultos uiros, docẽdi ſanctitate nomẽ inuenit. O' uerè ſanctũ doctorẽ, qui homines ad immortalitatẽ genitos, ad uitæ ſanctitatẽ baptiſmate conſignatos, maluit epiſcoporũ mortaliũ oculos fallẽdo cõſcientię ſuæ cõſulere, q; laqueis irretitos in periculis ſempiternæ perditionis perpetuo uerſari. Addamus ueterẽ querelã multorũ de lege cœlibatus ſacerdotalis, à Baptiſta Mãtuano, & ipſo monacho Carmelita, in uita diui Hilarij deſcriptã. Sic enim ille Hilarium alloquitur:

Integritas uitæ, legum prudentia, cultus
Cœlituum, tutela inopum, diadema pedumq;
Pictauienſe tibi, dum nil mortalia curas,
Dum uiuis tibi ſorte tua contentus, ab omni
Ambitione procul, populo applaudente, tulerunt.
Non nocuit tibi progenies, non obſtitit uxor
Legitimo coniuncta thoro: non horruit illa
Tempeſtate Deus thalamos, cunabula, tædas.
Sola erat in precio, quæ nunc incognita, uirtus
Sordet, & attrito uiuit cum plebe cucullo.
Propterea leges, quæ ſunt connubia contra,
Eſſe malas quidam perhibent: prudentia patrum

Non ſatis aduertit, dicunt quid ferri recuſet,
Quid ualeat natura pati. Ceruicibus aiunt
Hoc inſuaue iugum noſtris imponere Chriſtus
Noluit. Iſtud onus, quod adhuc quamplurima monſtra
Fecit, ab audaci dicunt pietate repertum.
Tutius eſſe uolunt, qua lex diuina ſinebat
Iſſe uia, ueterumq; ſequi ueſtigia patrum.
Quorum uita fuit melior cum coniuge, quàm nunc
Noſtra ſit, excluſis thalamis, & coniugis uſu.

Saluianus quoq; epiſcopus Maſsiliēſis, oſtēdit matrimoniū eſſe licitū preſbyteris, ſic de hac interdictiōe loquēs lib. 5. de Prouidētia Dei: Nouū prorſus eſt cōuerſionis genus. Licita nō faciūt, illicita cōmittūt. Tēperant à coniugio, & nō tēperant à rapina. Quid agis ſtulta perſuaſio? peccata interdixit Deus, non matrimonia. Non conueniunt ſtudijs ueſtris facta ueſtra. Nō debetis eſſe amici criminum, qui dicitis uos eſſe effectores uirtutum. Præpoſterū eſt quod agitis. Non eſt conuerſio, ſed auerſio. Qui iampridem, ut fama eſt, opus honeſti matrimonij reliquiſtis, tandē à ſcelere ceſſate. Ad hæc Polydorus Virgilius Vrbinas, de cœlibatu presbyterorum ſcribens, lib. de Inuentoribus rerū 5. cap. 4. ſic inquit: Illud dixerim, tantū abfuiſſe ut iſta coacta caſtitas illā coniugalem uicerit, ut etiam nullius delicti crimen, maius ordini dedecus, plus mali religioni, plus doloris omnibus bonis impreſſerit, inuſſerit, attulerit, quàm ſacerdotum libidinis labes. Proinde forſitan tam è Repub. Chriſtiana, quàm ex ordinis uſu eſſet, ut tandem aliquando ius publici matrimonij ſacerdotibus reſtitueretur: quod illi ſine infamia ſanctè potius colerent, quàm ſe ſpurciſsimè eiuſmodi naturæ uitio turpificarent. Non'ne igitur à Papa, Cardinali, Abbate, epiſcopis, monachis, theologis & iuriſperitis, hoc eſt, Eccleſiæ CHRISTI proceribus, quorum nonnulli in diuos relati ſunt, omnes uerò ampliſsimis monimentis conſecrarunt nomina ſua immortalitati, planiſsimè confirmatur ſententia noſtra? Eant nunc critici, & tot tantasq; authoritates de eccleſia exterminent: lectione earum omnes arceant. Sin eas patiuntur, cur nodum in ſcirpo quærentes, ſtudia turbant noſtra?

10 Cauſam matrimonij, ſatis, ut opinor, defendimus. Nunc ad Pighianos ueniamus. nemo, quod ſciam, ueterum ſcriptorum, qui de uoti ſanctitate piè diſſeruerunt, tam abſurdam, atque à Chriſtiana religione alienam uocem emiſit, ut ſacerdotem uxorem ducentem, grauius peccare diceret, quàm ſcortantem, aut adulterantem. Noſtra primùm tempeſtate exorti ſunt catholici, ſi diſs placet, qui id omni aſſeueratione affirment. Cumq; teſtimonijs literarum ſanctarum & rationibus cauſæ proprijs deficiantur, aſſumptis extrinſecus auxilijs, rem per ſe improbabilem tueri conantur, ad hunc ferè modum magiſtri ſui uerba referentes: Tu, inquiunt, uide quis peior ſeruus: an qui grauatus ſeruitio, & fortaſſe negligentius & incautius agens, cadit ſub onere, an qui iugum in totum proiecit? Ad hoc ſic propoſitum, reſponſum dare non eſt difficile. Poteſt enim onus eſſe eius generis, ut minore aut etiam nulla culpa teneatur ſeruus, conſcientia infirmitatis ſuæ illud à ſe reijciens: quàm qui temerè illud recipiens, cadat ſub illo, atque inde & ſibi & ſuo hero magnum det malum. Rogant amplius Pighiani: Quis peior diſcipulus, an qui ex præſcripto ediſcit, non quidem uniuerſum quod fortè potuiſſet, niſi crapulæ & ſomno ſecurius indulſiſſet, tamen partem: an qui ſcholam prorſus deſerit? Ad id quoque reſponderi poteſt, & diſcipulum negligentem uituperari, & ſcholæ deſertorem multo magis. Neque tamen illum laude ſua indignum, qui ingenio ſuo perſpecto, ad artes ingenuas parum apto, potius relinquat ſcholam, quàm in ea perdat o-

De hæreſi Pighij qui leuiora ducit adulteria & ſcortatiōes preſbyterorū, quàm matrimonia.

peram

peram & oleum, ut aiunt. Positis illis interrogationibus, concludunt, peiorem esse sacerdotem uoto continentiæ alligatum, si ducat uxorem, quàm si scortetur, aut adulteret. Hoc uerò ego nego. Nam qui scortatur, adulteratq;, & uotum uiolat, & re nunquam licita utitur: qui matrimonium contrahit, est quidem uoti uiolator: sed re per se licita utitur, etiamsi illicita sit ex accidente. At matrimonium contrahens, ab unitate ecclesiæ discedit. Esto: at multo magis discedit adulter, & fornicator, qui à regno Dei prorsus excluduntur. At Paulus damnat uoto obligatos, uolentes nubere. Putas uerò tu, non eum damnare, uolentem scortari aut adulterare? At matrimonia presbyterorum à Cypriano, Ambrosio, Hieronymo, Basilio, uocantur incesta adulteria. Fac ita esse: Augustinus tamen uitæ sanctitate & doctrina illis minimè inferior, nec adulteros uocari uult, qui post uotum nupserunt. Et qui tales diuidant, grauiter peccare asserit: quod uerbis ipsius in Libro ostendimus. Gratianus quoque ex authoritate Martini Papæ, 27. d. Diaconus: dicit quidem primùm, nec diaconos nec presbyteros fieri posse, nisi qui continentiam profiteantur. mox tamen subdit his uerbis: Si diaconus à ministerio cessare uoluerit, contracto matrimonio licitè potest uti. Nam etsi in ordinatione sua castitatis uotum obtulerit: tamen tanta uis est in sacramento coniugij, quòd nec ex uiolatione uoti potest dissolui ipsum coniugium. Quoniam autem Pighiani pugnant Socraticis inductionibus, imitemur eos ad hunc modum. Duo serui erant domini unius: uterque pro se fidem domino obligauit suam, ad onera iustæ magnitudinis & ponderis ferenda, longissimo interuallo. Et alter quidem onus ferre strenuè aggressus, tandem fessus sub illo cecidit, ad locum destinatum illud non attulit: ita & sibi malum dedit: & dominum frustratus est promissis, quod euentus ostendit, futilibus. Alter cum se oneri imparem cerneret, consilio mutato, fidem obligatam eiurat: atque sibi à domino onus aliud, cui ferundo esset, deposcit. Vter horum seruorum prudentior? Vter domino suo gratior? Non ne qui uiribus suis expensis, consilium prius repudiat: mauultq; minore sumpto munere, bene & integrè in illo uersari, quàm maiore nequam & nihili esse ac uideri, cum suo quidem & domini sui damno, probro ac dedecore? Addamus de discipulis. Duo erant discipuli magistri unius. Vtrique magister suus præmia ampla pollicitus est, si spacio mensis unius poema Homeri ediscerent. Quibus præmijs inuitati illi, fidem obstrinxerunt se ita facturos. Et alter quidem in fide dum stare conatur, uigilijs fractus, uiribus debilitatus, animo deiecto, in phrenesim incidit. Ita nec fidem præstitit, nec præmia tulit. Alter naturæ suæ imbecillitate melius perspecta, susceptum onus deponere, stultitiam promissi sui confiteri, & leuius aliquid quod ediscendum esset poscere. Vtrius horum duorum ingenium magis probabimus? Vtrius sensus, mens, ratio, ad boni discipuli conditionem magis accedet? Equidem si qua pietas in fide data, si sanctitas, si religio in amplis promissis ponenda est, phrenetico laudem tribuemus. Sin promissa leuia & futilia interpretabimur, quibus euentus non respondet: consilijq; mutationem in re quam præstare non queas, si optimam esse putabimus: in promptu iam erit, quod de istis discipulis iudicium faciendum erit. Has interrogationes opponimus Pighianis: aptiores quidem, quàm quæ à magistro illorum excogitatæ sunt. In quæstione enim de uoto, & serui & discipul uoto obstricti inducendi erant, quod nos fecimus: nō nudè proponendi, quod illi. Nisi fortè cùm in seruitutem aut disciplinam aliquis se tradit, iam quasi uoto quodam & promisso teneatur. Quòd si ita est, tum & discipulo & seruo uoluntario, illud initiò in mentem uenire deberet, suæ quid ualeant uires, quid humeri ferre recusent. Melius enim est

omnino, onus prorsus detrectare, cui sis impar, quàm suscipere, ac sub illo cadere, cũ tuo & domini tui dãno. Sin quà fiat ut fide obligata, onus suscipias uiribus impar, quid tandẽ prodest te illud ferre conari, ac tandẽ ui ponderis turpiter opprimi? Omnino mutatio cõsilij in rebus pœnitẽdis plus semper à prudentibus laudata est, quàm in eadẽ sententia permansio. In rebus autẽ quæ abste fieri nõ possint, quid aliud est promissum uelle efficere, quàm stultitiã prodere? In ijs item promissis, quorũ cõtraria efficias cũ turpitudine cõiuncta, quid promissa sunt aliud, & irrisiones eius cui sunt facta? Præclarè Beda presbyter scripsit, & Gratianus in canones retulit his uerbis: Si aliquid fortè nos incautius iurare cõtigerit, quod obseruatũ in peiorẽ uergat exitũ, liberè illud salubriori cõsilio mutandũ nouerimus: ac magis instãte necessitate peierandũ nobis quàm uitãdo periurio in aliud crimẽ grauius esse diuertendũ. Et paulo pòst: Nõ solũ in iurãdo, sed in omni quod agimus, hęc est moderatio solicitius obseruãda, ut si in talẽ fortè lapsum, uersuti hostis inciderimus insidijs, ex quo sine aliquo peccati cõtagio surgere nõ possimus, illũ potius euadẽdi aditũ petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse cernimus. Hęc ad Pighianos seruos & discipulos respõsa sint. Post hęc scripturæ obijciũt, quæ palàm indicãt, Bonũ malũ fieri, si nõ bene fiat. Ita Oza arcã Dei, boũ agitatiõe nutantẽ sustentãs, à Deo occisus est. Et Ozias suffire Deo uolẽs, lepra percussus est, leprosusq; ad mortẽ usq; permãsit. Sedenim isti partes alieni officij sibi deposcebãt. Quod de ijs qui scortatiõis uitãdæ causa, matrimonij thoro immaculato cõscientijs suis mederi uolũt, dici non potest. Videamus Pighianorũ postremũ argumentũ, quod illi fortissimũ causæ suę putãt esse propugnaculũ: atq; illud, Deo duce, deijcere aggrediamur. Primùm ex libro Numerorũ, magnitudinẽ peccati ostendũt à Cora, Dathane & Abiramo commissi: cùm se à populo Dei seiũxerunt, sacrificiaq; sibi propria cõstituerũt. Nam à terra, hiatu patefacta, operti & deuorati sunt, in orcũq; delati: atq; ita ex Israelitarũ rep. sublati perierũt. Hæc tanta, tamq; tristis pœna ostendit, peccatũ Coræ & eius gregaliũ grauius fuisse multo, q̃ peccatũ Dauidis, cum Bersebeã adulterauit, eiusq; uiro Vriæ cędem procurauit. Nam etsi Deus Dauidẽ quoq; grauiter castigauit: tamen castigatio illa nullo modo est cõparanda cum pœna illa crudelissima, cui illos tres cum turba eorũ omni subiecit. Mihi uerò oratio hæc uerissima esse uidetur. Nec est, mea sententia, in quo uel leuissimè reprehẽdi debeat. Quod uerò inde concludere nituntur, à reprehensione abesse nõ potest. Aiũt presbyterũ uxore ducta, à populo Dei se seiũgere: unitatẽq; ecclesiæ, quantũ in ipso est, rumpere, & sacra sibi propria facere. Quod quia in scortante adulteranteq; non est, qui tantum ex infirmitate peccet, grauius peccatum illius quàm istius faciunt. Verumenimuero argumenta à nobis in Libro allata, manifestè indicant contrarium. Nam & pœna leuior à legibus imposita est presbyteris maritis, quàm scortatoribus aut adulteris: & matrimonij contrahendi presbytero potestatem fieri posse ab ecclesia, scortandi adulterandiq; nullo modo posse, ostensum est. Nec uerò matrimonium presbyteri cum facto Corę ullo modo est cõparandũ. Nõ unum erat delictũ Corę, cum sua caterua. Primùm cõiurarant in Mosen & Aharonẽ, quorũ imperio subesse nolebant: eorumq; authoritatẽ & obedientiam, in rebus à Deo præceptis, abijcere ac relinquere conabãtur. Hinc uox eorũ seditiosa: Cur uos supra populũ Dei effertis? Dathan quoq; & Abiramus à Mose uocati, se ad eum uenturos negarũt. deinde in sacerdotiũ, arbitrio suo uenire uolebant. Itaq; Moses sic cum eis expostulat: Audite Leuitæ, parũ ne habetis, quòd uos Deus à reliqua multitudine secreuit? quodq; te Cora, omnesq; tuos simul Leuitas destinauit, qui tabernaculi munus gererետis: nisi etiã sacerdotiũ affectetis? Hęc plurib. uerbis in libris Numerorũ. Recẽtia erãt Dei beneficia per Mosen ludęis affatim pręstita:

22. q. 4. Si aliquid forte.

Num. 16.

non

non ea ex literarum monumentis repetere, non ex aliorum narratione discere opus erat. Memoria tantorum beneficiorum animis, & ferè oculis omniũ adhuc inhærebant: omnique die alia beneficia cœlo eis demittebantur. Cũ igitur Cora, Dathã, Abiramus, cũ omni sua turba, tot, tãta, & tam recẽtia Dei beneficia ingratè ferrent: magistratũ à Deo datũ abolere conarentur: officia aliena inuaderent: nec admoniti, ad frugem bonam se reciperent: pœna prodigiosa affecit eos Deus, & in omni memoria inaudita. Dauid uerò nec in magistratũ, nec in personã publicã peccauit: nec in societatẽ sui peccati alios pertraxit: & à Nathane propheta correptus, peccatũ suũ agnouit, & ex animo cõfessus est. Itaque cõfestim audiuit sibi à Deo peccatũ remissum esse: pœnisque multo leuioribus castigatus est. Cõferamus iã ad hoc exẽplũ presbyterũ maritũ cũ presbytero adultero. Maritus, si modò est Dei reuerẽs, nec matrimoniũ aliam ob causam iniuit, tantũ ut ne uitã suã cõtaminaret illicito coitu, causam honestissimã sequutus est sui instituti: nec in aliud peccauit, quã in legẽ ecclesiæ: quæ si nõ esset, peccatũ nullũ esset ducẽda uxore. Adulter cubilia aliena uiolat, Dei metũ abijcit, pudoris fores perfringit, furore suo prosternit pudicitiã. Sed dices, nõ esse uoti uiolatorẽ, manereque eũ in unitate ecclesiæ catholicæ cum suo adulterio. O' pulcherrimã mãsionẽ, ô uotũ Deo gratissimũ! de quo quoniam explicatè & copiosè in Libro à nobis disputatũ est, legat cui placet. Nos piget in reb. tã ineptis atque absurdis diutius cõmorari. Sũt qui presbyterorũ eiusmodi matrimonia ad arrogantiã referãt: & qui de eis disserãt, eos arrogãtiæ dãnẽt. Verùm arrogãtia per se peccatũ est. Cęterùm alia est causa eorũ, qui arrogãtia semota, ostẽdũt quid à cõcilio statui possit de tãtis rebus. Melius quidẽ id, quã si per omnia matrimoniũ presbyterorũ dãnantes, adiungerẽt se istis qui & authoritatibus & rationibus cõtendũt, sacerdotibus minimè licere esse uxoratis: aut si mariti sint, oportere illos ea quæ mariti solẽt, desinere facere: delabũturque tandẽ ad scortatorũ & adulterorũ causas tuẽdas, tãtùm ut statũ præsentẽ semper obtineãt. Hoc si nõ ab arrogãtia proficiscit, fieri tamẽ nõ potest sine quadã peruersitate, & odio generis humani. Sed quid opus uerbis? Si matrimoniũ presbytero cõcedi potest, honestis aliquib. ex causis: adulteriũ aũt & scortatio nequaquã: quos colores addemus adulteris & scortatoribus, ut ne turpiores appareãt quã mariti? Oraculũ est diuinũ: Honorabile cõiugiũ in omnibus, & thorus immaculatus: Scortatores aũt & adulteros iudicabit Deus. Quib. uerbis an nõ opponũt cõiugio scortatores & adulteri? & ita quidẽut istos Dei iudiciũ maneat: illud sit honore dignũ in omnibus? Addit enim, In omnibus: ut ostẽdat, neminẽ illud nõ decere. Scortationẽ uerò iusto Dei iudicio exitialẽ fore omnibus, qui se illa obstrinxissẽt. Sint illi cõsecrati, sint professione quãuis insignes & religiosi: si scortatores, si adulteri fuerint, nõ eos iudiciũ & cõdẽnationẽ Dei fugituros. Sed iã finis huic tractatiõi est imponẽdus. II. Quod quidẽ fiet, si uulgaribus & peruulgatis declamatiõibus prius respõderimus. 1. Aiũt nõ modò nõ impossibile, uerùm etiã facile, iucũdũ & suaue esse cõtinere, Deo adiuuãte. De hac uerò facilitate loquãt uiri sancti: & ipsi qui dẽ præditi gratia Dei. quorũ de numero sunt, Euagrius presbyter & Bernardus Abbas. Nam ille in puteũ hybernis noctibus, iste in lacũ descẽdere soliti sunt, ut gelascentiũ aquarũ frigore calorẽ corporis tẽperarẽt, castitati infestũ. Loquãtur etiã Audomarus Tamanẽsis episcopus, & Franciscus monachus, quorũ ille in uepribus, iste in niuibus uolutabãt corpus, ut ea castigatione uoluptatẽ carni insitã edomarẽt. Neque uerò dubito, multos Christianorũ, nõnullos etiã gẽtiũ à CHRISTO alienarũ, facilè à uenere abstinuisse: uerùm hoc erat peculiari quodã naturæ sensu. quẽadmodũ Christus dicit de eunuchis, qui sic ab utero matris nati essẽt. Verũtamẽ in ijs qui seipsos castrarũt propter regnũ cœleste, uix illa facilitas præstãdi, & huic adiũncta suauitas adesse potest, pro-

Argumentorum, quæ in facilitatẽ castitatis afferuntur, examen.

pter

pter pugnã perpetuã carnis cũ ſpiritu: quã in ſanctis uiris adeſſe multa ſcripturarũ teſtimonia oſtendũt. Sed ponamus, & facile & iucũdũ eſſe cõtinere: id tamẽ in ijs reperiret, qui cõtinẽtiã re preſtarẽt, nõ qui titulo tãtùm profiterẽtur. 2. Afferũt multa ſimilia, eorũ qui difficultates innumeras abſorbuerũt, quęrẽ dis reb. quas cõcupiſcũt. Verùm hęc nihil ad noſtrũ inſtitutũ, qui de ijs loquimur, qui uel nolũt uel nõ poſsũt cõtinere. 3. Proponũt exẽpla Andreę, Laurẽtij, Pauli, & aliorũ qui nõ tãtùm uenerẽ, ſed ſuã ipſorũ uitã cõtempſerũt pro nomine IESV. Quod ut uerũ eſt, & indubitatũ: ita illud, utrũ horũ facilius ſit, nõ immeritò quis ambigat. Certè hoſtẽ cũ quo perpetuò uiuas, domare, difficilius eſt, & eundẽ occidere. Habemus carnẽ ſpiritui perpetuò reluctantẽ. Cum illius lenociniis continenter bellum gerere, nec ei unquam ſuccumbere, ne putemus facile, admonent nos multorum exempla: qui ad mortis terrores intrepidi ac ſemper inuicti fuerunt, uoluptatũ illecebris ſæpe irretiti ſunt.

Cyprian. de ſing. clericorum. Nolo mihi, inquit Cyprianus, de martyrio quiſquã moueat actionẽ. Quia fœpius & mœchi, & ſanguinarij, & ebrioſi, & omniũ ſcelerũ rei, reperta pugnæ occaſione, cõuerſi meruerũt ad martyrij palmam peruenire. Idem paulo poſt obiurgat eos, qui licẽtius fornicẽtur, & alia peccata cõmittant: ſpe illa, peccata ſua in martyrio dimiſsũ iri: eoſq; nõ ſecus facere, quàm illos qui dicebãt, Faciamus mala ut eueniebãt bona. 4. Proferũt multa, ut matrimoniũ, baptiſmũ, legẽ Moſi, præceptũ de nõ cõcupiſcẽdo, & alia, quę cum per ſe bona ſint, tolli nõ debeãt, nec propter abuſum, nec propter trãſgreſsionẽ. Nõnulli etiã ſentẽtiæ illi Paulinæ, Ad uitandã fornicationẽ unuſquiſq; uxorẽ habeat ſuã, ita reſtũt, ut quoſdã proferãt uxores legitimas habẽtes, qui adulterijs minimè abſtineãt. Hinc cõcludunt, ne adulterijs quidẽ presbyterorũ hac ratiõe finẽ impoſitũ iri, ſi uxores illis cõcederẽtur. Enimuero nõ tantũ presbyteris matrimoniũ petẽtibus, hoc modo reſiſtitur, ſed Apoſtolica ſentẽtia oppugnat. Certè eadẽ ratione omni hominũ generi matrimoniũ diſſuadeas licebit. Nõ minus enim alij mariti ſacris nõ initiati, adulterio obnoxij eſſe poſsũt, atq; presbyteri. Aut igitur in uniuerſum matrimonio interdicemus omnibus: aut quod rectius fuerit, res per ſe bonas & frugiferas propter abuſum minimè interdicemus. Sed dices, eadẽ ratiõe uotũ caſtitatis nõ eſſe tollendũ. Nõ tollimus, uir amice, nec caſtitatẽ, nec uotũ caſtitatis: ſed dicimus magis conuenire, ut matrimoniũ quis ineat, & ſcortetur aut adulteret caſtitatis prætextu. Hũc prætextũ detrahi licere, uotaq; rei minimè reſpõdentia Deo improbari, iã oſtẽdimus: præſertim ſi ſint rei nõ neceſſariæ, & cuius oppoſitũ nõ ſit in uniuerſum malũ, qualis eſt caſtitas. Secus eſt de rebus neceſſarijs, quibus quod ex aduerſo ſit oppoſitũ, eſt omnino malũ: qualis eſt baptiſmus, lex, præceptũ de nõ cõcupiſcendo, & ſimilia. Tollũtur etiã matrimonia, licet Dei ore cõſecrata & cõfirmata, & mutua fide coniugũ roborata, ob certas cauſas: ut ob adulteriũ, ob coeũdi impotentiam. Cur igitur uotũ eorũ tolli nõ poſsit, qui ſcortẽtur aut adulterẽt? qua de re in Libro copioſè. 5. Volunt inſuper qui ex aduerſo diſſerũt, ut confidenter quilibet dicat, claraq; uoce pronũciet: Omnia poſſum in eo qui me confortat.

Phil. 4. Agnoſco Pauli uerbũ, ex epiſtola ad Philippẽſes ſcripta: quo ille utiq; ne quid uiribus ſuis adſcribere uideatur. Dicit ibi, ſe ita ad res præſentes accõmodare ſolere, ut nec ſecundis inſoleſcat, nec aduerſis deijciatur: ſeu ſit eſuriendũ, ſeu ad ſaturitatẽ edendũ: ſeu carendũ, ſeu rebus neceſſarijs abundandũ: omnia ſe poſſe, per eũ qui illũ cõfortaret, CHRISTVM. Quòd igitur dicit omnia, nõne, ad ea refert quæ prius enumerauit? Prudẽtiæ eſt certè, ut quiſq; diſpiciat qua in re cõfortetur à Deo, qua nõ. Nam nõ ijſdem donis omnes prædítos eſſe, & Paulus multis in locis teſtatur, & res ipſa indicat. Et quãuis gratia Dei omnibus præſtò eſſet ad ſalutẽ cõſequendam: ad cõtinentiã tamen an omnibus præſto ſit, uiderint iſti huius facilitatis doctores. Certè ipſi uidimus nõnullos

hoc ge

hoc genere cursuq; uiuẽdi implicatos: quos carnis uiolentia à proposito trãsuersos egerit. Itaq; CHRISTVS ipse nõ quẽlibet uocat ad uotũ cõtinentię, sed inquit: Qui potest capere, capiat. Paulus quoq; clara uoce pronũciat, unumquenq; propriũ donũ ex Deo habere, aliũ quidẽ sic, aliũ aũt sic. Nihil dicit de facilitate cõtinentiæ eorũ, quibus præstò sit gratia Dei: sed tutius esse pronunciat matrimoniũ cõtrahere, q; uri. Neq; enim satis habuit dixisse, Si se nõ cõtinẽt, cõtrahãt matrimoniũ: sed adiecit, Satius est matrimoniũ cõtrahere, quàm ardere: hoc est, libidine æstuare, & in fœda libidinis titillatione uersari. Virginitatẽ enim cõtineri, non tantùm corpus à Venereis uoluptatibus, sed & animũ ab impuris affectionibus ac ustionib. arcẽdo, ipse Paulus testatur, dũ uult uirginẽ sanctã esse debere & animo & spiritu. Atq; hîc est obiter annotandum, nihil incommodi esse, si uerba CHRISTI (Non omnes capiunt uerbũ hoc) sic interpreteris: Non omnes possunt capere. Nam & Erasmus sic interpretatur: Non omnes sunt capaces *huius dicti*, sed quibus datum est. Castalio autẽ sic: Nõ omnes hanc rem præstare possunt, sed quibus datum est. Futile est quod quidam putant, CHRISTVM ideo non dixisse, Non omnes possunt capere: ne quis rem fati esse putaret. nam & CHRISTVS ipse, quod prius dixit, Nõ omnes capiunt, infrà dicit, Qui potest capere, capiat: planè significans, non omnes capere posse. Et ne ex interpretatione illa, (Non omnes possunt capere) aliquis inferat, continentiam rem fati esse, ipse CHRISTVS excepit sequẽti particula, qua significat eos tantùm continere posse, quibus diuinitùs datum sit. Ad eum modum si quis uerba Pauli (si se non continent, contrahant matrimonium) sic interpretetur, Si se continere non possunt: nihil, opinor à sensu Pauli aberrauerit. Qui non tantum concionatur non continentibus, sed & ijs qui continere non possint: & his quidem maximè, ut illi prius matrimonio copulentur, quàm in actum incontinentiæ erumpant. Profectò & uolũtas & potestas continendi non minus à Deo est, quàm ipsum continere. Nihil horũ à fato est: omnia supernè sunt, descendentia à patre cœlesti. Igitur cui hæc dos à Deo non contigit, ne tentet Deum, temerè suscipiendo rem maximè arduã, & quæ quodammodo sit supra uires humanas. Contineat se potius intra cancellos thori immaculati, quàm se irretiat laqueis cœlibatus impurissimi. Quo uirtus est præstantior, hoc difficilior, ac ideo minus temerè amplectenda: siquidem uoluntatis est, non necessitatis. Melius enim est rem non suscipere, quàm susceptam non præstare. Et hoc quidem ijs dictum esto, qui pietatis euangelicæ studio castum uellent colere cœlibatum: ne facilitatis spe eam uitæ rationem suscipiant, quam piè tueri non possint. Cæterùm illi uinculis ac uerberibus, omniq; supplicio castigandi essent, qui hoc uitæ genus amplectãtur non sanctimoniæ ac pietatis causa, sed ut hoc titulo uenentur res longè diuersissimas: utputa, otium, uictum & amictum, peccandi licentiam, præbendas & honores, abbatias & episcopatus. At dices: Dei, qui scrutetur corda & renes, hoc esse iudicium, quo quisq; animo uoueat. Imò nostrum quoque iudicium est: qui ex fructibus de arbore iudicemus. Nec enim de rebus occultis loquimur, sed de manifestissimis, oculisq; omnium subiectis. At nõ est ex anteacto tempore iudicandum de moribus futuris: propterea quòd Deus uno momento facit ex publicano euangelistam, ex persequutore apostolum, ex meretrice uas electum. Rarissima sunt ista exempla, bone uir: quẽadmodum & illud de latrone dextro, qui extremo spiritu factus sit CHRISTI confessor. Hæc exempla nullo modo transferenda sunt ad hanc infinitã multitudinem uouentium cœlibatum. Et facit hoc quidem Deus, ut aliquem repentè transformet ex malo in bonum: sed hoc non apparet in istis qui cœlibatum profitentur non ad colendam pudicitiam, sed ad auaritiam & ambitionẽ: qui quam uitam prius duxerunt, eam ferè ducunt ad extremam horam. Ad

Iere. 13. quos uerba Ieremiæ uatis pertinere uidentur: Si mutabit Aethiops ſuam cutem, aut pardus maculas: & uos rectè facere poteritis, edocti malè facere.

Sed quid opus multis? Tantus eſt numerus eorum qui cœlibatum ſuũ Deo conſecrarunt, non ad opportunitates miniſterio eccleſiæ comparandas, ſed ad licentiam ſuarum cupiditatum conſequendam: ut uel cæcitatis ſit extremæ, uel nimiæ indulgentiæ, bonam de ijs opinionem concipere, qui antea acto uitæ tempore nec continenter uixerunt, nec partem ullam uirtutis ac doctrinæ ſacerdotio neceſſariæ attigerunt. Quam autem curam ac diligentiam adhibeant epiſcopi hominibus huiuſmodi initiandis, quis neſcit? Certè ſi eam adhiberẽt, quã deberent: ſi ſententiam Chriſti non ignorarent, non omnes capaces eſſe uirginitatis, ſed quib. diuinitùs id datũ eſſet: ſi omnia quæ Paulus ijs præſcribit, qui ſint ad munera eccleſiaſtica accerſendi, obſeruarent: nullo modo committerent, ſiquidem Dei metuentes eſſent, ut tantam turbam iureiurando ad cœlibatum obſtringerent, tantæq; multitudini rerum diuinarum curationem permitterent: cum probro ac dedecore ordinis ſanctiſsimi, reiq; Chriſtianæ iniuria graui, & (ſi populus Chriſti intelligeret) minimè ferenda.

Sed ut finem faciamus, illud in primis neceſſarium eſt uirginitatis laudatoribus, ut fines legitimos oſtendant, quamobrem ea ſeruanda ſit. Neque enim CHRISTVS ſimpliciter de eunuchis, qui ſe caſtraſsẽt, loquitur: ſed addit, Propter regnum Dei. Hoc eſt, ut in eo uitæ genere ſanctius uiuant: utq; fructum copioſiorem ferant, quàm ſi coniuges eſſent. Sine quo fructu Chriſtus ſtultas uirgines uocat, quæ lampades quidem habeant, ſed oleo uacuas: itaque & ſponſo dicit eſſe ignotas, & nuptijs quibus interſint indignas. Non igitur uirginitas per ſe uirtus eſt: & niſi ad Chriſtum referatur, tam infra matrimonium collocabitur, quàm arbor ſterilis fœcundæ poſthabetur. Eſt enim matrimonium ad naturæ propagationem inſtitutum: uirginitas ſine debito carens ſtulta eſt, ſine oleo, ſine re, & ferè in probris habetur. Omnis homo ſanus & perfectus, ut memoriam nominis ſui conſeruet, libenter quærit certam ſociam, ex qua prolem poſt ſe relinquat: quæ pro illo has terras colat, illiusq; Dei rerum dominatoris numen adoret. Qui id negligunt, ſi cœleſtium & diuinarum rerum amore capti id faciant, uiri diuini putandi ſunt: ſi ut titulo cœlibatus commoda aliqua uenentur, ſimulatores, qui (ut Satyricus inquit) Curios ſimulant, & Bacchanalia uiuunt. Sin ob animi aut corporis uitium, ſtupidi certè & ſenſus expertes ſunt: & in eorum numero habendi, qui morbo aliquo & ſenſus ſtupore, odorum & ſaporum ſuauitate nulla capiantur. Qui cùm rariſsimi ſint, uixq; humani generis hæc putetur eſſe ſtupiditas: ſunt & apud Græcos & apud Latinos, ut philoſophi teſtantur, anonymi. Ac ne plura, cœlibatum donum Dei rarum & ſingulare eſſe dicimus, Deoq; gratiſsimum, ſi piè & caſtè obſeruetur: atque ad eos fines, quos Chriſtus uoluit, referatur. Vota pia, ſanctè ſeruanda eſſe docemus: eorumq; uiolatores dãnamus. Scortatores & adulteros, cœlibatus prætextu in eccleſia minimè ferendos ducimus: hisq; non aptius remedium putamus, quàm ſi cœlibatus perſona detracta, matrimonio copulentur: utq; id rectè & ordine fiat, eccleſiæ eius rei poteſtatem eſſe contendimus. Blaſphemias, quibus ſcortatio ac adulteria preſbyterorum extenuãtur præ matrimonio, ab eccleſia exterminandas putamus: eorumq; authoribus ſilentium de eo publica authoritate imponendum cenſemus. Et hæc uel in defenſionem, uel interpretationem correctionemq; eorum quæ à me ſcripta erant, dicta ſunto. Spero enim ad omnia, de quibus negotiũ nobis exhibebaſ, & quæ nobis ipſis poſtea uenerunt in mẽtem, aut etiam quæ apud alios contra noſtram ſententiam legimus, copioſè reſponſum eſſe.

APOLOGIAE FINIS.

LIBER

LIBER.

CAPVT XXI.

In quo est epilogus de concilij necessitate, & authoritate. deinde causæ hæresium explicantur.

VCuscp controuersiæ quædam à nobis, quantum facultas ferebat nostra, expositę sunt. Diximus autem, nullam commodiorē esse rationē illas componendi, quàm concilij legitima & cōstanti celebratione. Diximus itē, in ea ipsa his rationibus utendum esse, ut primæ partes tribuant canonicis Bibliis: posteriores, cōciliorum, interpretum, pontificū decretis. Hoc enim nisi foret, peiora essent posteriora prioribus. Narrat Augustinus lib. 2. contra Donatistas, cap. 3. plenaria concilia sæpe priora à posterioribus emendata esse. Intelligit autē nomine plenariorum, ea quæ Vniuersalia uocamus. Ea enim ibidem distinguit ab illis, quæ per singulas prouincias celebrātur. Quòd si credimus Augustino, quā causam putamus, quòd priora emendata sint, nisi quia præter uerbū Dei aliquid sanxerint? Sic igitur agendum, ut uerbū diuinitùs traditum lumen sit gressibus nostris: ut sermo propheticus, euangelicus, & apostolicus lucerna sit apparens in obscuro loco. Omnis hominū conuentus, qui ad hanc lucernā uigilauerit, oculoscp suos ad eam intenderit, errare non poterit: maximi erunt momenti omnia quæ decreuerit, ac iusserit. Qui hūc conuentū audiet, Deum audiet: qui spernet, Deū spernet. Profectò nihil in rebus humanis certū esset, si eiusmodi cōuentus decreta incerta essent. Quę igitur causa est, dicat quis, cur tot talibuscp decretis extantibus, hæreses subinde suscitētur? Ego uerò puto multa decreta conciliorū sanctissima esse, quibus tanquā diuinis oraculis parendū sit: at quędam etiā non ea in scripturis fundamenta habere, quin eis contradici fas sit. Hæresium uerò causæ uariæ sunt: quas in præsentia, cùm huc quasi continuato cursu perducti simus, inuestigare operæ precium fuerit: remedia etiam quærere, quibus hisce malis obuiam iri possit, non inutile. Sunt igitur uel præcipuæ hæresium causæ (ut à uiris eruditis accepimus) partim error quidam mentis, & iudicij prauitas: partim indignatio & superbia: quibus accedit æmulationis studium, ac ambitionis furor. Nam ut imperitia nihil detestabilius est, præsertim in eo homine qui eruditione excellere deberet: ita doctrina alium ad finē quàm necesse sit relata, causa solet esse multorum, eorumcp fœdissimorū errorum. Quod in illis apparuit, qui uel ex philosophorū decretis de religione statuerunt, uel scripta diuina aliter quàm oportuit interpretati sunt. Gloriæ etiam & honoris ambientes, uirtutiscp alienæ æmulatores permulti extitere, qui

cum cedere & assentiri ijs nollēt, quorū splendore uirtutis ac claritate nominis obscurarentur, ingentes turbas in religione excitarunt: ac ut in suam sententiam ab alijs iretur, multis rationibus euicerunt. Quorum conatibus cùm uel pauci, uel nulli presbyterorū, quorum id munus præcipuum erat, pro eo ac res postularet, obsisterent: fiebat tanta secessio, quanta hæresi & factioni constituendæ satis esset. Negligentia igitur presbyterorum magna ex parte factum est, quòd hæreses subortæ, nec in tempore auersæ, & indies tanquam pestes quædam magis ac magis serpere sitæ sunt. Neglectionem porrò, aut magis supinam illam oscitantiā, cui potius tribuemus, quàm aut ignauiæ, aut ambitioni, aut rerū necessariarū insciitiæ? Sic em̄ sunt presbyteri pleriq; omnes, ut doctrina neglecta, sacerdotijs ambiendis finem faciant nullum: rarissimus' que sit, qui pro dignitate suum tueatur locum. Agamus igitur deinceps de presbyteris eligendis, qui refellere possint errores exorientes, hæresibus' que occurrere: atque adeò de legibus quibusdam ecclesiæ ritè administrandæ necessarijs: quod nos secundo in loco huius tractatus dicturos esse policiti sumus.

CAPUT XXII.

Neminen ordinandum in presbyterum, qui uirtute & doctrina necessaria sit destitutus.

IN primis igitur efficiendū, ut ne quis in ordinem sacerdotum ascisca tur, qui à doctrina & cultu uirtutum sanctissimo ordini necessariarum fuerit auersus. Veniat nobis in mentem pacti, quod fecit Deus olim cum sacerdotibus: cùm eis regimen traderet ueteris ecclesiæ, ijs uerbis quæ refert Malachias: Malach. 2.

„ Pactum mihi interces sit cum Leui, uitæ atque pacis: quæ ei
„ dedi, ut me timeret, meum' q; nomē paueret. Habuit itaq; legem ue-
„ ritatis in ore suo: nec apparuit iniquitas in labijs eius. Ipse se erga
„ me bene & rectè gessit, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim
„ sacerdotis custodiunt scientiam, & legem petent ab ore eius: quippe qui sit legatus Domini exercituum. Hoc pactum cùm non ser-
„ uabant sacerdotes, increpabat eos Deus, ac etiam meritis pœnis af-
„ fligebat. Sic enim ibidē ad eos dicit: Vos autem deflexistis de uia,
„ fecistis' q; ut plurimi impingerent in legem, pactum Leuiticū corrū-
„ pentes. Itaq; & ego reddam uos contemptos, & abiectos omni populo. Tempora quidem nostra testantur, pactum hoc à sacerdotibus multis modis rūpi. Itaq; ordo sanctissimus infamatur, de eius authoritate plurimū detrahitur, ordinaria potestas parui ducitur. Omnino igitur electiones usitatæ in ecclesia, moderandæ & emendandę sunt. Cur enim plura sacerdotia uni? cur non ex doctrina & uirtute? Da mihi hominem doctrina & uirtute præditum: iube eū con-

contentū esse uno sacerdotio, munusq; debitū explere: an nō speras rectius religioni cōsultū iri, q̄ animo presbyteri, nec ex uirtute electi, nec unico contenti, in plures, easq; profanas res distracto?

CAPUT XXIII.

Nullus presbyter duabus ecclesijs præficiatur: & hic de ministrorum uarijs officijs in ecclesia Dei.

EXPLICEMVS hæc quæ diximus: primumq; constituamus, minimè in ecclesia Dei ferendum esse, ut aliquis presbyter unus plura sacerdotia possideat. Omne enim sacerdotium muneri alicui destinatum est. Neq; maiores nostri aliā fundis & prouentibus, sacerdotibus attribuēdis, rationē habuerunt, q̄ ut illi curationem & dispensationem rerum sacrarum sustinerent. Quis quæso unus populos locis seiunctos docere ipse potest: eisq; operā monēdo, cōfirmando, peruersos terrendo, afflictos consolando præstare? Vetus est uerbū, Pectora nostra duas nō admittere curas: quāto minus admittent, locorū procul à se distantiū? Quamobrem lege Chalcedonēsi & Septimę synodi prohibet, ut ne quis presbyter à suo populo abesse, ne'ue pluribus populis præesse audeat. Quòd si cōsilijs eū honorē haberi necesse est, ut eorum authoritas præferenda sit authoritati pontificię: certè nescio, an pontifices eiusmodi legem soluentes, rectè officio fungant suo. Nisi fortè inopia pastorū tanta est, ut aliquē unū pluribus ecclesijs præesse oporteat. Etenim si episcopi munus rectè ad plures ecclesias extenditur, quibus pastores idoneos curare, earūq; regimē inspicere debeat, non ineptè etiam unus aliquibus præficeretur ecclesijs, quibus doctores fideles ordinaret, ministros probos constitueret, ac ipse etiam per uices in ijsdem ecclesijs officij sui munera adimpleret. Hoc quidem excepto, sacerdotia lege conciliorum uetita, nullo modo alicui uni tribuenda esse uidentur: illiq; omnes damnandi, qui alium ad finem hæc beneficia congerere audent. Itaque lex quam dixi Septimæ synodi, mauult clericum artificio sibi parare ea quæ sint uitæ necessaria, quàm in duabus ecclesijs collocari: Paulicq; exemplum proponit, qui & sibi & suis comitibus parabat necessaria manibus suis. Multæ & lectæ & auditæ sunt à me laudatiōes ueterū presbyterorū: nunquā alicuius laudes ex possessionū amplitudine audiui celebrari. Nā plura sacerdotia ambire ac possidere, hominis est cuiusuis: laudē uerò in laborib. positā quærere, operamq; debitam ecclesijs docēdis pręstare, magnorū est uirorū, & qui exaltari uiuant (ut inquit Paulus) dignorū. Sunt qui amicos locupletandi causa, alij ut splendidè & magnificè uiuant, pluribus se sacerdotijs onerent: genus hominum amicis, & ijs quos ditant, & quorum suo sumptu negotia obeunt pergratū, ecclesijs prorsus inutile.

Chalced. con. canon. 10. Et synodi Septimæ can. 15. qui est 21. q. 1. Clericus.

Actor. 20.

Pauciſsimi ſunt hodie in tanta presbyterorū multitudine, qui ſeriò cogitent quid in eccleſia ſuſtinere, quidue efficere poſsint: neq; adeò multi, qui quod poſsint, hoc etiam uelint. Plerique uerò omnes, rebus alijs neglectis, in fructus colligendos toti incumbunt: ac, ut inquit poeta,

Reditus iam quiſq; ſuos amat, & ſibi quid ſit
Utile, ſollicitis computat articulis.

Ideo mirum non eſt, quod laudes ſacrificorū ex ſolis latifundijs petantur: his uerò carentes, nullo numero habeantur. Adeò hoc malum inualuit, ut etiã in epitaphijs quiſq; numerari uelit ſua ſacerdotia. qua quidem re quid ſignificant aliud, quàm ſe auariſsimos & ambitioſiſsimos fuiſſe? Quod autẽ diximus, oportere quenq; ſacerdotio ſuo adeſſe: nõ ita exiſtimandũ eſt, ut nefas ſit paſtori, uel Reipub. uel religionis cauſa à ſua eccleſia abeſſe. Ambroſius, etſi erat Mediolani epiſcopus: tamẽ legationis munus bis in Gallia obijt, pacis inter Maximũ & Valentinianum imperatorem cõciliandæ cauſa. Lites etiam & controuerſias ſedauit inter multos, & conſopiuit. Præclarum eſt, paci inter homines conſtituendæ, firmandæ & corroborandæ operam dare. Quòd ſi tempus quod in res eccleſię conferendum eſſet, licet paſtori tribuere controuerſijs inter ciues ſuos componendis, quæ ſcilicet exortæ & gliſcẽtes turbam & confuſionem excitarent cùm in ciuitate, tum in eccleſia: licebit etiam tantùm temporis Reip. dare, quantũ ſat erit ſimultatibus inter uiros principes tollendis, bellorumq; ſeminibus eruendis & eradicandis. Dauid, Ezechias, Conſtantinus, etſi reges erant, rebusq; politicis implicati: tamen eccleſiarum etiam curam habebãt, & negotia religionis procurabant. Quid igitur impedit, quo minus paſtores eccleſiarũ dona Dei, quibus prædiți ſunt, conferant interdum cùm ad reconciliationem gratiæ hominũ inter ipſos, tũ ad conſeruationẽ pacis publicæ, tum etiam ad expeditionem cauſarũ & negotiorũ ſine quibus Reſp. diu ſtare nequeant? Sed tamẽ caueãt paſtores, ne ambitioſe ſe in id ingerant ipſi: uocati autem, ne officijs eiuſmodi faciẽdis uel extra modum prodeant: uel munus illud docendi, cui ſunt in primis deſtinati, prorſus deſerant. atq; ita pro certo habeant, ſe non aliter in eccleſiæ præſidibus numerari poſſe, quàm doctrinæ Chriſti profeſsione: per quam & populus hæreditatem gloriæ filij Dei poſsit cernere, & ipſi profeſſores ius ordinariæ ſucceſsionis continuata ſerie uindicare. Neq; eñ imaginanda eſt alia ſucceſsio uel opum uel locorũ in eccleſia Dei, præter doctrinæ ſucceſsionẽ. Quis enim ſuccedit Chriſto, uel Apoſtolis, in eas res quas illi non poſsidebant? Erant illi in doctrinæ cœleſtis poſſeſsione. Quiſquis hanc doctrinam non profitetur, fruſtra ſe iactat uel Chriſti uel Apoſtolorum ſucceſſorem. Itaq; & Paulus, cùm ſe ad munus apoſtolicum

Ambro. lib. 5. ep. 27. ad Valẽtinianum imperatorem.

uoca-

uocatũ dixisset,addidit,se nõ ad amplas possessiões,sed ad euãgeliũ Dei segregatũ esse. Sũt tamẽ sacris cœtib.nõ tãtùm doctores & pastores necessarij,sed & ministri alij,qui eccle sijs ,pdesse possint,partim dijudicãdis obscuris cõtrouersijs,partim iudicijs exercẽdis,partim examinãdis ijs qui sint futuri presbyteri,partim scribẽdo & legatiões obeũdo.Quẽadmodũ Ambrosij,Cypriani,Athanasij,& aliorũ ecclesię,multos eiusmodi ministros habebãt:quorũ opera uiri illi utebãt,munerib. officij sui exequẽdis. Horũ causa collegia ecclesiarũ instituta esse uidentur,quod alio loco ostẽdemus. Neqꝫ uerò impediendum puto,quo minus aliqui ex hoc numero collegiorũ,regibus,principibus,proceribus adsint,salutẽ publicã procurando:quos tantùm abest ut uituperem,ut etiã sua laude dignos existimem:modò ne aliqui ambitionis aut rei dilatandæ studio sequantur aulas,quibus nec ipsis prosint,nec suis sacerdotijs satisfaciãt,& multis hoc uitę genere sint offendiculo. Satis igit demõstrauimus,homines ociosos ex facultatib.ecclesię alẽdos nõ esse:unũquenqꝫ sacerdotio unico contentũ esse debere:ministros ecclesiæ, quenqꝫ pro sua parte,ecclesiæ ac Reip. operã nauare oportere.

CAPUT XXIIII.

Ex uirtute & doctrina ad munus sacerdoty & collegia quisq; uocandus: 1. *nõ ex consanguinitate,nec ex ullis obsequijs, muneribusq;,quibus Simonia committitur.* 2. *non denicq; ex genere,aut diuitijs.*

HIS ita ostensis, constituamus & illud, ex uirtute & doctrina unumquenque ad sacerdotij munus eligendum esse. Et quamuis nemo hodie accusetur sacerdotij per ambitũ acquisiti,nisi qui ex empto adeptus est: tamẽ si rectè rem perpendamus, non minus in uitio uidentur esse, qui quauis alia, quàm uirtutis & doctrinæ commendatione, ad alicuius sacerdotij possessionẽ peruenerunt. Quid enim refert,obrepas ad has hono 1.
res precio numerato,an sanguine,affinitate,obsequijs,parentũ authoritate? Certè qui uocantur collatores beneficiorũ, plus aliquando mouentur causis istis,quàm pecunia numerata. quæ quidẽ causæ omnes ex æquo profanæ sunt:nec ad illum finem destinantur,ut aluti ecclesiarum,sed ut uentri & ambitioni eorum quibus dantur sacerdotia,consulatur. CHRISTVS quidem ipse non tantum uendentes & ementes ex templo eijcit:sed omnes pronũciat fures esse, & latrones, qui aliunde quàm per ipsum in ouile ingrediantur. Et Paulus nõ alijs iubet curã ecclesiarũ demãdari,nisi qui sint illis uirtutibus instructi,quas ipse copiosè describit in epistolis ad Titũ & Timotheũ: omniũqꝫ summa est illa,ut & uitę & doctrinę sanctitate sint conspicui, qui ecclesiæ præficiantur:& ne sint sordibus uitiorũ eorũ notati,quæ illorũ imminuant existimationẽ,& officiũ dedecorent,

rēt. Nulla hîc eſt mētio affinitatis, nulla cōſanguinitatis, nulla obſe-
Hier. in cō. epiſ. ad Ti. in uerbis, Et conſtitu as per ciui= tes. quiorū. Qui igitur (inquit Hieronymus Stridonēſis) eccleſiaſticū gradū nō merito alicui deferūt, ſed gratię, cōtra Chriſtū faciūt. Moi ſes amicus Dei, cui facie ad faciē Deus loquutus eſt, potuit utiq; ſuc ceſſores principatus filios ſuos facere: ſed extraneus de aliena tribu eligitur Ieſus, ut ſciremus, principatū in populos nō ſanguini deferendū eſſe, ſed uitę. At nūc cernimus plurimos hāc rē beneficiū face re, ut nō quærāt eos qui poſsint eccleſię plus prodeſſe, & in eccleſia erigere colūnas: ſed quos uel ipſi amāt, uel quorū ſunt obſequijs de liniti, uel pro quib. aliorū quiſpiā rogauerit, & (ut deteriora taceā) qui ut clerici fierēt, munerib. impetrarūt. Eiuſdē eſt ſentētię Vrba
1. q. 3. Salua tor. nus Papa, ſic inquiēs: Quiſquis res eccleſiaſticas nō ad quod inſtitu tæ ſunt, ſed ad propria lucra munere linguę, uel indebiti obſequij,
Tho. ſen. 4. d. 25. q. 3. ad. 3. uel pecuniæ largiē, uel adipiſciē, Simoniacus eſt. Quod Thomas Aquinas interpretās ait, amicitia, fauore, actione corporaliter exer cita, munere omni cp numiſmate poteſt ęſtimari, Simoniā cōmitti: quā & ad largiētē, & ad accipiētē, tā Thomas cp Vrbanus referūt.
C. de epiſc. & cler. l Si quen. uam. Leo etiā Ro. imperator, tā in eū qui cōferat ordinet'ue, cp qui acci-
Eccleſiaſti- ci 45. piat ſacerdotiū, pecunię aut aliquorū munerū interuētu, inſtar pu-
Num. 7. blici criminis ac lęſę maieſtatis accuſationē proponi iubet, ac eos p-
Num. 27 petua infamia plectēdos cēſet. Iā Moſes ille, Deo & hominib. dile ctus, Leuitis boues & plauſtra à principib. Iſraeliticis oblata diſtri buēs, nihil de eis filijs Caath, tametſi ſanguine propinquioribus, de dit: nec uncp, ut Hieronymus memorat, ad aliquē filiorū ſuorū ali-quod ſuę Reip. munus detulit, tametſi eſſet apud omnē populū gra tioſiſsimus. Nec aliquē ſuorū propinquorū, qui ſibi in magiſtratū à morte ſuccederet, nominauit: ſed dominū, ut populo ſuo ducē cu raret, rogauit. Quid quod Chriſtus ipſe, nō eos cognatorū loco du cit, qui ipſum neceſsitudine attingant: ſed qui iuſsis patris cœleſtis ſint audiētes, eos fratres, ſorores, ac parētes ſuos appellat. Contrà multi nō ſolū profani, ſed & ſacris Chriſtianis præfecti, quos mune rib. eccleſiaſticis ineptos ſciūt, alios ferè pueros, alios omnis pieta-tis & eruditiōis expertes, alios multis uitiorū maculis pollutos: ta-mē quia cōſanguinei ſunt, obtrudūt eccleſijs Dei: & alios ad dexte-rā, alios ad ſiniſtrā aſsidere ſibi faciūt. Quo quidē manifeſtè oſten-dūt, ſe admodū carnales eſſe. ideo carnē & ſanguinē primis in eccle ſiæ locis collocāt, cōmodis augēt, honorib. efferūt. Hoc loco quid aliud boni uiri optēt, cp ut Deus eccleſię ſuę miſertus, tales illi pa-tronos, collatores, epiſcopos det, qui neglecta carne, ſanguine, a-micitia, fauoribus, & omnibus obſequijs, miniſtros idoneos præfi ciant populo Dei: qui miniſtri uita & doctrina ſalubri, ſalutem animarum procurare & poſsint, & uelint. Et hæc quidem quæ diximus de ſanguine, obſequijs, & id genus rebus, talia ſunt, quæ

moribus

moribus tãtùm uſurpãtur: Ambitus tantum (quã Simoniã uocant) legibus uindicatur. Illud uerò lege cautũ eſt, ne quis ad primarum eccleſiarũ honores, paucis exceptis, euocetur, niſi ſtẽmatis gẽtilitijs ornatus. De quo nobis deinceps diſputandũ eſt. Velim autẽ, ut ne quis ex prẹiudicatis opinionib. de eo ferat iudiciũ: ſed potius rationes cõſideret oẽs, quẹ nos cogũt diuerſam ſequi ſentẽtiã. Sic igitur, ut cœperamus, pergamus dicere: maximũ reſpectũ ſacerdotijs cõſe rẽdis habendũ eſſe uirtutis, & doctrinẹ ad tantã functionẽ idoneæ. Etenim ſi uerum eſt, quod primo libro ualidis (ut uidemur) rationibus confirmauimus, in Repub. & in ciuili hominũ ſocietate uirtutem generi & diuitijs prẹferendam eſſe: quanto magis in eccleſia, in qua illa ipſa uirtus cum doctrina & honeſtis actionibus cõiuncta, principatum iure ſuo tenere debet? Cur enim loca Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti æſtimentur ſtemmatum nobilitate, cùm principes illi religionis noſtrẹ nulla ſtẽmatũ cõmendatione fuerint inſignes: quorum opera uſus eſt SERVATOR noſter, imperium ſibi in hoc orbe conſtituendo? Non ille habuit deligendis apoſtolis rationem generis, non imaginum. imò piſcatores erant magna ex parte, qui in ſummis honorum gradibus ab ipſo ſunt collocati: in quorum tandem ſcholam & qui genere clari, & qui humana eruditione præditi, & qui iuxta hominum æſtimationem erant potentes, ſunt recepti. Cur igitur nos non putamus retinendũ eſſe Chriſti imperium ijſdem modis, quibus partum eſt? Cur res profanas tanti facimus, ut earũ primam rationẽ in rebus ſacris habendam putemus? An non manifeſtè declaramus, à Chriſti nos deſciuiſſe inſtitutis, hoc perſonarum delectu in eccleſias admiſſo, ac pro uirtute & doctrina introductis maiorum imaginibus? idque non ſine magna morum pernicie. Multo enim maxima nobilium pars cenſibus & fundis contenti, & doctrinam contemnunt, nec artis bonæ famam quærunt: plebeiũ putant eſſe, artẽ profiteri: docere, ſeruile. hanc enim omnem prouinciam hominibus contemptoribus delegant: ipſi & prima loca occupant, & præcipuos maximoſq; fructus percipiunt. Neq; ego ſum neſcius, quid uulgò nobiles prætexant huic ſacerdotiorũ occupationi. Aiunt emm, hæc eccleſiarũ cõmoda, tanquã ptochodoxia, iure optimo ad ſe pertinere, quæ maiores ſui eccleſijs donaſſent. Verùm huic ſententiẹ Canonici nomẽ, quo collegiorũ clerici plurimi appellãtur, prorſus aduerſatur: munerũ quoq; quæ ſuſtinere debeãt, ratio, nihil illi ſuffragatur. Ac de muneribus ipſis, & de iſta donatiõe, alio loco dicemus. nũc inſtituta perſequamur. Etiã ſi fundi multi à uiris nobilib. eccleſijs donati ſunt, num propterea ferendũ eſt, potiſsimũ nobiles eccleſijs præficiẽdos eſſe? Nõ eſt, ut ait Paulus, in regno cœlorũ Græcus & Iudẹus, circũciſio & præputiũ, Barbarus, Scytha, ſeruus, liber: ſed omnia in omnibus Chriſtus. Gal. 3. Col. 3.

Christus. Quare igit̃ nobilitati regnū cōstituitur in ecclesia: in qua nullū discrimē esse personarū, nationū, cōditionū, quinimo oēs homines pares esse affirmat Paulus? atq; idē ille inter dona ecclesiæ diuinitùs data numerat prophetas, apostolos, pastores, & doctores. Hos em̃ fructū ecclesię magnū proferre certū est: nobilitatē generis per seipsā nihil cōferre, certo certius est. Quæ igitur, malū, stultitia est, de generis nobilitate testes citare, iurare: de uirtutis & doctrinę nobilitate nullā mētionem facere? Quasi hæc illā cōsequaī necessariò: nulliq; unquā extiterint, q illius participes, huius prorsus expertes fuerint. Audiebaī apud nōnullos populos, in ecclesiā quādā numero Canonicorū quispiā allectus esse, qui parū ꝓfecerat latinis literis legēdis: quiq; pręter nomē nobilitatis nihil haberet additamēti. Quo errore? nō alio certè, nisi quia de stēmatis gētilitijs rogabaī, testes ꝓducebat, iurabat: de doctrina nulla ratio ab eo exigebaī. Si soli nobiles uolūt esse domini fūdorū ecclesijs donatorū, cur soli nō occupāt ꝓfessionē docēdi, pphetādi, oues Christi pascēdi? Si principatū in fundis ecclesiarū obtinēt, cur nō principatū obtineāt in rebus quę ecclesijs maximè proprię sunt? Certè iniquissimè cōparatū est, eos cōmoda ꝓcipere, q onus sustineāt legitimū nullū. Leuissima em̃ sunt onera illa, & quæ ab omni uel inertissimo homine facilè ferri possint: lineis uestibus indutū sacrā ædē ingredi, pellibus ornatū tēplū aut altaria circūire, dieb. festis cōuēticula agitare, solēnibus ecclesiæ supplicationib. adesse, phylacteria dilatare, fimbrias magnificare. Quòd si fundos aliquos donarēt uiri nobiles arci alicui, uerbi gratia, Barēsi, uel Camenecēsi, ex qua fines prouinciæ ab hostib. finitimis defenderent: an æquius esset, ut eos fructus ij ꝓciperēt, qui statis tēporib. certas uestes induerēt, arcē circūirent, cōuenticula agerent: an potius ij, qui & arcem ipsam reficere, & manu ualida hostes propulsare ualerēt? Nihil refert, qui id præstare possent, nobiles genere essent, an sola uirtute. Virtute em̃, firmis corporis lateribus, animi magnitudine & fortitudine res cum hoste gerēda est: nō imaginibus. Neq; tamē prohibendū putarem, quominus nobiles genere præcipuè illis commodis fruerentur, modò non solis stemmatis niterentur: sed ijs uirtutibus ornati essent, quibus inuadere, propulsare, & uincere hostem possent. Quid igitur, an non idem de arce ecclesiæ dicemus? Qui fundos dederunt huic arci, an non id uolebant, ut qui fructus ex eis percepturi essent, & ædificare possent hanc arcem, & defendere? Ædificate igitur uiuas ecclesias Christi, ô presbyteri nobiles genere: defēdite eas gladio uerbi Dei ab hæreticis, à mundo, à diabolo. Si hoc præstare nec uultis, nec potestis, an iure uos facere putatis, cōmoda tātùm percipiēdo: onera legitima ne digito quidē attingēdo? Paulus quidē, cùm de gladio & armis militiæ ecclesiasticæ differit, dicit illa nō carnalia esse, non

Eph. 4.

2. Cor. 10.

humano

humano more ferro aut cohortibus stipatorum munita: sed facultatem esse, Dei afflatu & uirtute constantē: quæ non ad demolitionem oppidorum, arcium, nō ad defensionem fundorum & redituū destinata sit: sed ad demoliendum & subuertendū omne id, quod se aduersus Dei cognitionē erigat & extollat: qua quidem facultate & callida consilia, & impiorum omnes conatus euertantur: neq; euertantur modò, sed captiuæ etiam ducantur cogitationes omnes humanæ: non ad lucrum aliquod ex eis percipiendum, sed ad obediendum CHRISTO. His armis Christus Iudaicam potentiam contriuit: apostoli orbem terrarum ad ueram religionē adduxerunt: Petrus Ananiam & Saphiram spiritui sancto mētientes occîdit: Paulus incestum ex cœtu Corinthiorum eiecit: Ambrosius Theodosiū ad publicam pœnitentiā coegit, Valētinianum basilica prohibuit, Stiliconis scribā furore corripuit: Stanislaus Scepanæus Boleslaū regē Poloniæ ob tyrannidē rebus diuinis & sacris ritibus arcuit. Deniq; ui horum armorū, & scelera omnia impiorum puniuntur, & prudentia omnis quæ Dei prudentiæ sit rebellis & cōtraria, expugnatur, ac ueritate cōuicta in officio retinetur. Hi sunt gladij, hęc arma uerè Apostolica: hæc stemmata successoribus apostolorū digna: hæc bella, hi triumphi ecclesijs CHRISTI congruentes. Qui his uti nec possunt, nec uolunt, quid armis gentilitijs efficient in ecclesia Dei? Iam ex alijs quoq; rebus magis uirtutis & artis rationē habendam esse, quàm nobilitatis, facilè perspici potest. Etenim si quis esset, qui arte sagittandi aliquos maximè superaret, longè autē ab illis superaretur nobilitate & diuitijs, non dubium est quin prudens Respublica sagittario illi optimas & acutissimas sagittas esset decretura: si quidē res esset cu hoste futura, qui eiusmodi sagittis celeriter confici posset. Quid igitur, contemneret illa Resp. nobilitatem & diuitias? Nequaquam: sed & rebus suis, & saluti & dignitati consuleret: cumq; nec nobilitas nec diuitiæ conducant quicquam ad munus sagittandi, illi potius insignes sagittas daret, qui melius iaculari posset, quàm qui deterius. Imitentur ergo ecclesiastici proceres, Reip. hoc præclarum iudicium: eos rebus necessarijs tanquā sagittis magis ornent & augeant, qui eis melius sint in hostes religionis usuri, quàm qui nulla re præter generis nobilitatem sint commē dabiles. Atq; etiam in mentē eis ueniat Iuliani illius, qui ex re apostata cognominatus est, qui cùm successibus bellorum fœlix esset, atq; ob eā causam suffragijs militum imperator factus: summo odio religionē Christianā persequebat, eamq; & scriptis & cōuicijs proscindebat. Et quamuis à sanguine abstinebat, publicè tamen edixit, ne Christianis scholas philosophorū adire, neu inter Romanos milites esse liceret: ex illis enim homines doctos fieri, ex his Romanos imperatores creari, atq; hoc modo adempta Christianis & erudi-

tionis facultate,& imperij adipiſcendi poteſtate, putabat religionẽ eorum ſponte ſua occaſuram. Sed & Iulianũ ſpes ſua fefellit,& ego edictũ illius nolo cum bullis noſtris cõparare. Nihil em̃ abſurdius, quàm religionis præfectos aliquid cõtra religionẽ uelle machinari. Quod etſi ita mihi perſuaſum eſt:tamẽ haud ſcio an ex bulla noſtra, & edicto Iuliano,euentus ſimiles exiſtere poſsint. Adempta eſt poteſtas plebeijs ad ſummos eccleſiæ honores perueniendi:ea uerò ſolis nobilium ſtemmatis conceſſa. Nullum adhuc naufragium ex huiuſmodi bullis res Chriſtiana feciſſe uidetur, quemadmodũ nec ex illis Iulianis edictis fecerat:ſed negari tamen non poteſt, magna ſocordia & ignauia oppreſſos eſſe homines utriuſq; ordinis,dum nobiles permulti contenti ſuis ſtemmatis,religionis doctrinæ ualedixerunt:plebeij honorum negatione curã illius magna ex parte abiecerunt. Quid aliud hoſtes Chriſtiani nominis magis optent,quàm talia in eccleſiã decreta recipi, quibus ſtudia omniũ religiõis tuẽdæ debilitentur? Quid homines ſocietate religionis nobis cõiuncti ita doleant,quàm neminẽ quarundam nationũ apparuiſſe, cùm de doctrina religionis his annis bis conuentũ fuiſſet? Non auſim dicere, hos quaſi gradus eſſe, quibus ad interitum eatur: ſed tamen uelim hæc ab omnibus,qui tantas res gubernant,conſiderari. Quod ſi ita moribus receptum eſſet, neminem nobilium ſine eruditione ad eos honorum gradus aſpirare poſſe, eosq; quaſi in ſtatione religionis excubare oportere: quis non pugnaret pro his priuilegijs nobilitatis? Certè nobis eodem loco,quo olim Leuitæ erant,haberentur: quibus ſolis poteſtas erat ſacerdotiorũ. Sed Leuitæ non contenti erãt,ſe ex ordine Leui prognatos eſſe, erãt perpetui circa Moſis tabernaculũ,ut fungendis ſacerdotijs digni haberent. Nũc cùm omni diſcrimine ſublato,dignitateq; omni neglecta, exæquati ſunt nobiles oẽs,probiq; & improbi,docti & indocti,modò ſtẽmata nũmerẽt,eodẽ numero habeant: quis probus & intelligẽs æquo ferat animo hãc cõfuſionẽ? Libet nũc Pauli argumẽtũ adferre,quo ille in re nõ diſsimili utit,aduerſus Iudæos paternũ genus iactantes. Non ſatis ille putat eſſe Iudæo,ut uel Abrahamo pgignat, uel circuncidatur:ſed ita tãtũ prodeſſe illi & genus & circũciſionẽ, ſi re id præſtet, cuius cauſa circunciſio inſtituta eſt:ſin minus, tũ quidẽ circunciſionẽ nõ alio loco eſſe,q; præputiũ. imò uerò præputiũ circunciſionis loco habitũ iri,ſi incircunciſus ea faciat quę lex iubet:tantũq; abeſſe ut minoris fiat circunciſo iuſſa legũ negligenti, ut & prę ferat illi, & iudex tãdẽ in illũ cõſtituat. Et hęc quidẽ argumẽtatio eſt Pauli. Cui ſi cauſa quã tractamus agẽda eſſet, an nõ eodẽ modo argumẽtaret? Nequaquã ſatis tibi eſſe ut nobilis & ſis,et dicaris,ſanguine patriſq; matriſq;,niſi etiã te nobilites nobilib. factis: ſine quib. nobilitatẽ tuã in ignobilitatẽ & dedecus uerti, contraq;, qui ignobilis ſit ſanguine,

minimeq;

minimeq; clarus factis aũt inclytus et uenerãdus, eius quidẽ generis ignobilitatẽ nullo modo ingloriã esse, sed & summa laude dignã, & omnib. stẽmatis imaginibusq; præferẽdã. Et hanc quidẽ argumentationẽ si quis est qui refellere uelit, hic eadẽ opera Paulinã refellet: sin Paulinæ assentiẽ, assentiatur etiam huic necesse est. omnia enim quæ proposuimus, similia sunt, atque huc tendunt, rebus ac ritibus externis confidendum non esse: nobilitatemq; omnẽ in excellentia actionum ponendã, nullo aũt modo uel in otio uel stemmatis solis. Hinc aũt consequiẽ, neminẽ ornãdum esse nec ecclesiasticis nec alijs honorib. præmijsq;, solo imaginũ respectu. Hæc eñ erat mens, hoc cõsiliũ eorũ qui agros aut fundos aliquos donarũt ecclesijs, ut ij fructus perciperẽt ex illis, qui ecclesię prodesse, qui orare, purã doctrinã & tradere, & ad posteritatẽ ꝓpagare, & ab hæreticis defendere possent. Hoc principiò ecclesiarũ obseruatũ fuisse, testimonio sunt mores ueteres, quibus nõ tantũ in canonicos, sed & in episcopos co optabanẽ filij agricolarũ: genere quidem ignobiles, sed doctrina & uirtute nobilissimi. nõ numerabanẽ tũ stẽmata paterna & materna, nõ testes audiebanẽ de nobilitate: sed inspiciebãtur mores eius, qui in collegiũ sacerdotũ aut põtificũ cooptabatur: inquirebatur in doctrinã, modestiã, uitam anteactam, easq; uirtutes quæ tãto uiro, qui alijs doctrina & exemplo præluceret, dignæ essent. Quàm uerò hac tẽpestate ab illis morib. discessum sit, uidemus. nihil eñ magis hodie requiriẽ ad honores ecclesiæ primos adipiscẽdos, q̃ stẽmata, & generis nobilitas. de hac primùm quæritur, iuratur, testes proferunẽ. & deinde qui hac uia in hoc ouile ingressi sunt, & ipsi nihil putant sua interesse, curã habere ouiũ: & oues ipsæ non alio eos numero putant habendos, q̃ quo Christus eos uoluit qui aliunde quàm per hostiũ intrauerunt. Ergo & istis rebus occurrendũ esset, & alia lex cõstituenda. Iste enim mos de stemmatis gentilitijs iurandi, nouus est, ante annos circiter cẽtum natus, à pontifice nescio quo excogitatus, & à nescio quo Papa confirmatus: bonis fortasse uiris illis: sed non satis intelligentibus, quibus in rebus uera ecclesiarum dignitas consisteret. Fuisse enim tum munus docẽdi uerbi Dei neglectui, satis declarant omniũ ferè ecclesiarũ mores ad hæc usq; tempora durãtes. Nã hoc munus nõ ad eos defertur qui prima in ecclesijs loca teneãt, sed qui inter postremos numerẽtur. Itaq; in multis ecclesijs ne domicilia quidẽ propria uerbi Dei præcones habent: & prouẽtibus prę reliquis sacerdotibus malignioribus gaudẽt: & longè minoris æstimãtur personatis istis, qui titulotenus munerib. ecclesiarũ fungũtur. Nõ est itaq; mirũ, cũ his morib. illã peruersitatẽ in ecclesia Dei regnare cœpisse, ut ꝓ uera doctrina & uirtute quæri cœptũ sit de stẽmatis: uersaq; sit res omnis in ambitionẽ, luxũ, & rerum sacrarũ immodicam quãdam & importunam profanationem.

Videamus,si placet,deinceps, quàm acutè definita sunt ea, quæ ad legẽ illam de nobilitate pertineant. Videbimur fortasse alicui, cornicum (quod aiunt)oculos configere:aut mysteria detegere.Sed in re necessaria uelim mihi hãc ueniam dari. neq; enim aliter uitia eius legis ostendi possunt. Definiunt nobilẽ, qui ex utroq; parente nobili natus sit, non qui ex altero tantummodo, ut uel ex patre,uel ex matre. Addunt etiam quarundã nationũ leges: nisi quis ab atauis, uel tritauis nobilitatem ducat, eum in ecclesijs nõ debere esse in eorum nobilium numero, qui maioribus illis ijsdem nobilibus sint orti. Hoc si ita est, quo tandem modo in societatẽ nobilitatis uenire possent primi nobilitatis authores? neq; enim in infinitum progredi, dandis unicuiq; nobili utriusq; parentibus nobilibus,licet. Necesse est in omnibus familijs ad unum ueniri,qui neutro parente nobili natus sit: qui ipse primus nobilitatis author, & quasi conditor fuerit:quam filijs,& per eos nepotibus,& qui nati sunt ab illis,cunctæq; posteritati,quasi per manus dederit. Ille igitur author nobilitatis, qui ex neutro nobili natus sit, nobiliũ nostri temporis numero excludetur:non excludetur infans, à cunis ipsis nobilitatem secũ adferens? nõ erit ille nobilis,qui præclaris facinoribus id meruerit: erunt isti, qui eius rei causa nihil unquam gesserint,præterquam q̃ ex semine nobilium hominũ nati sunt? Iam illud quoq; hanc opinionem nobilitatis natiuæ consequitur,ut consimili ratione, qui ex fabris nascentur,fabri fiant: & qui ex gladiatoribus,gladiatores: & qui ex doctoribus,doctores. plusq; faciẽdę sint uirtutum nobis ingenitarum persuasiones, quàm uirtutes ipsæ labore nostro partæ. Quòd si hæc & à uulgari intelligentia sunt remota,& sensu ipso falsa deprehenduntur:profectò consequi necesse est, ut uel hæc nobilitas ex parentibus profecta non sit uerè nobilitas: uel si nomen nobilitatis utcunq; obtinet, necesse sit primos illos, quorum uirtute, auspicijs & ductu omnis posteritas in possessionem nobilitatis uenerit,uerè & propriè nobiles fuisse, quantumuis parentibus nobilibus prognati non fuerint. Hoc uerò ita constituto,consequẽs est ut dicamus, omnes qui nostris temporibus uirtute nobilitatem & stẽmata consequuti sint, quãuis ignobilibus parentibus ortos,uerè & propriè nobiles esse: quẽadmodum qui palæstris se multũ diuq; exercuerunt,eamq; artem didicerunt,& sunt & uocãtur palæstritę, quamuis parentibus apalæstris nati sint. Consequitur & illud,omnes qui uirtute insignes sint, quiq; Rempub. præclaro aliquo facinore honestarint,uel si parentibus agricolis nati sint, prorsus nobiles esse, ac omnibus nobilitatis honoribus dignos: eos enim in se habere,cuius causa nobilium numero censeantur. At inquies, hoc à moribus patriæ uetustis alienum esse. Quasi uerò mores cum rerum natura, ac ratione illa rerum humanarum exploratrice pugnã-

tes,

tes,quãuis inueterati,reprehendẽdi nõ sint. Quid est, quæso te,cp ueteres illos Scipiones,Cæsares,Pompeios nobilitauit,nisi uirtus? Quis nostris Tarnouijs,Kmitis,Tancinijs,Lascijs, Gorcẽsibus clara nomina fecit, nisi uirtus? Quæ igit̃, malũ,iudicij peruersitas est, in quo uirtus adsit,ei nobilitatẽ auferre? An nõ eadẽ uis,nõ idẽ splẽdor uirtutis est nũc qui olim fuit? Eorũ omniũ quos nominaui nobilitas sumpsit initiũ ab aliquibus, qui in eius possessionẽ quasi pedes primi posuerũt. quorũ quidẽ primorũ nobilitatis cõditorũ maiores quid aliud fuerunt, cp uel aratores,uel pastores,uel opifices,uel cuiuslibet artis homines? Cur igit̃ & hodie, qui uirtute in nobilitatẽ uenerũt,nõ cẽseant̃ uerè nobiles,qualibuscunq parẽtib.orti sint? Vulgus nobiliũ ita de plebeijs loquunt̃,quasi nihil præclari facinoris ab illis edi possit. Hoc uerò si ita est,ob quã tãdẽ causam fieri putandũ est, nisi quia uiæ oẽs præclusæ sunt eis ad res gerendas? Natura em̃ esse pleroscp optima,& ad nobiles actiones perappositа,nemo opinor negabit. Sed cũm & uirtuti eorum nõ obscurę inuidea tur, & in cœtus honoratorũ ingressus eis tanquã abiectis denegentur, & honoribus præcipuis legum seueritate arceantur: deinde si quid alicuius momenti, ab aliquo illorum existat, illud mirabiliter deturpetur: fit, ut in tantis rerum angustijs & asperitatibus fiducia excidant,spiritu angantur,animis consternentur: neque in hac desperatione, de rebus arduis cogitationem queant suscipere. Frigent enim ingenia, artes, & actiones in ijs, quibus aditus omnes præclusi sint ad uirtutis laudem & honorem. Non sic erat in Rebuspublicis illis, in quibus idem cursus,eadem'que uia omnibus ad uirtutem proposita fuerat. Celebrantur à scriptoribus Romanis principes duo, M. Marius, & M. Cicero: quorum

Hic nouus Arpinas ignobilis. — Sed postea municipalis Romæ, hono ribus functus est maximis. atque idem ignobilis in suo consulatu, Catilinam hominem nobilem,patrię excidium molientem,oppressit. Quamobrem Roma Ciceronem patrem patriæ libera dixit. Ille uerò alter Arpinas, & ipse humili loco natus,qui solebat Iuuen. Saty. 8.

Poscere mercedes,alieno lassus aratro,
Qui tamen & Cimbros, & summa pericula rerum
Excipit, & solus trepidantem protegit urbem.

Cum'cp uictorijs & triumphis esset illustris, honoribus fungendis ad septimum usque consulatum processit. Quid de alijs dicemus Romanæ urbis ciuibus?

Plebeiæ Deciorum animæ,plebeia fuerunt
Nomina: — Horum tamen qui pater erat, cum Latinis: qui filius, cũ Gallis: qui nepos, cũ Pyrrho decertãtes, pro exercitibus suis sese deuouerunt,telisc̃p hostiũ corpora sua spõte obiecerũt. Tanta erat charitas patriæ in plebeijs,tãtus amor uirtutis, tanta cupiditas laudis,

dis. Sed id tempore illo minimè nouum aut inauditū erat, quo plebeijs patebat accessus ad res bellicas & togatas, & ad omnes honores, non minus quàm patricijs. Quod cùm scriptores testantur, tū consul ipse Romanus M. Valerius Coruinus, in ea oratione qua exercitum ad prælium strenuè ineundum hortatur, cùm inquit: Nunc nobis patricijs, uobisq; plebeijs promiscuus consulatus patet: nec generis, ut antè, sed uirtutis est præmiū. Proinde summum quodq; spectate milites decus. Semper ego plebem Romanā militię domi que, priuatus in magistratibus, paruis magnisq;, æquè tribunus ac cōsul, eodē tenore per oēs deinceps cōsulatus colo atq; colui. Nūc quod instat, dijs bene iuuantibus nouum atq; integrum de Samnitibus triumphum mecum petite. Talis erat oratio consulis, hominis patricij, ad militum turbā: tales mores illius Reip. quæ maximæ orbis parti imperabat. Nunc quis ferat nobiliū, nō iam dico in Senatu, aut cœtibus pfanis, sed in ipsa ecclesia, in ipsis sedibus Apostolorum, hanc uocē, ut episcopatus & sacerdotia non generis, sed uirtutis sint præmia? Quis æquo animo patiatur dici, promiscuos honores esse patricijs & plebeijs? Quid em̄ hodie? Bardi quidā & stupidi propter generis authoritatem pluris fiunt ijs, qui ipsi authores sunt nominis sui: maioribus cōmoditatibus gaudent qui in cunabulis nati, q̄ qui in cāpo facti nobiles sunt: digniores habentur qui maiorum suorum, q̄ qui suis ipsorū factis sunt cōmendati: in altiore dignitatis gradu collocātur, qui spōsores tantum pro se habeant imagines uetustas, q̄ qui rebus ipsis, hoc est spiritu magno & uirtute præstāti fidem fecerunt nobilitatis suæ. Ita factum est, ut summi ecclesiarum ferè omniū honores ab imaginibus & umbris sint occupati. Non nego, permultos esse uiros uirtute & doctrina insignes, qui ecclesiarum honoribus fungantur: sed nego, quenquā uenisse in dignationē summā, nisi imaginū cōmendatione: fine quibus, cui hominum ex uirtute & doctrinæ solius fontibus, ad dignitatem & amplitudinem profluere fas fuit? oēs aditus præcluſi sunt, partim moribus, partim opinionibus peruersis, partim cæca inuidia: quibus non pridem accessere incredibiles calumniæ. His uerò quæ coniuncta sint mala, & exposuimus, & magis alio loco exponemus.

Liu. ab Vrbe con. lib. 7.

CAPUT XXV.

De electione episcoporū, & aliorū sacerdotū, atq; adèo magistratuum omnis generis. 1. *Ratio eligendi episcopos præscribitur.* 2. *Conditiones & officia boni episcopi recitantur.* 3. *Ratio eligendi continuatur.* 4. *Conditiones boni episcopi latius explicātur.* 5. *Multas & grauissimas causas esse, quamobrem electiones usitatæ tolli, nouæ instituidebeant.* 6. *Additur correctio de sortibus, de quibus in electione scriptū est.* 7. *Hæc ratio eligendi ad alios magistratus transfertur.* 8. *Postulatio ad reges & principes, ut eiusmodi rationem eligendi ratam esse uelint.*

Satis

Atis,ut opinor, à nobis demonſtratũ eſt, minimã ſtemmatum,doctrinæ uerò & uirtutis maximam, eligendis presbyteris & epiſcopis, rationem habendam eſſe. Dicamus iam,à quibus eligendi ſint tum epiſcopi, tum reliqui presbyteri. Sæpe enim & palàm, idq́ue impunè, erratum eſſe in eligendis illis, ad quem modum hac tempeſtate in magna Chriſtiani orbis parte eliguntur, nemo ignorat. In multis electorũ ambitiones intolerabiles uiſæ ſunt. Electiones etiam ipſas à multis honeſtis & prudentibus uiris improbari audiuimus. Diſſerit Ambroſius Catharinus de ſpeculatoribus uineæ Domini,& gregis paſtoribus indoctis & negligentibus:qui nihil curent de doctrina religionis, qui uenientẽ lupum & oues mactantẽ non abigant: qui non exiſtimẽt epiſcopatum onus eſſe, ſed honorem,pompam,lac,lanam, & quæcunq; ad eos ueniunt ab ouibus commoda: qui epiſcopatũ tum bene geſtum & adminiſtratũ putent,ſi cõmoda ſua ſalua maneãt. Hos negat electos eſſe prouidẽtia Dei: qui per apoſtolũ pronũciauerit, oportere epiſcopũ eſſe doctorem, amplectentẽ eũ qui ſecundũ doctrinã eſt ſermonem: ut ſit potens exhortari in doctrina ſana,& eos qui cõtradicunt redarguere. Quòd ſi talis non ſit,uitio hominum id accidiſſe, qui indoctos uel eligant, uel confirment. Nos igitur hoc in ſermone de prouidentia Dei (ne quis nos calumnietur) nihil dicemus. De uitijs tum paſtorum eiuſmodi,tũ eorum qui illos eligant, confirmentue,diſſeremus. Cur etiã exactiorẽ eligendi rationem quæramus, palàm faciemus. In primis autẽ quæſo uos oẽs qui hæc legetis,audietisue,ne quid huc præiudicati afferatis. Etenim ſi ita cũ animis ueſtris ſtatutũ habetis recta eſſe omnia quę fiũt, quæq́; tot ſeculorum interuallis uſurpantur,fruſtra me audietis diſputantẽ,quem iam condẽnaſtis: ſin rationes ac maximorũ uirorũ authoritates,imò Dei ipſius oracula conſiderare uoletis,ſpero operam meam minimè perituram apud uos, qui omnia quæ dicam accuratè expenderitis, poſtremaq́; cum primis contexueritis. Vt igitur multis malis medeamur, ſic mihi electio epiſcopi inſtituenda eſſe uidetur. Mortuo epiſcopo, indîcat rex aut princeps populi comitia eius diœceſis, quæ epiſcopo eget.ad quæ comitia liberũ ſit cuilibet uenire ex ea diœceſi,cuiuſcunq; ordinis exiſtat. Faciamus aũt ordines quatuor hominũ, qui ibi futuri ſint. Primus ſit Palatinorũ,Caſtellanorũ, Capitaneorũ, Iudicũ, Subiudicũ, Notariorũ, Tribunorũ,Succamerariorũ,Gladiatorũ,Dapiferorũ,Inciſorũ,Pocillatorũ, eorũq́; omnium q̃ partes aliquas uel in Rep. uel in Regis miniſterijs obtinent. ex horũ omniũ numero tres ſorte eligant. Secundus ordo ſit hominũ equitũ, qui quoniã ſunt numero lõgè maiore,diuidãt primùm in decurias:temerè q̃dẽ,nullo ordine,nulloq́; delectu

Specul. hæreticorum cõſi. 2.

1

delectu habito: sed ut quisq; sit in ea decuria, in qua casus eũ collocare uerit. Si qui equites sint reliqui, q denariũ numerũ nõ cõficiãt, eorũ singuli, singulis quibuslibet decurijs adiunganť. Tum aũt sortibus ductis, tres primùm decuriæ, deinde ex singulis earũ trium singuli deligantur. Ita ex ordine equitũ tres habebimus electores futuri episcopi. Tertius ordo sit ciuium & oppidanorũ, qui & ipsi ad eundem modũ in classes diuidãtur: ac sorte tribus classibus designatis, ex singulis illarũ singuli eligantur. Addamus quartũ ordinẽ colonorum: quo nomine intelligo omnes in pagis habitantes, seu emethones, seu hortulani, seu alijs nominibus uocentur, exceptis ipsis equitibus, quibus secundũ ordinẽ assignauimus. Sed stultũ me fortasse quispiã dixerit, qui ad eiusmodi deliberationes accersam homines ab aula ac cõsuetudine hominũ illustriũ remotos, ac penè sensu cõmuni carẽtes. Quos igiť, ô bone, putas potissimũ accersendos? an istos tuos purpuratos, qui in lautis conuiuijs, ueste preciosa, supellectili splẽdida, equis & familia numerosa dignitatẽ omnẽ episcopi collocẽt? Facesse hinc quæso cũ tuis istis ineptijs. alius emm nobis quęriť episcopus: alijs rebus (q̃p postea palàm fiet) definiť, q̃p tuus iste. Nõ igiť coloni, si ueniãt, à comitijs excludẽdi sunt. potest spiritũ suũ adspirare illis Deus, qui abscõderit multa à sapiẽtib. quę reuelauit paruulis. Et certè iucũdius erit huic hominũ generi, dicto episcopi obedire, ad cuius electionẽ se admitti uiderit. Igiť & ipsi sortiãtur de suo numero tres, eodẽ modo ut de equitibus & oppidanis diximus. Ita ex omni populo eius diœcesis, cuius episcopũ quærimus, duodecim electores habebimus. Consimilẽ in modũ ex omni ecclesiastico ordine duodecim sunt eligẽdi, quatuor in primis ordinib. cõstitutis. Primus sit prælatorũ & canonicorũ omniũ, tã cathedralis q̃p collegiatarũ ecclesiarũ. Secundus plebanorũ, altaristarũ, & ruraliũ prælatorũ. Tertius mansionariorũ, uicariorũ, gratialistarũ, & omniũ reliquorũ presbyterorũ. Quartus diaconorũ, subdiaconorũ, & acolitorũ. in ijs uerò ordinãdis ijdem ritus obseruentur, quos suprà describẽdis populi ordinibus diximus. Sic ex omnibus ordinib. erũt electores quatuor & uiginti. Quòd si ad modũ præscriptũ tãtus numerus cõfici nõ queat (fieri emm potest, ut nulli ex colonis adsint) tũ supplementũ addatur ex equitũ ordine (hi emm numero maiore solent conuenire) uel decurijs, ut iam dictum est, constitutis, uel sorte uiritim ducta, usq; dũ electores fiant numero 24. Quibus Rex ipse, seu eius uicarius (uolumus emm Regem per uicariũ curare id posse: alijs puto id concedi nihil necesse esse, absentiũq; nullã rationem electione celebranda habendam) itaq; Rex ipse, seu uicarius eius, cum administratore, qui ipse quoq; est tanquam interrex, electoribus præerunt: iusiurandum à singulis exigent, ut ne gratia, fauore, ira, odio ducantur suffragio ferendo: sed eum eligant,

eligant,qui dignus eis tanto munere uideatur. Perneceſſariũ fue 2
rit,ut prius quàm ſuffragia ineant, recitentur eis de ſcripto, boni e-
piſcopi rationes,à diuo Paulo traditæ:ut ad eas animũ & cogitatio-
nes ſuas epiſcopo eligendo, tanquã nautæ curſum ſuum ad cynoſu-
ram dirigant. Non eſt ocioſa dignitas, nec ſine re inane nomen epi-
ſcopi: ſed eſt functio,&,quemadmodum Paulus ait,opus: & opus
quidem arduum,laborioſum, periculoſæ aleæ plenum: ut non im-
meritò idem Paulus dixerit,præclarum opus ab eo appeti, qui epi-
ſcopatum appetat. ferè enim,quæ ardua & difficilia ſunt,eadẽ præ-
clara iudicantur. Ad quod quidem opus obeundum qui uocentur,
eos CHRISTI perſonam ſuſtinere oporteat:curamq; omnem,labo
rem,& ſolicitudinem cõferre ad ſalutem animarum, quas Chriſtus
ſanguine ſuo mercatus eſt,procurandam: ad eccleſiam, quæ eſt co-
lumna ueritatis,ædificandam & reſtaurandam: ad regnum Dei, in
quo eſt ſalus & uita æterna,ſtabiliendum,confirmandum,& ampli
ficandum. Hæc nullo modo præſtari poſſunt ſine uirtutibus ſum-
mis, ſine doctrina & prudentia ſumma. Itaq; idẽ Paulus multas &
ſingulares uirtutes cõmemorat epiſcopo deſcribendo: ac inter cæ-
teras, uult eũ tenacem eſſe eius ſermonis quo docere imperitos ua-
leat,cohortari ceſſantes,conuincere contradicentes. Non enim ſa
tis eſſe putat,interioribus ac reconditis literis ornatũ eſſe:ut ſibi ſci-
licet tantùm (quod aiunt) caneret, & Muſis. Niſi & ad docendũ
appoſitus, & ad exhortandũ idoneus, & ad hoſtes ueræ doctrinæ
refellendos quàm maximè inſtructus erit, næ illum ab epiſcopi di-
gnitate tam procul abeſſe pronunciabit, quàm à uero & ſolido cor-
pore abeſt tenuis & ſine uiribus umbra. Cùm autẽ nefas ſit, noui-
tios fieri epiſcopos,acerrimè inſpiciendũ eſt in uitã ante actam,eius
qui ſit eligendus. Ipſe quidem Paulus inter reliquas epiſcopi notas
prodidit: Qui domui ſuæ bene præſit: qui liberos habeat in ſubie- «
ctione,cum omni reuerentia. Omnino igitur uidendũ, quomodo «
ſe in munere ſuo prius geſſerit. Si ſcholaſter fuit,an debitam operã
nauauerit ſcholis inſtituendis. Si canonicus,an canonicis Bibliis di
ſcendis,docendis ue,diligens fuerit. Si paſtor, qualẽ ſe præſtiterit
docendo populo,ac myſteriis diuinis explicandis. Profectò qui in
rebus minoribus ignauus ac iners fuit,non eſt ſpes,ut in maioribus
ab eo expectare aliquid preclari poſsis. Niſi fortè obſtabit aliquid,
quo minus opera debita obire poſſet: quod ex multis rebus depre-
hendendum eſt. Oportet etiam non tantùm doctrina excellenti,iu
dicio acri, & uirtute ſingulari epiſcopũ ornatum eſſe, ſed & illis le-
uioribus uirtutibus: ne ſit propenſus ad iram:ne faſtus ei dominet:
ne ſit contemptor præ ſe aliorum:ut moderatè de ſe ſentiat: ut mu-
nerũ Dei in alios collatorum ſit æquus cenſor. Ipſe Paulus talẽ uult
eſſe paſtorem,ut cæteri (quod Hieronymus ſcripſit) ad eius com-

parationem rectè grex nuncupentur. Vult eum irreprehensibilem esse, & testimonium bonum habere etiã ab eis qui foris sunt. Quæ Paulus, uirtutes episcopi numerando, ita posuit, ut ab altero ordiatur, in altero desinat: scilicet ut quale principiũ, talis esset & clausula Qui irreprehensibilis est, inqt ille idẽ Hieronymus, nõ solũ à domesticis, sed & ab alienis consono ore laudatur. Alieni & extra ecclesiã sunt, Iudæi, hæretici, & gentiles. Talis ergo sit pontifex Christi, ut qui religioni detrahunt, uitæ eius detrahere non audeant. At nunc plerosq; cernimus uel fauorẽ episcopi, in aurigarũ certaminũ equestriũ morẽ precio redimere: uel tãto hominũ odio uiuere, ut nõ extorqueãt pecunia, q; mimi impetrãt gestibus. Quo est detestabilior istorũ impudẽtia, q cũ uirtute nulla excellãt, eruditione etiã uel nulla prẽditi sint, uel nõ ea quã episcopi ꝓfessio requirat, denicq; quibus uile uideaẽ ac sordidũ fungi officio docẽdi, episcopatũ tamẽ ambire nõ uerenẽ. Quamobrẽ mos ille episcopũ ex genere ac diuitijs eligẽdi, omnino explodẽdus est. Vulgò quidẽ existimaẽ aliter ecclesiã seruari nõ posse, q; si illi præsint homines opib. & genere insignes. Sed nõ est uerũ. Ipsemet Deus inquit, ut testaẽ Oseas prophe ta, se seruaturũ suos in nomine suo: & nõ se seruaturũ eos in arcu & gladio. Quibus uerbis præsidia intelligit humana. Atq; idẽ propheta refert, Deum dixisse ad sacerdotes scientiã auersantes, his uerbis: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Iam & in rebus humanis, ubi opus alicuius requiritur, uidemus paruã haberi rationẽ generis. Neq; enim uenatores canib. nec equites equis eligẽdis, tã de genere soliciti sũt, atq; de agilitate, uelocitate, ferocitate, alijsq; uirtutib. illorũ animãtiũ, quib. uti uelint. neque itẽ nauigatiõe transmissuri, gubernatorẽ quærũt genere ac opibus clarũ: sed scientissimũ, peritia nauigãdi ac fide illustrissimũ. Ita custodib. ac gubernatorib. tã Reip. q; ecclesiæ eligẽdis, nõ tã natalia aut opes spectãdæ sunt, q; prudẽtia, iustitia, animi moderatio, fortitudo, aliæq; uirtutes: quib. tãtę rerũ moles sustineri, tanti fluctus sedari, tãti cursus teneri gubernari, & ad tutũ portum perduci queãt.

Oseæ 4.

3 Sed ad electores redeamus, quorũ singulis singula cõclauia disponanẽ. nemo ad eos admittaẽ. Tẽpus certũ eis cõstituaẽ, intra q̃d singuli ferãt sua suffragia: quæ tabellaria sint oportet. Si quis eorũ scribere nescit, adiungaẽ ei aliquis qui scribat suffragiũ. caueaẽ autem à singulis eligẽtiũ iureiurãdo, ne quis pro se ipse suffragiũ ferat. Conferanẽ tandẽ in unũ suffragia omniũ: ad regem, uel eius uicariũ et ad ministratorem afferantur. Ibi audientibus omnibus, à scriba ad id delecto, iurato illo quidẽ, relegantur. Tum uerò reiectis ijs omnib. de quib. pauciora: is unus episcopus renuncieẽ, de quo plura suffragia lata sint. Sin plures fuerint, plurib. præ cæteris & parib. suffragijs gaudentes, sorte ducta, is cui ea fauerit, sit episcopus. Atq; idẽ faciun-

faciundum censeo, si à singulis electoribus singuli eligant, ut sortis arbitrio episcopū habeamus. Existimo ego CHRISTVM IESVM sortē illā gubernaturū, qui eandē, legendo Matthia in apostolatum gubernarit: præsertim si ecclesia precibus & ieiunijs rem totam ipsi Christo cōmendauerit. Quod cùm aliàs, tum in designando Paulo & Barnaba ad munus Apostolicum, factū fuisse, Lucas narrat. Nō deerit certè ille piorū uotis, qui se medium promisit futurum inter duos uel tres qui in ipsius nomine congregentur. Non aspernabit sortes piorū, qui sortes & calculos suos esse testatus sit: qui in renunciando Saule Iudæorū rege, sortē suæ designationi respōdere fecerit. Mihi quidē talis electio ac uocatio maximè omniū legitima esse uideret: qualem nimirū esse debere, uel titulis ipsis ꝓfitētur, qui summis ecclesiæ honoribus funguntur, cùm se episcopos uocant gratia Dei, qui titulus cùm non nostra tempestate natus, sed ex ueterū moribus ad nos deductus sit, certè nō ad humanum arbitrium, sed ad Dei beneficentiam, omnem episcoporum electionē referendam esse docet. Magnū est munus, profiteri se speculatorē ecclesiæ Christi: hoc est, filiorū & hæredū Dei pastorē & inspectorē: uitæ eorum institutorem: actionū moderatorē: itineris rectorē & gubernatorē, ut ne qua aberrent, sed omnes in regnum patris ꝓducant. Non igitur sacrilegij crimine uacare potest, si qui se Dei gratia episcopū iactat, nō Dei uocatione, sed uel hominū inuentis, uel sua temeritate, uel artib. nō dicēdis ad sacros ordines cōscenderit: atq; res episcopo proprias cōtemnens, opimorū tantùm censuū & fastus mundani sit episcopus: huiusq; tituli prætextu, iurisdictionē in ecclesias usurpet. Rectè em̄ Leo imperator Rom. ad Armaū de eligēdis episcopis scribēs: Cesset, inquit, altarib. imminere ꝓphanus ardor auaritiæ & à sacris adytis repellat piaculare flagitiū. Ita castus & humilis nostris tēporib. eligat episcopus, ut locorū quocūq; peruenerit, oīa uitę ꝓpriæ integritate purificet: nō precio, sed precib. ordinet. Antistes tātū ab ambitu debet esse sepositus, ut quęrat cogēdus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffraget necessitas excusādi: ꝓfectò em̄ indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus. Scitū est & illud, q; Hieronymus ille Stridonēsis scribit, & Gratianus inter Decreta refert his uerbis: nō oēs episcopi sunt episcopi. Attēdis Petrum, sed & Iudam considera: Stephanum suspicis, sed & Nicolaum respice: non facit ecclesiastica dignitas Christianum. Non est facilè, stare loco Pauli, tenere Petri gradum, iam cū Christo regnantiū. Verè id qdē Hieronymus. Qui mirat suo tēpore, id tātū de ordinandis in primis quęsitū, an nō fuerint pluriū uxorū mariti: cętera neglecta fuisse. At em̄, inqt ille, q̄ dixit, Vnius uxoris maritū, ipse mādauit irreprehēsibilē, sobriū, prudētē, ornatū, hospitalē, doctorē modestū, nō uinolētū, nō percussorē, non litigiosum, non auarum,

Act. 1.

1. Reg. 10.

4

C. de episcopis & clericis. L. Si quenquam.

2. q. 7. non omnes.

non neophytum. ad hæc omnia claudimus oculos, ſolas uidemus uxores. Idem quoq; probat multis ſcripturarum teſtimonijs, olim presbyterū & epiſcopum fuiſſe eundē. Sed poſtea ad ſchiſmata tollenda factum eſſe, ut epiſcopus unus cuilibet eccleſiæ præficeretur: ideoq; epiſcopos magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicæ ueritate maiores eſſe. Igitur ſi uerbis Hieronymi de tollēdis ſchiſmatibus ab epiſcopo credimus, maxima ſcientia prædītum eſſe epiſcopum oportet. Qua enim ratione alia tolletur ſchiſma? Orto inter medicos ſchiſmate de morbi alicuius curatione, puta ſudoris quem uocant Anglicum, aut cuiuſuis alîus, an putas ſufficere ſubmouendæ diſſenſioni, ut aliquis in cathedra Galeni ſedens, cōuocet medicos, ac pro imperio iubeat illos ſtare iudicio ſuo? Nihil profectò hac ratione efficiet occupator ille cathedræ. imò quiſq; medicorum, cōtempto illo diſcedet, ac rationes ſuas medendi ſequetur, fortaſſe cum periculo ægrotantiū: quorū multi, ut fit, priuſquam recta curandi ratio inueniatur, pereant oportet. Non ſatis eſt ſedere in cathedra Galeni. opus eſt doctrinam habere, qua ſedentur medicorum opiniones. Ad eundem modū non ſatis eſſe ſchiſmati religionis auferēdo, ut epiſcopus pro authoritate imperet, decreta ſcribat, anathemata iaciat & denunciet, tēpora noſtra liquidò oſtenderūt. Oportet adeſſe epiſcopo cùm uirtutes alias, tum doctrinā quam requirit Paulus, qua poſsit & docere ignaros, & exhortari ceſſantes, & conuincere cōtradicētes. Non facit dignitas epiſcopi, ut ex Hieronymo retulimus, Chriſtianū: quanto minus faciet uerè epiſcopū? cum quidem non omnes qui loco & ordine epiſcopi cenſentur, officio ſint epiſcopi. Multa & maxima cōmoda ab epiſcopo bono ad oēs ſuæ diœceſis homines perueniunt. Præterquā em̄ quòd ipſius eſt, populū docere, debet etiam paſtores doctoresq; fideles & idoneos eccleſijs pręficere: cauſas ad ſuū forum pertinētes cognoſcere & dijudicare: Reip. ſtatis tēporibus ſeruire, & res alias magni momenti exercere: in primis autē turbas in eccleſia fortè exortas ſedare, hæreſes compeſcere, atq; etiam (ſi res poſcat) uitam pro ouibus exponere. Hæc qui præſtare nec ſcit, nec uult, quomodo eū in ampliſsimo honoris nomine ueram epiſcopi dignitatem obtinere putabimus? Et quamuis multa præſtari poſſunt per uicarios: tamen pulchrū eſt, epiſcopum eſſe talē, qui, cùm opus eſt, idoneus ſit ipſe rebus omnibus obeundis: ut nō ſemper quaſi alienis oculis utatur, ſed uidere & cognoſcere ualeat, quæ neceſſaria ſint, oculis ſuis. Quemadmodū & imperatori neceſſarium eſt, ut ipſe ſciat per ſe & exercitus inſtruere, & bellica munia obire. Ridiculus enim imperator eſt, qui rerum imperitus, utatur ſemper uicarijs in bello. Ridiculus medicus, qui per alios curet omnia ægrotis curandis: ipſe omnis artis expers. Cùm igitur talem tantumq; uirum epiſcopatu gerendo

gerẽdo requiramus, mirari nemo debet, nos eo inquirẽdo talẽ diligẽtiã requirere. Vidimus annis retroactis, Deũ cãdelabris quorũdã pontificũ de loco celeriter motis, palàm mundo feciſſe, q̃ & epiſcopi ipſi & electiones eorũ ſibi diſplicuerint: audiuimus querelas hominũ, multa in illis epiſcopis deſiderãtiũ: nõ erãt obſcuræ ambitiones multorũ, honores & diuitias epiſcoporũ mirè ardẽtiũ. Viſæ ſunt cõcurſationes illorũ tũ ad principũ aulas, tum ad eorũ limina, quos gratioſos eſſe apud illos putabãt. Hęſerunt in multis largitionũ ſuſpiciones, uix unquã hoc rerũ ſtatu eluẽdę. Quis igit nõ uidet, alia electiõe opus eſſe in eccleſia? Et illã quidẽ quę in canonicorũ & prælatorum eccleſiæ poteſtate olim erat, ideo in præſenti repudiamus, q̃ ambitione multorũ nõ uacaret, dũ unuſquiſq; ambitioſorũ multos ſibi ſuffragatores uel munerib. uel multis pollicitationib. ac q̃rere ſtuderet: hac autẽ, quã diximus, omnis uia pręcluderet ambitioſis, ignorãtib. qui electores futuri eſſent, quorũ ſuffragia uel gratia uel munere eblãdirent. Video quidẽ ueterib. decretis ſancitum eſſe, ut ne quis pro epiſcopo habeat, niſi & à plebe expetitus ſit, & à clero electus. Verùm, ut exiſtimo, tum locus erat illi electioni, dum homines erant minimè ambitioſi: dũq; epiſcopatus onus eſſe magis putabatur, q̃ honos. At hodie, & in plebe multa ſeditio timenda eſſet, unoquoq; pro eo pugnante qui magis ſibi placeret, eiq; ſuffragatores alios ordinãte: & in clero immodicis ſtudijs ad honores cõtẽdente, uarię contentiones exiſterẽt. Ideo cõmodius fuerit, & illas plebis poſtulationes, & cleri electiones, ad hãc unam quã diximus rationẽ eligẽdi referri. Tametſi nihil prorſus uideo, quid uel illi decreto q̃d diximus, uel Leonis Papæ ſententiæ, qua uult ab omnibus eligi eum qui omnibus pręeſſe debet, derogari poſsit, cũ pari numero (etiã ſi illũ quem pręſcripſimus, augeri, minuí ue, nihil impediat) populus cũ uiris eccleſiaſticis ad electionẽ uocaret. Quod ſi q̃ ſint, quibus nimĩ fortè uideamur, ſortib. toties uſurpãdis: & iccirco electionẽ, in ſuffragiorũ pluriũ ęqualitate, uiri boni prudentię potius, q̃ ſortiũ temeritati cõmittẽdã putẽt: haud ſanè ſcio, cuius nã iudicio id magis p̃mittẽdũ uelint, pręter Regem: qui & in Rep. ſit ſummus, & ab Eſaia diuino uate nutritius eccleſiæ uocetur. Qui rex, etſi ipſe quoq; humanis uitĩs exẽptus nõ ſit: neq; minus errorib. implicari poſsit, atq; cęteri homines: tamẽ magnã partẽ ab errationib. ſe liberaret, ſi ad eos tantũ animũ aduerteret, qui ab electorib. iureiurãdo delecti eſſent. Caueret modò, ne, ſi electionẽ in lõgũ traheret, ueniret in ſermonẽ hominũ et uituperationẽ. Dies unus et alter ſufficiat delectu habẽdo, eorũ qui in mediũ p̃poſiti eſſent. Deus autẽ, in cuius manu cor Regis eſt, ſuppliciter rogãdus fuerit, ut eã electionẽ eccleſię ſuę bene & fœliciter euenire uelit: animũq; Regis in talẽ uirũ inclinet, qualẽ religiõis ſalus & dignitas poſtulet: q̃ Reip. cõſulere, maiorem

62. d. electio clericorum.

maiorẽ honeſtatis in omni uita, q̃ cõmodi rationẽ ducere & ſciat & ualeat. Aut igitur his eligendi rationibus, aut nulla alia, & largi-
7 tio & ambitus omnis ſilebit. Ad hunc autem modũ de electionibus aliorũ magiſtratuũ, aliorũq̃ officiorũ fortè cõſtitui poſſet: nõnihilq̃ eius obſeruat hodie in noſtra Polonia, iudicibus & notarijs municipiorũ eligẽdis. Quatuor em̃ in locũ demortui ab omni equeſtri ordine deligunt̃: quorũ ueluti deſignatorũ nomina ita ad regẽ mittunt̃, ut cuius ex illis uirtutẽ & prudentiã magis cõmodo, hono-
8 ri, & dignitati Reip. fore putet, eum illo munere afficiat. In primis autẽ à regibus & principibus populorũ poſtulandum eſt, ut hoc genus electiõis probatũ ſibi eſſe uelint: illud in omnib. eccleſijs ditionũ ſuarũ uſurpari iubeãt: cõſulãtq̃ magis neceſsitatib. & Reip. & religionis, q̃ ſuis aliquib. cõmoditatibus. Satis, nimiũq̃ ſatis indultũ eſt nominationib. iſtis uſitatis: quæ fortaſſe aliquando utiles erant Reip. Sed certè neceſſe eſt & hoc fateri, multos perſępe malos & indoctos, per ſolã ambitionẽ ad honorũ titulos & opulẽtiã epiſcoporũ aſpiraſſe: res ipſas quæ epiſcopis dignæ eſſent, fortiter contẽpſiſſe: & alios q̃dẽ pietatis & omnis doctrinæ expertes fuiſſe, alios inſcitia munerũ epiſcopi ualde laboraſſe: pauciſsimos multis ſeculis, qui cathedræ affixi eſſent, uiſos eſſe: nõnullos quaſi poſſeſsionis tãtùm adeũdæ gratia, aliquoties tota uita in ſuggeſtu apparuiſſe: innumeros uerò docere populũ dignitate ſua indignũ putaſſe, munus hoc totũ ad abiectiores quoſdã ablegaſſe. Hos an ſucceſſores apoſtolorũ fuiſſe putamus? Scilicet quia beneficio regis aliquis uocat̃ epiſcopus, etiã gratia Dei eſt quod uocat̃? Res quidẽ ipſa, uel tacentib. hominib. loquit̃, q̃ hæc inter ſe aptè cõgruant. Habeant igit̃ Reges, ſi placet, ſacerdotia minora, quibus ſuos miniſtros ornent. Hæc uerò ſumma ſacerdotia, quib. Reip. & religionis dignitas cõtinet̃, permittant ſuffragijs delectorũ: qui quidẽ ad modũ iã expoſitũ ex omni eccleſia deligerent̃. Cuius quidẽ eccleſiæ ipſi reges & principes membra eſſe putãdi ſunt: quẽadmodũ Paulus inquit, nõ eſſe in regno cœlorũ nec dominũ, nec ſeruũ. Omnino regia excellentia in iuſtitia ac prudentia maximè debet reſplendere: nõ in extrema hac licentia eligendi ac præficiendi quoſcũq̃ uelint eccleſijs Dei. Neq̃ em̃ populus, nec eccleſia, regis epiſcopi ue cauſa: ſed contrà, rex & epiſcopus populi eccleſię ue gratia cõſtituunt̃. Seruiãt igit̃ reges honeſtati & utilitati filiorũ Dei, nõ ſuę ipſorũ libidini: ambitũ te prenſationes ſacrilegas ex aulis ſuis exterminent: electionẽ uirtutis & ueræ doctrinæ eccleſię reſtituãt. At dicet quis, multũ regię amplitudini hoc modo ademptũ iri: q̃ aulã magnus ſacrificorũ numerus ſequat̃, qui & ſumptu ſuo uiuũt, & frequentia miniſtrorũ ornãt aulã, & legationibus obeundis ſunt percõmodi: eaq̃ omnia epiſcopatus aut ampli alicuius ſacerdotij ſpe, ſtudioſè perſequunt̃. Eorum ſtudia & officia

aulæ

aulæ deeſſent, ſi ſpes eis adimeretur epiſcopatus, aut nobilis alicuius ſacerdotij conſequendi. Ego uerò ut negare non poſſum, ſtudia huiuſmodi ſacrificorũ debilitatũ iri, ſi à ſpe illa ſacerdotiorũ abeſſent: ſic cõtrà affirmare auſim, maximas orbi Chriſtiano inuectas peſtes eſſe ex ſacrificorũ aulicis operis. Primùm, à parœcijs continua illa & perpetua eorũ abſentia, quid nõ mali adfert? uix in anno ſemel inuiſunt ſuas eccleſias: idq; non docendi (à quo abhorrent) ſed redituũ colligendorũ cauſa. Deinde ſacerdotiorũ multitudo, eorũ præſertim quæ legibus uni interdicta ſunt, quid? Videntur pontifices aulæ potiſsimũ cauſa ſoluiſſe legem illam Chalcedonenſem: atq; uſq; eò proceſsiſſe (quod ex ore cuiuſdam aulici presbyteri audiui) ut quatuor ſacerdotia lege uetita aulico uni permiſerint. Taceo artes illas tum unionum, tum beneficiorũ curatorũ in non curata transformationũ, à furentibus hominibus excogitatas. Quid igitur nõ malorum conſequatur & abſentiam illã, & beneficiorũ multitudinẽ, quis ſatis exprimere queat? Inſcitia presbyterorum doctrinæ religionis ſumma: populi tanquã ouium ſine paſtore errores innumeri: luporum graſſatio: hæreticorũ impetus & incurſiones, nemine ſcilicet eos prohibente à caulis Dominicis. Quid illa commemorẽ leuiora quidẽ, ſed tamen & eccleſijs Chriſti permoleſta, & ipſi Chriſto odioſa? Qui ad ſummos eccleſiæ honores ex aulicis ſpacijs peruenere, ſuis & ſuorũ rebus magis conſulere conſueuerunt, quàm eccleſię. præmium enim aulicorũ operum epiſcopatus eſſe ſtatuunt. Itaq; & ipſi ſacerdotia conferunt præmij loco cùm miniſtris ſuis, tum conſanguineis & amicis. Etſi autem ipſi negent id in præmij loco ſe ponere: tamen res ipſa loquitur aliud. Nemo enim potior eſt apud eos ad ampla ſacerdotia, quàm miniſtri & amici: quorum nonnullos ornant ferè ab ipſis incunabulis. Eos pompoſè ueſtiunt, ditant, illuſtrant ex bonis eccleſiæ. Deinde quod uel pauperibus uel doctoribus tribuendũ eſſet, ſuis aſſeclis largiuntur. Nullam interea, uel minimam curam eorũ habent, qui populum rectè inſtituant. De moribus eorũ alijs, non eſt neceſſe dicere: de luxu, auaricia, faſtu, inſolentia. adeò omnia ſunt in oculis & ore hominum, ut non immeritò diuus Bernardus queratur, officia eccleſiaſticæ dignitatis in turpem quæſtum & negotiũ tenebrarum tranſijſſe: nec in his ſalutẽ animarum, ſed luxũ quæri diuitiarũ: eccleſiarum reditus in ſuperfluitatis & uanitatis uſum diſsipari. Iam mihi conſidera, utrũ magis conueniat principi Chriſtiano, an tot religionis ruinas & calamitates ex ſacrificorũ aulicis miniſterijs ferre, an potius eis uiã uſitatã ad ſacerdotia perueniẽdi præcludere? Quòd ſi epiſcopi (de quib. potiſsimũ nobis cœptus eſt ſermo) ad modũ iã dictũ deligerentur, uix tamen oſtendi poſſet, quid inde regię poteſtati decederet. non minus enim epiſcopus eiuſmodi obſtrictus eſſet & Regi & Reipublicæ, religioni autem multo magis. Sed etiam ſi quid

demereť cõmodis regijs: tamen & episcoporũ dignitati multũ adderetur, ambitione nimirum & suffragijs largitione deuinctis cessantibus: & ecclesiarum ac Reipublicę saluti magis cõsulereur, Ambrosius scilicet & Stanislais sorte diuina quasi è cœlo ad nos deuocatis: & obseruantiæ populorum omnium in Regem suum cumulus omnibus quidẽ & diuitijs & commoditatibus maior & gratior accederet, dum omnes eum Reipub. & religionis magis quàm suorum ipsius cõmodorũ rationem ducere cognoscerent: eiusq; hoc post natos homines singulare & incredibile factum ad immortalitatem consecrarent, & memoriã hominum sempiternam.

CAPUT XXVI.

De electione Papæ.

QVOD de episcopis diximus, idem de Papæ electione sentiendũ est: quem summum episcoporum omnium, omnes intelligunt. Cùm autem multi docuerint argumẽtis & rationibus, nullum pręsentius esse remedium dissidijs ex Repub. Christiana tollendis, & unitati retinendæ, quàm si unus præsit: omnino iustissimum est, ut ab omnibus eligatur, cuius dicto sint omnes audientes. Non igitur solis cardinalibus, nec solis Italis ea potestas permittenda: sed ex omnibus Christianis prouincijs aliqui ad certum locum conueniant, eligendi causa eius hominis, cuius iussis se obsequentes præbeant. Intolerandum multis uideretur, si Imperator Romanus, quem sola natio Germanica eligit, alijs nationibus imperaret. Non igitur, qui debet pascere totum orbem, ab unica natione eligendus est. Omnes Papę ferè in ore habent Petri successionem, & Christi uices. Tales itaq; eligendi sunt, qui his titulis respondere possint. Illud enim absurdum, & ab omni ratione alienum est, qualis qualis sit Romanus episcopus, eum uniuersæ per orbẽ ecclesię præfici debere. In uita Bonifacij octaui scriptum est, qua ambitiõe, & quibus fraudibus peruenerit ad pontificatum: & quanta insolentia eundem gesserit. In quem illud extat elogium: Intrauit ut uulpes, regnauit ut lupus, mortuus ut latro. Sed multos Bonifacios fuisse cum Papali potestate, facilè uident qui legunt res ab illis gestas. Nec Paulus Tertius culpa uacat multarum rerum non dicendarum, quæ & à Pasquilis notatæ sunt, & ab ijs qui eo pontifice Romæ erant, narrantur. Omnino in hac licentia potestatis immensæ, difficile factu est, quin tyrannis existat. Quo diligentius sanciendũ, & qualis eligi debeat, et à qbus. Ratio etiã & modus administrãdę eius ꝓuincię prę scribẽda est. Satis diu hũc magistratũ, Italia claustris imperij sui continebat. Eũ pollui putabat, si quis extraneus eo fungeretur. Verùm qd ꝓfectũ sit hac ꝓpetuitate imperãdi gẽtis unius, uidemus. Profana hęc putať ab illis administratio, &, ꝙ est longè scelestissimũ, indignũ

Platina.

existi-

existimãt hac dignitate euãgeliũ docere, et sacramẽta administrare. Itaq; eligũt nõ eos qui didicissent doctrinã sanctã, longoq; usu & exercitijs in docẽdo & res cœlestes ꝓcurãdo uersati fuissent: sed qui sciant rationes imperij mundani, & artes belli in primis calleãt. Hac ratione Christo'ne & Apostolis succedunt quærũt, an C. Iulio Cęsari? Elegerãt Clementẽ septimũ, hominẽ (ut ferunt) illiteratũ: & q primùm cardinalis factus, literas Latinas cœperat discere. Tales uolunt ut emineãt orbi Christiano: iudicent de moribus & doctrina Christiana. Lutherus iam inde à tẽporibus Leonis decimi scribere & docere cœpit. Post Leonẽ tres aut quatuor pontifices fuerunt. Quis credat, tanto tẽpore controuersijs finẽ imponi nõ potuisse, si id pontifices ex animo curassent? Sed res ipsa docuit, nihil illos curare religionẽ: solã dominationẽ illis cordi esse. Concilĩ indixerũt Vincentiæ, Mantuæ, Tridenti: fortè precibus importunis monarcharum uicti. Cõcilĩ Tridentinũ Bononiã traducere conati sunt. Quod cur ab illis factũ sit, uidimus in ea expostulatiõe quę CAROLI Cæsaris nomine cum Paulo Tertio facta est. Cùm igit̃ tot secula nec sciuerint nec uoluerint Cardinales eligere Christi uicarios, omnino ab hac natione remouẽda hæc ꝓuincia: & alijs cõmittẽda, qui sciãt & uelint Christi regno cõsulere. Paulus, nõ iste Tertius, sed ille Tharsensis, dicit Deũ naturalib. ramis nõ peperciss̃e, quo minus illos fructus debitos nõ ferẽtes, è radice oleæ auelleret, ac in locũ eorũ oleastrũ insereret. Profectò & ecclesia si uolet ꝓfecta esse, quẽad modum suus pater q in cœlis est, perfectus est, nõ parcet cuiquã uel iustissima prerogatiua gaudẽti, quo minus eũ procuratione, cui satisfacere nec sciat nec uelit, moueat, aliumq; in eius locum sufficiat. Hoc si in omnib. ministris præstandum, quãto magis in ipso Papa? Nã qualis hic est, tales ferè episcopi: quales episcopi, tales reliqui pastores. A' Papa igit̃ exordiũ faciendũ huius operis. Neq; magnopere curãdũ, ubi hic resideat: Romæ, an alibi. Nã ut dicit Hieronymus, ubicũq; fuerit episcopus, siue Romę, siue Eugubij, siue Alexãdriæ, siue Tanis, eiusdẽ meriti, eiusdẽ est & sacerdotij. A' Ioue igit̃, hoc est à Papa, exordiũ. pòst sequant̃ episcopi, deinde reliqui ecclesiæ ministri. Haud scio, an qui munerib. ecclesiasticis uacare ipsi nõ queãt, ab ecclesiasticis honorib. repelli nõ debeãt. Ait quidẽ Canõ, ut qui sacerdotia habẽt theologis destinata, doceant uel per se: uel si minus idonei erũt, per alios. Sed hoc nõ satis canonicè dictũ uideť. Melius Paulus, dignũ esse ait operariũ mercede. Qui autẽ operari nollet, eũ ne comedere quidẽ debere. Igit̃ qui per alios tãtùm munerib. fungi uelint, ij per alios & comedãt & bibãt: ipsi facultates alijs destinatas ne deuorẽt. Istę dispensatiões de laborãdo per alios, multos Epicuros & Sardanapalos pepererũt in ecclesia Dei: qui hominib. ad docẽdũ idoneis suũ uictũ eripuerũt. Hęc igit̃ emendãda, & à

Papa initiũ faciendũ: quo tanquam capite prætermisso, frustra de membris alijs cura suscipiet. Quoniã aũt quę diximus de episcoporũ electione omnia ad Papã transferri possunt, de eo amplius loqui supersedeamus. Profectò nisi ratio eligendi papæ mutata erit, nunquã ista libido dominandi prodigiosa, nunquã tyrannis, nunquam audacia plusquam Cyclopica exterminabitur ex ecclesia Dei.

CAPUT XXVII.

De disciplina ecclesiastica uniuerse.

DE rationibus eligendi episcopos, & alios magistratus, satis, ut opinor. Iam de moribus cunctæ ecclesiæ generatim dicendũ erat, nisi primo libro hoc argumentũ à nobis ita tractatũ erat, ut quibus moribus bonũ ciuẽ, ijsdẽ & Christianũ præditũ esse debere significaremus: ac quãtũ etiã res poscebat, ac nostra ferebat facultas, diuina oracula cũ philosophorũ ac hominũ prudentũ sententijs cõiungeremus. Ne tamen hic locus intactus nobis transeat, quædã ad
1 ea quæ prius diximus, adijcienda sunt. Primùm igit homini Chri
Scopus uitæ Deus. stiano cõstituendũ est, quò actiones oẽs suas dirigat. Vt em iaculatores scopũ sibi proponũt, quẽ iaculando intueant: & uiatores terminũ, ad quẽ tendant: ita nisi quis uitam suã ad finem aliquẽ retulerit, cuius causa faciat omnia, in errores sæpe multos & uarios ruat necesse est. Estq; hoc non tantùm à religionis nostræ magistris, sed & à philosophis & omnib. prudẽtibus proditũ, Deũ esse quẽ intueri, & in quo defixos esse oẽs oporteat, qui uitã uirtuti ac naturæ congruenter agere uelint. neq; munera uirtutũ constanter ab eo obiri posse, qui nullũ Dei respectũ habeat. Hic igitur sit scopus, in quẽ tẽdant studia nostra: hęc meta, ad quã cursum uitæ & actionũ nostrarũ dirigamus. Quæ uerò sint quæ ad finẽ illũ ferant, deducantq;, ea ex sanctis literis potissimũ cognoscenda sunt. de quib. nos in præsentia loqui supersedeamus: sed uiam illorum assequendorũ hãc in-
2 dicemus. Puer in lucẽ editus, more institutoq; diuino ad fontẽ ec-
Puerorũ confessio publica fidei. clesię defertur, ac ibi sacra lauatiõe initiatur: ignarus tũ qdẽ quid secũ agat. omnia em arbitri initiatiõis (quos cõpatres uocamus) agũt: pueri uice respõdent, ac spõdẽt baptistæ roganti, & quasi stipulanti Christi nomine. Posteaq; igit puer adoleuerit, ac eã ætatẽ ingressus fuerit, ut fari, iudiciumq; boni & mali habere possit, instituendus est atq; erudiendus à parentibus ad religionis instituta & ecclesiæ disciplinã: à baptista etiam & arbitris docendus, omniaq; illi exponenda quę in baptismo gesta fuere. atq; ad eã professionẽ hortãdus publicè edendã in ecclesia, quã prius alijs spõdentib. & p eo respõdentibus ediderat. Huius rei fit mentio in eo libro, qui à CAROLO Cæsare ordinibus imperij Romani oblatus est in cõuentu Ratisponensi, anno Christi 1541. & in eo qui titulo Interim circunfert, 1548 editus.

editus. Fit & ab Eraſmo Roterodamo, qui multis antè annis in prę fatiõe paraphraſi in Matthæũ addita ſic ſcripſit: Pueri baptizati cũ ad pubertatẽ puenerint, iubeãt cõcionib. adeſſe. in qbus illis diluci dè declarẽt, qd in ſe cõtineat profeſsio baptiſmi. Deinde priuatim examinent, ſatis'ne teneãt ac meminerint ea quę docuit ſacerdos. Si cõperient ſatis tenere, interrogẽt, ratũ ne habeãt qꝑ ſuſceptores illorũ nomine polliciti ſunt in baptiſmo? Si reſpõderint, ſe ratũ habere: tũ publicè renouẽt ea profeſsio, ſimul cõgregatis æqualib. idq́ ceri monijs grauib. aptis, caſtis, ſerijs ac magnificis: quę q́ decẽt eã ꝓfeſſionẽ, qua nulla ſanctior eſſe poteſt. Et reprehẽſus eſt qdẽ Eraſmus à nõnullis theologis, qꝑ hanc ceremoniã, renouationẽ baptiſmi uocet. Verùm ipſa cõmemoratio eorũ quę in baptiſmo geſta ſunt, & cõfeſsio publica in eccleſia, minimè reprehẽdi debet. Poſſet aũt uel dextris (ut fit) iũctis, benedicendo baptizato, fieri, uel manus impoſitiõe. Hac em̃ uſi ſunt Apoſtoli, cũ aliquẽ uel ſacræ functioni initiabãt, uel peccatis ſoluebãt, uel in ſua profeſsiõe cõfirmabãt. Ritus qdẽ eiuſmodi & honeſtus eſſet, & multas baptizatis utilitates adferret: nimirũ q̃ pueri rationẽ ſuę fidei in cœtu uniuerſorũ exponerẽt, in eaq́ uel cõfirmarent à ſeniorib. uel ſi quid minus aſſequuti eſſent, rectius inſtituerent. Quã ad rẽ nõ inutile eſſet, eccleſię cõſenſu formulã cõſtitui cuius ad prę ſcriptũ pueri et rogarent, & reſpõderent, & q̃ modo ſe per totã uitã gerere deberẽt, edocerent. Quàm magnificũ, inquit Eraſmus, hoc eſſet ſpectaculũ, audire uocẽ tot iuuenũ ſe ſe Ieſu Chriſto dedicãtiũ: tot tyronũ, in illius uerba iurãtiũ: abrenũciãtiũ huic mũdo, abiurãtiũ & exibilãtiũ ſathanã cũ omnib. põpis, uoluptatib. & operib. ipſius. Videre Chriſtos nouos, imperatoris ſui ſignũ geſtãtes in frõtib. uidere gregẽ candidatorũ publicè prodeũtiũ: audire uocẽ reliquę multitudinis acclamãtis, beneq́ ominãtis Chriſti tyronib. Mos q̃dẽ iſte in noſtris eccleſijs nũquã, memoria noſtra, ſeruatus eſt: de q̃ tñ Eraſmus abhinc annos amplius triginta admonuit. Mirũ uerò, cùm tot Eraſmi librorũ diligentes lectores eſſent, totq́ admiratores illius & doctrinę & eloquentię, neminem apud nos ad hũc diem extitiſſe, qui hunc morem noſtras in eccleſias recipi hortaretur. Explicantur quidem magnificè à uiris doctis baptiſmi utilitates: ſed de quibus dubitat nemo in eccleſijs noſtris. quomodo uerò dona baptiſmi tum in pueris, in quibus ſe uſus rationis exerit, tum in alijs ætatibus uel excitentur, uel augeantur, uel perficiantur ab illis ipſis doctoribus, ratio non oſtenditur. itaq́ & qui ad populum in templis uerba faciunt, ſunt in hoc piſcibus magis muti: & in ipſis baptizatis iam ratione utentibus eſt ſumma ruditas, ſummaq́ tũ renouationis illius in baptiſmo donatæ, tum reliquarum gratiarum ignorantia. Ipſe Deus, hominis ſtudia & cogitationes prauas eſſe teſtatur, ab ineunte adoleſcentia. Gen. 8.

At qualis est adolescentia, tales sunt cõsequẽtes ætates, atq; adeò se
Pro.22. nectus ipsa. Adolescẽs em̃, inquit Salomõ, quã uiã ingressus fuerit,
„ ab ea cũ senuerit, nõ recedet. Dũ igit̃ ætas mollis est, & apta regi, animus adolescẽtis in mores & habitus optimos formãdus est, cùm discenda sapiẽtia cœlesti, tũ exercitatiõe sanctissimarũ legũ diuinarũ. Quòd si mos ille edendæ cõfessionis publicè in ecclesiã induceret̃, primùm parentes excitaret cùm ad puerorũ rectã institutionẽ, quã alioqui sine probro publico omittere eis non liceret: tum ad rectius discenda & percipiẽda religiõis mysteria, quæ scilicet alijs tradituri essent. Nã & hæc est humani ingenij pernicies magna, q; plerig; oẽs, nisi fortè docẽdi alios necessitate sunt astricti, curã abijciũt religiõis cognoscẽdę. Deinde pueri ipsi unà cũ ætate, sapientia cœlesti & gratia tũ apud Deũ proficerẽt, tũ apud homines: nec se deinceps à doctrina, quã cũ usu ratiõis simul arripuisset̃, nouis doctrinis abduci paterent̃: idoneiq; redderent̃ cùm ad corporis & sanguinis Domini, tũ reliquorũ ecclesię sacramẽtorũ participatiõẽ. Nec uerò puer huiusmodi cõfessiõe facta, in reliquũ tẽpus cessare debet. Imò minimũ quater in anno cœtus puerorũ à pastorib. cõuocãdi essent, summaq; religionis Christianæ eis exponenda. rogarent̃, & respon derẽt, publicè de capitibus omnib. Hoc modo cognoscere t̃, quantũ quisq; pfecisset in Christi religiõe: negligẽtes uerò castigarent̃. Reli
3 qua de puerorũ institutiõe primo libro dicta sunt. Hęc qdẽ de pue
Catechismus toti ecclesiæ tradendus. ris diximus. Verùm nõ minor totius ecclesię cura habenda esset. Aiũt in primæua ecclesia anniuersarios anni quadrãtes eò fuisse institutos, ut tũc homines ieiunio & precationi uacãtes, frequẽtiores in tẽplis adessent, doctrinãq; religiõis exactius studerent cognoscere. Tũc em̃ capita oĩa ordine & enucleatè eis exponebant̃: idq; tũ rogãdo, tũ respõsa ab eis exigẽdo: id qd uoce Græca catechesin uocabãt. Aptum in primis docendi discendiq; genus. Maiore em̃ cum attentione animi discunt̃ oĩa, tenaciusq; mentib inhęrent, quę respondẽdo ac sermones cõmunicãdo, q; quę audiẽdo tãtũ discunt̃. Hic mos, ut pleraq; alia optima, nostris in ecclesijs iãpridẽ obsoleuit. Quo fit, ut incredibilis insciti a religiõis uulgò appareat: maximaq; pars hominũ uitã trãsigãt nõ secus quàm bruta, uerę pietatis in Deũ ignari. Hęc igit̃ cõcionaliũ cura esse deberet, ut morẽ ueterem renouarẽt, i-
4 psiq; primùm ad eũ morẽ tradendę religiõis sese exercerent. Ordi-
Ordinariæ cõciões in tẽplis. narię quoq; cõciões, quę tẽporib. accõmodari debent, summa fide, sũmaq; animi intentiõe habendę sunt: Viuendi prę cepta tradenda: Gratia & misericordia Dei prędicãda: Gloria beatorũ, & pœnę dãnatorũ proponendæ. In primis autẽ uis pœnitentiæ ueræ subinde explicãda est: ut homines peccati agnitione terreant̃: ueros pauores ob peccatũ cõcipere discãt: cõsolationẽ etiã misericordia Dei, ppositã, pcipiãt. Hac ratiõe à peccato abducẽt̃: ad faciendũ officiũ excitabuntur:

bunt: & à morib. puersis ad rectam uiuendi rationē uocabuntur.

CAPUT XXVIII.

De uita Christiana, & de censura ecclesiæ, seu excommunicatione.

VTinā, qui Christi nomine baptizati sumus, sentiamus uerè nos ad mortē eius baptizatos esse: Christoq; in hac uita commori discamus, qui cum illo uitā immortalem uiuere uolumus. Id si uerè & cum sensu à nobis agnosceretur, non permitteremus in nobis regnare, uiolentissimis cupiditatibus superbiæ, ambitionis, æmulationis, iracundiæ, inuidiæ, litium, inimicitiarum, salacitatis, stuprorum, auaritiæ, & reliquarum pestiū Christianismi. Quę ita passim atq; licenter dominant, ut nullus in nobis sensus baptismi, nulla religionis ratio esse uideatur. Sunt populi in Bohemia cognomēto fratres: quos alij Picardos, alij Valdenses uocant. horum instituta ferunt multa & uaria, alia probanda, alia minimè. quæ nos non recensebimus: sed tamē quid impedit, quo minus quod rectum sit, id recenseamus? Ferunt igitur, apud eos omnibus interdictū esse comessationibus ac ebrietatibus, choreis, ludis chartarū & talorū, impudicis tactib. cōplexib. & osculis illicitis mulierū, amorib. turpibus, & id genus facinoribus alijs, unde infinita ꝓueniant mala. Violatores huiusmodi interdicti, post unā & alterā admonitionē ex cœtu eijci, cōmunione omniū rerū priuari: nec prius cœtui restitui, nisi pœnitētię signa publicè dederint. Cū igit natura sit cōparatū, ut homines in ꝓpetuò ocio nō hebescere & lāguere non possint: nec fratrib. ob huiusmodi interdictionē fas sit, animū ad ludū & res ludicras adijcere: ex hac re fieri, ut diebus negotiosis in laborib. operū sese exerceāt: sacris aūt, in ædes alicuius cōfluāt, et alij legāt (habēt em̄ libros sacros sua lingua cōscriptos, multiq; illorū norūt literas) alij audiāt. Ac ꝓpterea inter eos esse & artifices rerū multarū optimos: & permultos in literis sacris eruditiores, q̄ sint apud nos multi sacerdotū. Necq; illud est reticēdū, esse in eorū ecclesijs institutū, ut ministri peculiares creent, q̄ infirmos inuisāt: eisq; operā tribuant uel docēdo, uel cōsolando, uel alia officia prestā do. Hęc ex Picardorū hæresi. Quid simile apud nos? Multi homines palàm impurè & flagitiosè uiuētes, accedūt statis tēporib. ad presbyteros, tū cōfessionis, tū sacrę cœnę causa. Cūq; id annis recurrētib. faciāt, nec ulla in eis uitæ emēdatio appareat: tn̄ nullo negotio & absolutionē à peccatis obtinēt, & in cōmunionē cœnę Domini admittuntur. Verùm ministrorū ecclesiæ esset, tales admonere ad uerā pœnitētiā: nec eis sacramēti participādi potestatem facere, nisi ad mentem meliorē redijssent: non obtemperantiū autē nomina ad ecclesiæ iudices deferre. Quod tamen ferè intermittitur: & nō tantum in ebriosos, scortatores, lusores non animaduertitur, sed & adulteris & homicidis parcitur. Non iam dico de magistratus ciuilis negligentia:

tia:non de contemptu legis diuinæ, quæ tam in homicidas quàm in adulteros uoce Dei posita est:sed de ecclesiastica censura, quæ prorsus neglecta iacet. Adulteri per ora hominũ incedunt,in locis tũ sacris tum profanis inter honoratos habentur.Homicidæ uel candida uestę,uel serica,plericꝫ torquati, in luce hominũ uersant. O' mores, ô disciplinã. Mitto quærere,uerè an falsè ea crimina in eos cõferant. Illud dico, qui horũ uel similiũ criminum suspicione ac infamia sunt aspersi, eo quo prius loco habendos nõ esse, nisi prius se expurgent. Illud em̃ q̃d de uxore sua Iulius Cęsar dixisse fert, omni homini,sed in primis ei qui gerat personã ciuitatis,est quàm maximè necessariũ: ut non tantùm crimine,sed criminis suspicione sit uacuus. Igit̃ cessante magistratu ciuili interest ecclesiastici ordinis, notatis publicè aliquo scelere diem dicere:purgationem imperare: locorũ & personarũ,ob quas & suspicio & sermo eos insequit̃,consuetudinẽ interdicere. Ni imperata faciãt,è tẽplis & hominũ cœtib.eijcere. Verùm tñ pagendis rebus istis,ordo à Christo institutus seruãdus est:ut pastor ecclesiæ,aut quis alius, fratrẽ crimini obnoxiũ primũ sine arbitris, deinde cũ arbitris admoneat: nõ parẽtẽ admonitioni ad iudicẽ ecclesiã ue deferat. Quòd si criminũ capitaliũ suspecti ab ecclesia sunt exterminãdi:quãto magis ij, quorũ scelera nõ cõiectura, sed oculis ac manib.tenent̃, ut in causa dubitatio nulla possit esse? Quãobrẽ & Stanislaus Scepanæus,Cracouiẽsis episcopus, regẽ Poloniæ Boleslaũ ob tyrannidem:& Ambrosius, episcopus Mediolani,Stiliconis scribã ob falsũ crimẽ,Theodosiũꝫ Cęsarẽ Rom.ob cędes eius imperio patratas, sacris ritib.arcebãt. Quòd si hęc et alia multorũ episcoporũ exẽpla nos

1.Cor.6. deficerẽt, tñ uerbũ Dei est manifestum:Neꝫ scortatores regnũ Dei
„ possessuros,nec idololatras,nec adulteros,nec molles, nec cinædos,
„ nec fures,nec auaros,nec ebriosos,nec cõuiciatores,nec rapaces. Nomine aũt rapaciũ nõ tãtũ q̃ per uim aliena eripiũt,sunt intelligẽdi:sed oẽs q̃ intẽti sint aucupijs pecunię,cũ sũma tenuiũ iniuria, quæstibus' que ac lucris pudẽdis & inhonestis:ut plericꝫ decumani, ꝓpolæ, Simoniaci, & oĩs qui fratrẽ suũ in aliquo circũuenit. Cur igit̃ ex hoc regno Dei,qꝫ est Ecclesia, nõ sint exterminãdi, illorũ criminũ rei? An

1.Tim.5. regnũ huius ecclesię nõ debet regno cœlesti subseruire? Cùm em̃ q̃rundã hominũ peccata perspicua sint,& iudicium anteueniãt, pœna quoqꝫ illorũ toti ecclesiæ perspicua esse debet,tũ deterrẽdi alios causa, tum ne propter impunitatem scelerũ innocentes quoqꝫ dent pœnas nocentium causa. Hodie solis raptoribus decumarum ecclesiasticarum sacris interdicitur. Verùm Pauli uerbũ uniuersè de raptoribus rerum alienarum intelligendum est. Tam igitur raptores,cꝫ aliorum quæ Paulus enumerat,ac similiũ criminũ rei,personarum ratione habita nulla,sed tum plebeij,tum nobiles,tum patricij, ecclesiastici iuxta ac seculares,ex præscripto uerbi Dei puniendi sunt, proꝫ

ethnicis

ethnicis ac publicanis habendi: nec ullæ cũ illis cõsuetudines, res, rationesq; iũgendę, quẽadmodũ Paulus p̃cipit his uerbis: Si quis, qui 1. Cor. 5.
frater nominet̃, fuerit scortator, aut auarus, aut simulacrorũ cultor, «
aut cõuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cũ eiusmodi homine ne cibũ «
quidẽ capiatis. Ioannes q̃q; de hostib. Christiani nominis loquẽs, Ioan. canon. 2.
iubet, ut ne uel in domos nostras recipiant̃, uel aue dicto à nobis salutent̃. Periculũ em̃ est, ne hospitio excepti, nos ac domesticos nostros cõuictu suo inficiãt: aut in uia blãdius salutati, insinuẽt se in nostrũ sermonẽ, suoq; prauo colloq̃o mores nostros corrũpant. Ergo & cõsortia eorũ omnino fugiẽda sunt: nec prius in ecclesiã ac ad sacra admittẽdi, q̃ pœnitẽtiæ signis editis publ. testent̃, se uitã in melius cõmutare uelle. Non sine causa aũt à multis postulat̃, ut ne potestas excõmunicãdi permittat̃ alicui uni, sed sit tota ecclesiæ. Nã & Christus uult dici ecclesiæ: & Paulus iubet, ut Corinthijs cõgregatis, cũ eius spiritu, & potentia Christi, dedat̃ Sathanę, is qui parẽtis uxorẽ incestasset. Intelligẽda est aũt ecclesia eius loci, ubi res agit̃. ubi em̃ aliqui in Christi nomine cõgregant̃, ibi Christũ cũ potẽtia sua adesse credendũ est. Quòd si ne unius quidẽ loci ecclesia commodè cogi posse uideat̃, tamẽ id curandũ, ut plures aliqui, qui ecclesiã repręsentent, officio excõmunicãdi fungant̃. Facilius unus p̃ errorẽ labi potest, q̃ plures. Errat̃ aũt nõ ignorãtia tantùm, sed odio, & alijs prauis affectionibus. Prędsint itaq; huic iudicio plures uiri honesti, graues & experiẽtes: & quidẽ nõ tantùm sacri, sed etiã profani ordinis. Cùm em̃ cũcta ecclesia cõstet ex laicis & sacerdotib. iudices huiusmodi, qui grauissimã ecclesiæ personã induere debent, ex utroq; ordine sumendi sunt. Dãda est aũt opera, ut iudicia ecclesiæ ex toto sint q̃optimè cõstituta. Hodie haud scio an quid in iudiciũ ecclesiasticũ ueniat, prędter causas diuortiorũ, sacerdotiorũ aucupia, numorũ & decumarũ retẽtiones. De cõcubinatu uel adulterio si quis adducat̃ in iudicium, leui pœna p̃soluta absoluit̃. Pœnas igit̃ graues & delictis decentes decerni, easq; de sontib. serio exigi par est. Quòd si in collegijs sacerdotũ essent uiri periti & docti, ex eis tales iudices sumerent̃: adiũctis illis ex ordine profano aliquib. uiris. Quorum officium esset, non tantùm facere iudicia criminũ: sed & mores tum sacerdotũ tum populi regere, exercitia honesta omnib. proponere, licentiã cohibere. Vt aũt hunc locũ cõcludamus, nulla mihi grauior & cõstãtior disciplina uitæ Christianę esse uidet̃, q̃ si lex euãgelica ex ęquo seruet̃, inter omnes qui corporis Christi mẽbra esse cupiunt: nimirũ ut quisq; fratrẽ de eo q̃d in illo desideret, priuatim admoneat: nõ parentem monitioni, duob. aut tribus fratrib. adhibitis idẽ faciat: reluctãtẽ adhuc, ad ecclesiã, ut iam diximus, deferat. Cùm aũt ecclesiæ gubernatio cõstet tum uerbi Dei ac sacramentorũ, tum gladij ministerio, ut eorũ qui prędsunt, quisq; q̃d sit sui muneris face-

re non negligat. Atq; ad hunc modū inter membra huius corporis Christi, q̄d est ecclesia, correctiões ultro citroq; cōmeare deberent. Quib. intermissis, uidemus, cùm cōpagem corporis huius multū dissolui, tū membra ipsa malis morib. tanq; morbis quotidie magis infici: dum quisq; securus ab accusatorib. & delatorib. liberius peccat, ecclesiæ censurā & iudiciū cōtemnit: nō cōtempturus haud dubiè, si seriò huiusmodi iudiciū exerceret, ac quisq; sceleratè uiuentiū ex cœtu piorū pro merito eiiceret, nec in eum cœtū restitueret nisi scelerib. expiatis. Grauis est illa pœna, qua Stiliconis scriba, diuo Ambrosio crimē eius execrāte, diuinitùs affectus erat. stupor em̄ & uertigo capitis subitò inuaserat hominē. Sed iusta causa erat, quā pœna huiusmodi subsecuta est. Quāobrē, ut iudiciū & animaduersio huiusmodi Deo probet, grauē & iustā causā subesse necesse est.

CAPUT XXIX, ET ULTIMUM, DE MINISTRIS ECCLESIÆ: ESTQ; LIBRI CONCLUSIO.

VM aūt salus ecclesiæ, ac totius religionis recta administratio potissimū à bonis ministris pendeat, curandū ante omnia, quod iam sæpe dictū est, ut pastores, doctores, episcopi, & reliq; ministri, idonei ecclesijs præficiant. Hodie arbitriū totius rei est penes patronos: qui plericq; omnes nō id curant ut cōsulant ecclesiæ Dei, sed ut uitæ & commoditatib. prospiciant eius quem cōmendent. Itaq; cōmēdant quemlibet, doctrinæ & uirtutis habita ratione nulla: sæpe indoctis. & impuros homines, propter consanguinitatē, aut priuatam beneuolentiā: alij propter lucrū, aut causas alias nō probādas. Neq; tātùm patroni laici id faciūt, sed ecclesiastici quoq;, atq; adeò ipsi episcopi: quorū nonnulli in eam impudentiā progressi sunt, ut partim idiotas, partim pueros sacerdotijs amplissimis ornauerint, alios ecclesijs parochialib. præfecerint. Quòd si episcopi in hoc pudētiores essent, ius haberent resistendi laicis in ijs repudiādis, quos ab illis cōmendatos, Dei ecclesię inutiles cognoscerent. Verùm erudere ex oculis fratrū, ut Christus loquit, festucam nō possunt: qui in suo trabem nō cernant. Commendationes tamen patronorū ualere debent, si idoneos cōmendent: sin minus, repudiandę sunt: seriò que admonendi, ut iure, quod habent, utantur ad instruendā, non destruendā ecclesiā Dei: ne illis inuitis præficiant episcopi pro suo officio, quos aptos putauerint ecclesiasticæ administrationi. Verùm in hoc summo abusu patronorum ordinis utriusque, optandum esset, ut electiones ecclesijs permitterentur, si non ad eam rationem quæ Cypriani & Augustini temporibus uigebat (uix enim in hac opulentia sacerdotiorum sine turbis & seditione perfici posset) saltem ad eam quam suprà monstrauimus. Atque huiusmodi electio-

electiones ad morem ueteris ecclesiæ publicè in ecclesia fieri conueniret: ubi cuiq; liberũ esset, cõtra electũ ea proponere, quæ in illo desiderarentur. Electo etiã potestas daret, uel purgãdi se: uel si minus posset, officium recusandi. Præclarus mos, & si unquã aliàs, hoc tempore apprimè necessarius, ut cùm patroni impunè faciãt, quẽlibet commendando: ne saltem ambitiosi impunè ferant, ea quibus indigni sint improbè petendo. Tametsi ne patronis quidem in rep. ac ecclesia bene cõstituta, impunè esse debere, & iam diximus, & supra de electionibus copiosè disseruimus: ostendimusq;, nihil beneficijs conferendis spectandũ esse, præter doctrinam & mores probatos. Christus ipse dicit, scribas & pharisæos in cathedra Mosis sedere debere. Qui igitur nec Mosen nec scripturas norunt, quo iure ad cathedram Mosis uocandi sunt? Idem Christus, uitandos esse præcipit falsos prophetas, uenientes ad nos in uestimentis ouiũ, cum intus sint lupi rapaces: eosq; è suis fructibus cognosci iubet. Quantũuis igitur hypocritæ ac simulatores fallant nostros ac ecclesiæ oculos, an uerò eos quos ex fructibus cognoscimus, non uitabimus? An tibi fructus digni uidentur futuri pastoris, ambire sacerdotia? ingerere se uel precibus, uel profanis operis, uel authoritate rebus alienis constituta, in ecclesiam Christi? nundinationum & litium quærendis sacerdotijs finem facere nullũ? Vidimus plerosq; ludis, uenationi, comessationibus totos uacare: totos ambitioni & mundi fastui seruire: cogitationem de rebus ecclesiæ nullã suscipere. De solis seruientibus altari dicitur, eos ex altari uiuere debere. Hodie à presbyteris in primis spectantur reditus ecclesiarũ: officij ratio nulla, uel perexigua habetur. Illud uerò quod toties diximus, quid? Sanguinis, amicitiarũ, fauoris, clientelarum Simoniæ, irrepserunt & intrusæ sunt in sanctuariũ summi Dei: in monachos mundi contemptores, triumphi cum ambitione inuecti sunt: nihilq; prorsus in Ecclesia tuti est à superbia, & fastu insolenti. Sacerdotes relicta doctrina, satrapissant: cuculli monachales nobilissant, humilitas superbissat: uulgus contemptui habetur: pauperes scandalisantur. Et querimur de insciția presbyterorum, de peruersitate monachorum, de uulgi contumacia, de aliorum ordinum negligentia in muneribus suis fungendis? Atqui nos ipsi sumus, qui causas damus tot malorum. Nos in locis doctorum & apostolorũ collocamus nobilitatem: nihil pensi habentes, digna sit, an indigna locis illis, modò stemmata numeret omnia. Nos in monasteria, hoc est in collegia humilitatis & modestiæ, superbiam, æmulationem, inuidiam, quasi curru triumphali inuehimus: monachos non religionis, sed abbatiæ ergò, hoc est uentris & ambitionis causa, de cœnobio in cœnobium transferimus: audemusq; præferre nobilem genere, uel nondum presbyterum, sed fortè presbyterandum, doctri-

Matth. 23.

Matth. 7.

natq; ac uirtute prorsus ignobilem, monacho plebeio quãuis sacerdoti uirtute & doctrina prædito. Et interea uolumus religioni pro bè constituendæ operam dare, qui de ministris ueris q; doctoribus nullam curam habeamus: qui dignitates & commoditates ecclesiarum ad solas imagines transferamus: qui res sacras prophanemus, idola q; ista erigamus in ecclesia Dei. O grauem conuentũ. Nullæ causæ sunt istæ: Nostri fratres sunt: Sint prius Bernardorum & Benedictorum, quorum loca appetunt: Ex nostris fundis monasteria sunt dotata. Isti autem fundi, ô bone, unde? Nescis, cum natura rerum hæc simul ferè nata esse, ut bona & fundi alij sacras res tractantibus, alij profanas, sint attributi? Age uerò, cesset hæc in orbe opinio, sanguine nobilitatẽ propagari. Erat enim tempus, cùm nihil de ea existimarent homines. At quod factum est aliquando, natura fert ut accidere queat. In sola igitur deinceps uirtute nobilitas ponatur, in sanguine nulla. An propterea homines defuturos putares, qui eandem curam sacerdotum haberent, quam olim habebant, priusquam hæc opinio nobilitatis peruasisset per animos hominum? Est certè hominibus de cultu & religione Dei immortalis insita opinio: quam non à magistro, non ab humanis doctrinis, sed à natura, à mundi huius fabrica & gubernatione hauserunt & imbiberunt. Hac opinione durante (durabit autem, quandiu hæc natura rerum manebit) non est quod metuas, ministros religionis rebus necessarijs destitutum iri. Vt olim, ante exortas opiniones nobilitatis sanguinis: ita in posterum temporibus perpetuis erũt, qui sacerdotibus non minus quàm reliquo populo fundos certos assignabunt. Vide lege & perlege historias temporum omnium, sacras & profanas: collige ex rebus præteritis futuras: cognosces rem ita se habere, ut dicimus. Multi hominum nobilium multa ecclesijs donarunt. Fateor: sed multi etiam ecclesiastici ordinis, suis popularibus multa ex thesauris ecclesiæ coemerunt. rectè, an secus, aliàs uidero. Illud constat, non tantum ex nobilitatis, sed plebeiorum etiam agris, laboribus, sudoribus, magnam partem bonis presbyterorum accessisse, & quotidie accedere. Multo helleboro opus habet, qui totum hunc mũdum, eorum qui prẽsunt tantùm causa conditum putet. Error uerò ille, omnia eorum qui dominationem & potestatem, quamuis legitimam, gerũt, esse, quæ ab hominibus subiectis coluntur & possidentur, primo libro à nobis confutatus est. Fieri non potest, quin cui religio sit cordi, suspiret in tanta rerum profanatione: ac etiam congemiscat, liberationem expectans ab hac seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. AMEN.

Quæ Reipub. & Ecclesiæ, ad electionem episcoporum & aliorũ magistratuũ pertinentia, honesta & utilia: quæ item religioni in unita-

nitatem restituendę, ac eidem cõseruandæ necessaria mihi uisa sunt: ea pro ingenij mei facultate, multorum consilijs quasi in suffragium adhibitis, ostendi. Alia, quę huc pertinere possint, concilio (quod paucis his annis bis celebratum, & toties intermissum, tertio coactũ iri, utinam maiore constantia, nonnulli sperant) coacto, si uita suppetet, sicq; uidebitur, more arbitrioq; meo, cum Dei uoluntate pertractabo. Quod superest, Deũ opt. max. precor, inspiret Regi, Senatui & cũcti populo, mentẽ ea curandi & faciẽdi, quæ salutaria sint.

FINIS LIBRI DE ECCLESIA.

ANDREAE FRICII MODREVII
LIBER VNVS, QVI EST de Schola.

PRAEFATIO.

DVAE partes Reipub. quas principiò posueramus, si non pro dignitate, pro nostra tamẽ facultate, à nobis expositę sunt. Nam primùm de ciuili societate, & moribus legibusq; domi continenda, & foris ab hoste armis tuenda, disserui. Pòst de ordinis ecclesiastici quibusdam legibus, ac ecclesijs in unitatem reducendis disputaui. Restat ultima pars instituti nostri, de Schola, in qua artes sapientiæ doceantur, & exerceantur, non quòd uias & rationes docendi ac instituendi persequi uelimus, quas à uiris doctiss. nostræ & superioris memoriæ uberrimè tractatas uidemus: sed ut Reipub. interesse ostẽdamus, ordinem scholasticum tueri, & modis omnibus conseruare. Primùm igit dicemus, quæ à uiris eruditissimis accepimus de scholæ utilitate ac necessitate. Deinde de præmijs, quibus iuuentus ad studia literarum sit inuitanda, homines q; literati in eisdem retinendi. Pòst attingemus quædam de ratione iuuentutis instituendæ.

CAPUT I.
Scholæ encomia, & uariæ utilitates.

EST autem hic peruetustus & à prima rerum origine receptus mos, ut ludi literarij sint curatiõis Reipub. in quorum recta institutione sita sint uitæ hominum & religionis maxima ornamenta: in neglectiõe uerò, turpitudo & deformitas. Ac mihi quidem antiquitatis monimenta reuoluenti, nulla natio uisa est neq; humanitate polita, neq; eius expers, quæ non singularem habuerit curam iuuentutis rectè instituendæ. Itaq; & loca cõ

ſtituerunt ſingularia, quæ ſtudiorum cauſa iuuentus celebraret: & magiſtros præfecerunt, qui optimas artes traderent, atq; ætatẽ maximè lubricam ſalubribus præceptis ad humanitatem & ad omnes uitæ partes informarent. Præclarus mos, & prouincia ſummis laboribus plena. Itaq; qui in hoc uitæ genere uerſarentur, eos legibus & inſtitutis ab omni munere Reipub. liberos & ſolutos eſſe uoluerunt. Vnde & nomen ſcholarum factum uidetur, quaſi uacationum: dat enim ſchola ſuis cultoribus uacationem & ſumptuum, & militiæ, & munerum omnium. Et de ſcholis quidem ueterũ permulta multorũ ſcriptis mandata ſunt. Multæ ueteris Græciæ ſcholæ numerantur, cùm diſcipulis & magiſtris, tum artium ferè omnium inuentione inſignes. Floruerunt ante has, apud Ægyptios mathematicis diſciplinis in primis claræ. Omnium uerò antiquiſſimæ apud Hebræos memorãtur, quæ ad tabernaculum Moſis primùm, deinde ad templum Salomonis uigebant. Quibus ſucceſsit ſchola IESV CHRISTI: qui & ipſe magiſter appellatus eſt, & diſcipulos habuit ſelectos, quos extra frequentiam hominum familiariter erudiebat. Neque dubitandum eſt, quin ſinguli Apoſtoli ſuos habuerint diſcipulos. quemadmodũ de Paulo memoriæ proditum eſt, ab illo Titum & Timotheum & Lucam Antiochenum peculiariter extra cœtus hominum inſtitutos eſſe: ut & ipſi exemplo magiſtri alios inſtituerent, doctrinam cœleſtem conſeruarent, eccleſijs traderent, literarum monumentis mandarent, & ad poſteritatem omnium ſeculorũ propagarent. Et illis quidẽ ſcholis, ſcholas Chriſtianorum ſucceſsiſſe exiſtimandum eſt: eaſdemq; illas res commiſſas eis eſſe, nempe ut ibi adoleſcentes inſtituantur ad munera & religionis & cœtus hominum obeunda. Quomodo enim eccleſia Dei immortalis doceretur, quomodo ſocietates hominum gubernarentur, niſi homines eſſent in ſcholis, qui uias & rationes traderent optimarum artium & diſciplinarum, legum & religionũ? Quamuis enim aliqui præſtantes uiri, ſola ui naturæ, ſine literis, magna cum laude in reb. agendis uerſati ſunt: tamen & illud fateamur neceſſe eſt, nullam naturã tam præclarã eſſe, quæ lumine literarũ & doctrinæ cõformatione accedente, nõ magis præclara magisq; eximia futura eſſet. Et certè de rebus obſcuris & incertis ad neminem magis, quàm ad homines, de ſcholis referri ſolet: quos nimirum & literis interioribus imbutos eſſe, & acriori magisq; ſyncero iudicio perpendere omnia certum ſit. Apud ueteres quidem uidemus & leges à philoſophis cõſcriptas eſſe, & multa oſtenſa, quæ homines in omni uita, atq; in omnibus actionibus de multis rebus admonerent. Quare ſuo iure Socrates, ille omnibus philoſophiæ laudib. cumulatus, ait, & philoſophos & reges à Ioue eſſe: nõ quin alij quoque homines à Ioue, hoc eſt à ſummo Deo ſint, qui rerum omnium

cauſa

cauſa eſt,& fons:ſed Socrates duo hominũ genera coniunxit, quæ ut ſunt in terris ſumma,& uitæ hominum ſummè neceſſaria,ita nemo in eis rectè & feliciter abſq; ſingulari ope diuina uerſari poſſit. Quamobrem in Repub. hominibus philoſophis ſuum quoddam regnum eſſe debere,putandum eſt: eosq; in cuſtodia ueritatis,tanquam ſalutis publicæ, præcipuè poſitos eſſe. Et quemadmodum Regum eſt,inferre uim & manus ijs qui ſponte nolint uirtuti parêre: ita philoſophi uiuida ui animi utuntur, hominibus ad honeſtatem inducendis. Præeat igitur oportet philoſophicum imperium regio in Repub. & ubi illud hominum malitiâ negligitur,tum primùm exerat ſe regia poteſtas. Sed de regibus alius erat dicendi locus:nunc de philoſophis & hominib. ſcholaſticis loquimur, qui certè tanquam in ſpecula rerum omnium diuinarum & humanarum poſiti ſunt.Et quamuis reges & epiſcopi altiorem rerum humanarum gradum obtinere putantur,uitæq; ſplendore & opibus tanquã radijs alios gradus obſcurent & obruant: tamen uerè ſi uolumus iudicare,ſcholaſticus ordo contentione meritorũ in Remp. iure cùm ſummis ordinibus decertare poteſt. Primùm enim ſcholæ ſunt,quę fontes & cauſas aperuerunt uirtutum omnium:in quibus tandem tanquam fundamentis leges extructæ ſunt eæ, quibus Reſpublicę adminiſtrantur.Itaq; ipſimet philoſophi,Plato,Ariſtoteles,& plerique alij multa de Rebuſpub. & de legibus ſcripſere. Ante hos etiam Solon & Lycurgus legislatores, quid aliud quàm homines è ſcholis poliri fuere? Nam de Solone literis proditũ eſt, eum in Ægypto operam ſapientiæ dediſſe:& poſtea in ſeptem Græciæ ſapientibus eſſe numeratum.Neq; ego negauerim,legislatores illos uſu quoq; rerum maximè adiutos eſſe legibus ferendis:ſed tamen è fontibus philoſophiæ hauſtum eſſe ſuccum, & ipſas legum quaſi medullas,certiſsimum eſt. Quæ enim leges ab illis fontib. diſiunctæ ſunt,illæ certè legum nomine dignæ non ſunt:à ratione enim ipſa diſceſſerunt,quæ legum anima, ut alicubi à nobis diſputatum eſt,ueriſsimè dicitur. Fateamur igitur,procreatricem,& quaſi parentem legum optimarum eſſe ſcholam. De religione etiam illud quoq; conſtat,omnia prius in ſcholis examinari,quàm ad aures populi efferantur. Neq; enim tam exactè omnia dici poſſunt in concionibus,quæ ad aures multitudinis accommodantur,ut in diſputationibus ſcholaſticis,in frequentia hominum eruditorum, ubi omnia tãquam aurificis ſtatera examinãtur. Scholæ igitur ſunt, quæ concionatores dant eccleſijs idoneos, quæ docendi formulas præſcribunt,quæ de rebus omnib.dubijs cõſulunt. Quid illa cõmemorem,quæ certè non in poſtremis ſunt numeranda? Schola dat nobis oratores facundos:dat principibus conſiliarios diſertos: dat Reip.gubernatores prudentes. Non utar exemplis noſtrorũ tem-

temporū: quæ tamen ſunt ſanè quàm multa. Veteres inſpiciamus ſcholaſticos, qui ipſi quoq; in Repub. floruerūt. Fatetur M. Cicero ſe oratorem, quantuſcunq; eſſet, ex ſpacijs Academię extitiſſe: atque etiam, quicquid ad Remp. attuliſſet, id à doctoribus & magiſtris ſe attuliſſe. Idem etiã narrat de Demoſthene, quàm frequens fuerit Platonis auditor. At illi ijdem oratores, qui & quanti in Repub. fuere? Nota eſt coniuratio Catilinę, in urbe Roma: quam coniurationem homo ille Academicus, & idem conſul Romanus, inueſtigauit, patefecit, oppreſsit, remq; illam publicam à tyrãnide & internitione liberauit: palamq; oſtendit, ſæpe conſilia plus quàm arma in homines peſtilentes ualere. Extant & Demoſthenis ſaluberrima conſilia, quib. Reſpub. Athenienſiũ adminiſtrabatur. Sed hoc in illis Rebuſpub. minimè nouum erat, quæ non tantùm ſe ab hominibus è ſcholis adminiſtrari libenter ferebant: ſed eorum quoq; opera qui profeſſores erant in ſcholis, neq; Reipub. ullam partem attigerant, rebus agendis utebantur. quemadmodum de Carneade, Critolao & Diogene, philoſophis nobiliſſimis, accepimus: quos Athenienſes de ſuis maximis rebus Romã miſerant legatos, principibus Romanis multis nominibus gratiſsimos. Magnũ certè argumentum eſt, Romanos & Athenienſes multũ tribuiſſe ſcholaſticis magiſtris, quorum cõſuetudine delectarent, eorumq; opera magnis rebus tractandis uterent. Magna ſcholæ laus eſt, quòd & religionis doctrinam, & legum decreta, & omnes humanas actiones non quadam populari trutina examinet: ſed exactiſsimè, quãtum humano ingenio fas eſt, cauſas & fontes omnium inueſtigare, progreſſus omniũ animaduertere, fines proſpicere poſſit. Etenim ſine literis, multarum rerum complicatę rationes nequaquam euolui poſſunt. Tenent enim artifices uias ad res obſcuras perueniẽdi, multa animaduerſione prudentum collectas & traditas: quæ uiæ ab alijs quantumuis uſu excultis, uel non ſatis cognoſcuntur, uel penitus ignorantur. Itaq; quoties uel in religione, uel in iure exiſtunt aliquæ controuerſiæ, nemo magis conſulitur quàm ſcholæ: penes illas eſt publica cenſendi poteſtas: illæ de rebus omnibus pronunciant: ex illarum præſcripto & concionatores docere, & iudices debent iudicare. Iam & monarcharum, & eorum qui Reſp. gubernant, improbę cupiditati hunc ordinẽ apud ueteres ſæpe reſtitiſſe, res geſtæ temporum illorum oſtendunt. Cùm enim reges ſe fœlices eſſe putent, quòd & nemini ſeruiant, & copia rerum omniũ abundent: ferè fit, ut à familiaribus non libenter ſe patiantur admoneri. Quod tamen ſæpe accidit non tam regum culpa, quàm uelambitione, uel metu eorum qui familiarius cum illis uiuunt. qui cũ uel honores appetãt, uel principem offendere uereant, non libenter aliud loquuntur q̃ quod illi putant eſſe gratũ. Quamobrem permagni

gni refert Reip. aliquos esse ab omni ambitione alienos, atq; à potẽ tum familiaritate seiunctos, qui illorũ cupiditati uoce & scripto cõ tradicere, liberisq; hominib. (ut Diogenes Sinopeus dixisse fert) imperare audeant. quales erant apud ueteres homines philosophi, & quicunq; in scholis uersarent. Vigebat priscis temporib. declamandi exercitatio in scholis, eò potissimũ instituta, ut scholastici, quoties postularet necessitas, instructi essent ad actiones omnes uitæ humanę uel probandas, si à uirtute profectæ: uel improbandas, si cum uitio coniunctę essent. Et id quidem scholasticis cõcessu omnium mortaliũ licebat. Tantus honos literis habebat. Sed deflexit nescio quo modo de spacio curriculoq; ueterũ consuetudo horum temporũ: quib. & scholæ literariæ uulgò parui ducunt: & qui artes profitentur, putant hæc quæ dixi nihil ad se pertinere. Itaq; renouanda esset uetus scholarũ consuetudo: & mores pristini reuocandi: ut nos quoq; ex bonis literis eos perciperemus fructus, quos cultores illarũ percipere merentur. Neq; uerò homines literati ij tantùm, qui accessere ad Rẽp. sed qui etiã in scholis profitent, prosunt Rebusp. Multos enim erudiunt: & ad res gerendas utilissimis præceptis informant. Itaq; multi ueteres duces à philosophis & rhetoribus instituti memorant. Ex Isocratis schola, tanq; ex equo Troiano, prodierunt multi principes: q̃rũ alij in toga, alij in acie illustres fuere. E' schola q̃q; Aristotelis prẽter alios innumeros Alexander Macedonũ rex, qui & ipse honori sibi ducebat se alumnũ disciplinæ Aristot. fuisse: & pater eius Philippus nũciando per literas Aristoteli, sibi natũ esse filiũ, addidit se gaudere, nõ tam illũ sibi natum, q̃ quòd Aristotelis temporib. natus esset: à quo nimirũ eductus & eruditus, tãto, quod eũ maneret, imperio dignus existeret. Sed infinita sunt exẽpla clarissimorũ uirorũ, ab hominib. è schola eruditorũ: q Resp. & domi administrabãt, & foris defendebãt. Iã uerò, homines doctos nõ uiuos tãtùm, sed mortuos q̃q; monumẽtis literarũ post se relictis, prodesse & Rebusp. & religiõi uniuersæ, literatorum cohortes testant: imò, q̃d magis mirere, bellis quoq; gerendis, & uictorijs ab hoste reportãdis, non mediocriter. Quẽadmodũ de L. Lucullo Cicero scriptũ reliquit: eum rei militaris rudẽ, Roma ad bellũ Mithridaticũ profectũ esse: cumq; totũ iter partim percõtando à peritis, partim reb. gestis legendis cõsumpsisset, uenisse in Asiã factũ imperatorẽ tantũ, ut ille Mithridates rex post Alexandrũ maximus, hunc à se maiorẽ ducem cognitũ, q̃ quenq; eorũ quos legisset, fatereť. Sic ergo existimemus, pulcherrimũ esse, & reb. mortalium saluberrimũ, scholasticũ ordinẽ: qui nobis tot magistros optimarũ artiũ pepererit: & ex quo tot cõmoditates reliq; omnes ordines percipere cõsueuerint. Et hęc q̃dẽ de eius prestantia & dignitate eò dicta sunt à nobis, ut putemus hũc ordinẽ modis omnib. tuendum

dum & defendendū esse,cōtra iudiciorū prauitatē,& insolentiā hominū seculi nostri,nihil ambientiū p̄ter uitę splendorē,& amplitudinē opū ac potētię:quib.solis reb. hodie passim studet,literę & tota hęc discēdi ac docēdi officina hominib. cōtemptiorib. relinquit.

CAPUT II.

Qui debeant scholasticis hominibus consulere, & unde, & hic de beneficijs ecclesiasticis.

ATq; his expeditis,dicamus quib.præmijs ac honoribus tam magistri q̄ discipuli in literarū studijs sint retinendi.Interest enim episcoporū & gubernatorū rerum humanarū,ordinē scholasticū omnib. uirib.tueri,ac sartū tectū q̄,ut aiunt,reddere.Quod q̄dē factu erit facile,si & studiosis literarū,qui studia sua unde alant nō habēt, sumptus necessarios,& professorib.iusta præmia curauerint. Maximos quotidie sumptus fieri uidemus in supellectilem uariā,tecta magnifica,epulas exquisitas, & in res alias nō necessarias. Cur igit ratio aliqua iniri nō potest sumptuū legitimorū, qui uix alibi melius poni queant q̄ in scholis restaurandis & cōseruandis? Nam si quęrit utilitas,nulla est profecto maior,q̄ quæ ex scholis peruenit ad religiones & Resp. Si perficiendi facultas,ea certè in ijs est maxima,qui copijs & opib.ecclesiarū abūdant. Multū studijs adolescentiū cōsuli posset ex prouentib.monasteriorū:in quib.cùm sępe pauci uiuāt monachi,reditus aūt sint amplissimi,reip.interest, æstimatis prouentib. cōstitui, quot unūquodq; monasteriū studiosos alere debeat. Qui quidē studiosi uel mitterent ad academias, uel in ipsis monasterijs à magistris ad id cōductis instituerentur.Possent etiā per uices psalmos in templis cantare,uel alia munera obire. Tales aūt ecclesijs aut reip.operas suas cōdicere,ac deinceps præstare deberent.Idem constitueretur de ijs,qui maximos habent reditus ecclesiarū,ut & ipsi aliquid impertiantur studiosæ iuuentuti. Sed uix melius cōsulere quisq; posset rationib.studiosorū, atq; ij q̄ius apud nos sacerdotiorū habēt. Quæ quidē sacerdotia literatis à maiorib.nostris destinata potissimū esse, facilè unusquisq; cognoscet, qui nomina sacerdotiorū in collegijs secū expenderit. Vocant em̄ prępositi,scholastici,cantores,canonici.Hi omnes morib.nostris à cura animarū soluti sunt,& liberi. Quod igitur est officiū illorum? quæ muneris functio? Nec; em̄ uerisimile est,qui fundauerunt hęc sacerdotia,id animi habuisse, ut tot prouentus hominib. otiosis attribuerent:aut hæc nomina sacerdotib.nulla causa inderēt: aut hos honores ludos & inanes uoces esse uellent. Quid enim hoc est, uocare aliquem scholasticū, qui nihil scholastici muneris exequatur? an non perinde est,atq; si Æthiopem,albū:& eum qui cæcus est,uidentem dixeris? Nec; uerò sacra facere, nec; horis statis, quas

Cano-

Canonicas uocant, precari, canonicorũ aut scholasticorum munus proprium dici potest. Quod enim cõmune est sacerdotum omniũ, hoc aliquorum propriũ esse nequit. Quo igitur modo illi honores definiendi sunt? aut qua ratione à reb. cæteris secernendi? Ego uerò etsi nihil ex antiquitatis memoria de hac re habeo: tamen dicam meam coniecturã, haud equidem absurdã, cuius tamen iudiciũ penes alios esto. Ipsa enim nominũ ratio me admonet, ut canonicos eos esse existimem, qui canonicis Bibliis in primis studeant: atq; ex illis & cõtrouersias de religione explicent, & hæreses compescant. Cùm enim, ut Euripidis uetus dictũ fertur, unus uir nõ uideat omnia: satisq; sit curæ, solicitudinis & laboris, pastorib. animarũ, in hominib. docendis, & sacramentis diuinis administrandis: putauerũt maiores nostri, è rep. & ex dignitate religionis esse, ordinem instituere, cui potissima cura esset libris canonicis edisserẽdis, omnib. cõtrouersijs cognoscẽdis & dijudicãdis, ac religionib. uerbo Dei tanquã gladio tuendis & defendendis. Deinde cùm ecclesiæ haberent adiũctas scholas adolescentũ causa, uoluerunt canonicorũ ordini addere scholasteres: nõ qui leui illo munere, ludimagistros deligendi, defuncti, deinceps cessarẽt, & laborẽ fugerent (quis enim uel ignauissimus id nõ faceret?) sed qui studia adolescentũ statis tẽporib. ipsi inspicerent: ludimagistros uel profitendo, uel disputando, uel stylũ formando iuuarent. Adiũcti sunt Cantores, qui & ipsi iuuentutem in studio musices, & illi adiunctis artib. mathematicis exercerent: atque inter sacra & laudes Dei immortalis & summorũ hominũ præclara facta cantari curarent, atq; ita uocũ inflexiõe animos hominũ quasi inflarent ad imitandũ. Sic enim religionem nobis uolebãt cõmendatã maiores: nõ tantùm uerbis docentium ceremonijs & ritibus externis, sed etiã numeris & uocũ flexionib. in quib. aures, quasi seriijs reb. audiendis defessæ, cõquiescerent. Archidiaconorũ officium præclarũ est, & ad nostra usq; tempora usurpatũ. sunt enim illi censores morũ, inspectores doctrinæ ac rituũ omniũ. Itaq; etiam legib. cauet, ut ne quis hoc munere fungatur, nisi publicũ scholarũ testimoniũ habeat doctrinæ & probitatis. Sed uidendũ est, nec ali qui precio emptis titulis, nec ulla doctrina p̃diti, aucupent uel hoc uel aliud sacerdotiũ. Certè nemini hoc munus cõmittat, nisi qui grauitate, doctrina, experientia & authoritate præ cæteris ualeat. Decani (quod morib. nostris uideo obseruari) sunt pastorum uice, ac in quibusdã ecclesijs curã sustinent animarũ. Præpositos puto fuisse œconomos, & earum rerum curatores, quæ animos canonicorũ à studijs possent auocare. Custodes uocàbulo ipso significant, qui thesauros ecclesiæ, hoc est eas res quę in usum uel pauperũ, uel presbyterorũ, uel reliquę ecclesiæ destinatæ sunt, custodiant, seruent & dispẽsent. Dixi sententiã de honorib. collegiorũ ecclesiasticorũ, nõ

eq̃dē(ut uideor)absurdā,neq; à reb.&nominib.ipsis alienā.Nemo mihi certè p̃suadebit,maiores nostros, qui hæc collegia in ecclesijs instituerūt,quíq; hūc ordinē & p̃mijs & honorib.amplissimis decorarūt,id uoluisse,ut qui in eum cooptarent̃,otiosi & negotijs uacui essent:sed potius & actuosi,& præter cæteros presbyteros doctrina & uirtute insignes. Cùm ergo omnes qui canonico ordini ascribunt̃,& eius muneris q̃d pastorib.animarū propriū est(exceptis fortasse decanis)expertes sint, & à cæteris presbyteris precib. usitatis & sacrificijs nō separent̃,& otiosis illis esse tanq; fucis nō liceat,quî cedò à nobis aliter definient̃? quę officio illorū sunt,si hęc quæ dixi nō sunt? Qui igit̃ in sacerdotiorū hæc collegia, sanctissimis & rei Christianę saluberrimis usib.destinata,cooptādi sunt magis,q; uiri literati,qui & uelint & possint totū illud docendi,res ambiguas explicandi,& hæreses extirpādi,munus cum dignitate sustinere? Erāt superiore ætate,qui sacerdotia primi nominis,soli nobilitati,priuilegijs & authoritatib.inde usq; ab Roma petitis,cōsignarent.Nec defuerūt,qui apud nos,hoc est in media Polonia, cœnobia hominib.exterarū nationū adscriberent.Factū est & memoria nostra,ut Abbatię opulentę in ius & potestatē nobilitatis uenirēt. Interea qui literatorū curā singularē susciperet,erat nemo.Erāt,nisi fallor,Pōtifices nostri legib.adstricti, ut in omnia hæc cōtubernia sacerdotū,binos literarū doctores allegerēt.Et reperti sunt,qui synodo coacta eosdem illa lege solutos uoluerūt:& pro binis doctorib.unos scribi iusserūt. O rem odiosam:neminē in eo cœtu sedisse,qui hominū doctorū causam agere,decretoq; illi intercedere uellet. Quid faciebatis tūc literarū alūni,qui authoritatē habetis? quā referebatis gratiā præceptorib. de q̃rū dignitate detrahebat̃, cùm dualis,ille omniū numerorū minimus,in nihilū redigeret̃? Vos tacebatis:cùm tamē nec in uulgo desint,q literarū dignitatē tueant̃:nec in seruorū numero,qui iratis dominis liberè obloquātur. An fortè talia tum tempora erāt,ut omnia ad arbitriū unius fuerint cōferenda,cui impunè nemo cōtradicere posset? Bene est,iam præterierūt. Quare agite ō cultores literarū, qui authoritate polletis: uos ipsos respicite:dignitati literarū cum pōtificib.consulite:uitiū decreti illius corrigite:& ut pro unis doctorib.nō iam bini,sed integræ literatorū turmæ reponātur,in id uerò toto pectore incūbite. Quòd si qui sint,qui hęc uelint nō tangi,ne reb.mutādis tumultus excitent̃: hi uelim cum animis suis cōsiderēt,magis ne id metuendū, an uerò multorū p̃clara ingenia,desperatiōe quadā,ac potius rerū necessariarū inopia,perire dolendū? Ad hæc recogitēt,in tanto numero hominū ecclesię beneficijs ornatorū,neminē apud nos fuisse,qui cùm ad religionis Christianæ negotia totus ferè orbis proximè cō ueniret,uoluerit in concilio adesse. Quid aūt in causa putamus fuisse?

ſſe? Quid, niſi alios illi prouinciæ minimè aptos fuiſſe: alios honori bus ocioſis uti maluiſſe, & operoſis negotijs implicari? Quem aũt il lud non excruciet, quorundam excellentium uirorum ex collegijs, doctrinã qua prædíti ſunt, otioſæ huius libertatis obtentu, fructus debitos non ferre? Res igitur hæc, ſi quando aliàs, hac certè tem peſtate maximè neceſſaria uidetur, ut & literatorũ maior ratio ha beatur, & ſacerdotalia beneficia deinceps dentur propter legitima officia. Non metuo, ne quis exiſtimet me uel cupiditate rerum nouarum, uel odio aliquorum hominum hęc ſuadere. Etenim ſi de reb. obſcuris & dubijs dicerem, meritò criminũ illorũ alicui ſuſpectus eſſe uiderer: cùm uerò oratio mea in reb. peruulgatis & nemini ignotis uerſet, quid eſt quod me aliquis arguat? Abuſus Eccleſię manifeſtos ob oculos omniũ ſubijcio: rationẽ in uiam redeũdi oſtẽdo. Quæ ſi cui nõ probãt, mirũ eſt, quę ei probabitur. Ego quidem nullã, nec ſperando nec optando, excogitare meliorẽ potui. Noui quoſdã, qui ſtudia optimarũ artium pleno gradu ingreſsi, è curſu ipſo, ad negotia aliena, unde rem facerent, ſe auocari paſsi ſunt. Qui ſi præclarę eruditiõis rationẽ dignã in eccleſijs haberi uidiſsẽt: certè & cœptũ curſum tenuiſſent, & ad aliquẽ eruditiõis gradũ aſcendere potuiſſent. Quis eſt igit, qui nõ uideat rem ipſam poſtulare, ut eccleſijs reddãtur ornamenta ſua? Satis eſt uanis iſtis & ridiculis abſque ulla re nominib. indultũ: ſatis Reſp. & eccleſia ludibrio habita. Tempus eſt, ut res ſuis nominib. tandẽ reſtituant: temporis præteriti errata corrigãtur: honores eccleſiæ ijs qui uiciſſim ſint illis honori mandent. Sic em̃ res habet, ſic ueritas, quã mihi uel cõtradicentibus omnib. extorqueri nõ ſinam: literatorũ eſſe fundos & poſſeſſiões illas omnes. Quas ſi quis præter eos occupet, ſciat ſe rem alienã iniuſtè occupare. In lege quidẽ ueteri Ro. ſcriptũ extat, ut q̃ ſacrũ ſacroue cõmendatũ clepſerit, rapſeritq́, parricida ſit. Clepũt & rapiũt omnes, q̃ alia q̃ uirtutis & doctrinę uia ingreſsi, bona ſacra inuadũt: qui ad alios q̃ ad ſacros uſus cõuertũt. Nõ opus habẽt literati ad eas poſſeſsiões priuilegijs: nõ authoritatibus Ro. Officia ipſa quæ ſacerdotiorũ nominib. deſignant, quæq́ niſi à literatis dextrè obiri non poſſunt, ſunt inſtar priuilegiorũ omniũ. Quæ adeò ipſis ſacerdotijs infixa adhærent, ut ſimulatq́ ſacerdotiũ aliquod nominaſti, mox in animo hominis cogitantis intelligentiã & notionẽ eius impreſsiſti. Mira uerò incogitãtia eorũ, qui priuilegijs eiuſmodi uiolatis, nomina manere paſsi ſunt. profectò aut ipſi iniuſtitiæ dãnãdi, qui res à nominib. diſtraxerint: aut imperitię maiores noſtri, qui reb. nomina parũ apta impoſuerint. Sed erat tempus illud, cũ & nomina hæc rebus cõgruebant, & hæc beneficia literatis dabantur, propter legitima officia. Poſtea ſecuta ſunt tẽpora, cùm epiſcopi, & q̃ patroni beneficiorũ uocant, eos magis amplexi ſunt, qui ad

uoluptatem loquerentur: qui cõpranſores, cõpotores, colluſores, lenones, libidinũ miniſtri eſſent: qui artes tenerẽt augendarũ opũ, aut potentiæ amplificandæ: qui cõſanguinei: qui uel in amoribus, uel in quauis re alia ſocij & obſequentes eſſent. Ita factum eſt, ut de poſſeſsionib. uetuſtis, & quaſi auitis, homines literati deiecti ſint: in eorum aũt locum homines, quos dixi, religioni minus cõmodi, ſed rebus ſuis & patronorũ ſuorum percõmodi, ſubrogati. Et quemadmodum locuſtæ aduolãt pratis & frugib. iam maturis: eaq; quæ hominum uſui deſtinata erant ſceleratè depaſcunt: ſic iſti inuolarũt in prata & fruges eccleſiæ, atq; ea quæ ueteribus inſtitutis ſanctiſsimæ religioni docendæ & adminiſtrandę cõſecrata ſunt, libidinum ſuarum ſeruituti addixerũt. Sed hæc tamen ſeruitus perpetua nõ erit. Ioannes enim, ille diuinorũ myſteriorum interpres & enunciator, prædixit fore, ut locuſtæ non niſi quinq; menſes (quo nomine uel aliqua iuſta tempora, uel inſignes mutationes intellexit) noceãt humano generi. Deus igitˉ opt. max. rogãdus eſt, ut ille miſertus eccleſiæ ſuæ, ac rerum humanarũ, menſes hos quinq; abire iubeat: ſextumq; illum, quo regnum locuſtarũ intereat, bonis omnib. optatiſſimũ, cœlo demittat alto: Põtifices, & eos q̃ ſedent ad gubernacula, in eam mentẽ impellat, ut homines literatos in ſuas poſſeſsiões ueniré p̃mittant: nõ binos quidẽ, ut eſt lege cõſtitutũ: ſed eos omnes, qui doctrina ſua reb. humanis ac religioni prodeſſe poſsint. Ita ſcholæ reſtituentˉ: ingenia adoleſcentũ excitabunˉ: quiſq; ſtudioſorũ reb. omiſsis alienis, ad uerã eruditiõis laudẽ contendet: nominaq; uetera nouã rebus faciẽ adferent. Erunt qui iuuentuti inſtituendæ, qui hiſtoriæ conſcribendæ, qui legib. emendandis & ad artem redigendis, qui religioni docendæ & defendendæ, egregiam operam naure poſsint. Eritq; quod poëta olim credebat fore, cum ita cecinit,

Vltima Cumæi uenit iam carminis ætas:
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo:
Iam redit & uirgo, redeunt Saturnia regna:
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Vos modò, qui res humanas gubernatis, fauete honorib. literarũ: fauete ingenijs & induſtriæ: hoc eſt, gloriæ religionis, & cõmodis Reipublicæ. Veſtrũ eſt hoc munus propriũ, ut ita ſcholæ inſtituantur, ita iuuenes erudiantur, ut parentũ & amicorum uotis Reip. & religionis expectationi plenius uberiusq; reſpondeant. Vobis huius muneris ratio ad ſummũm iudicem reddenda eſt, pœnæ etiam, ſi rem negligitis, meritæ ſubeundę. Curandum eſt igitur, ut magiſtris iuſta præmia cõſtituanˉ: ita quidem, ut ne illi alijs artib. quæ animos illorum à literis abſtrahant, uitæ neceſſaria quærere cogantur. Deinde ut & ipſi magiſtri, & diſcentes, honorib. ad literarũ ſtudia prouocenˉ. Fit enim omnino, ut niſi qui uel cõmoda aliqua ſentiant,

tiant, uel ſpe honorum ac præmiorum alantur, rarò ad res præclaras excitentur. ipſi itaq; honores eccleſiarum, ut deinceps ſolis literatis mandentur, efficiendum eſt.

CAPUT III.

Ratio inſtituendi ſcholas.

IAm de ſcholis rectè inſtituẽdis multa pręclarè à uiris doctis tradita ſunt: quæ nõ eſt neceſſe ut nos hîc multis perſequamur. Prima quidẽ cura debet eſſe de docentib. & diſcentibus: ut & illi publica authoritate ad docendũ idonei, & iſti ad diſcendũ apti deligant̃: ne qui ad utrunq; inepti ſint, tanq; aſini ad lyrã adhibeant̃. Quod quidem his accidere uidemus, qui inuita minerua ad ſcholas mittunt̃: unde ſeges illa inertiſsimorũ hominum prouenit, qui tandẽ ſacris initiati, eccleſijs ſunt & oneri & dedecori. Habito delectu ingeniorũ, illud ſit curę, ut artib. triuialib. perceptis, quiſq; dedat ſe ei arti, quã potiſsimũ diſcat & exerceat. Nã in ſchola, & philoſophia & omnes artes tradẽdę ſunt: & linguę in primis, ſine quib. nec Chriſtiana doctrina, nec diſciplinę alię humano generi neceſſarię fœliciter diſci poſſunt. Stylus quoq;, diſputatiões & declamatiões exercẽdę, de quibus rebus uiri docti multa præceperũt. Nuper etiã SIMON MARICIVS Pilſnenſis noſtras, prudenter & elegãter duob. editis libris diſſeruit: omnẽq; ſcholarũ originem, ſtatũ, & rationẽ diligenter inueſtigauit & perſecutus eſt. Ad cæteras exercitationes ſcholaſticas, iudicia quoq; uident̃ eſſe adiungenda: de quib. nos in Philalethe nonnihil diximus. In primis aũt danda opera eſt, ut ſordida barbaries, ſcriptores leuium rerum & nullius ponderis, diſputationes inanes & ad nihil profuturæ, ex ſcholis explodantur. Sunt qui in nugis illis & argutijs inutilibus, multum temporis conſumpſerunt, atque ideo iuuentutem ad eundem modum inſtituendã eſſe contendunt:

Uel quia nil rectum, quod niſi placuit ſibi, ducunt:
Uel quia turpe putant parêre minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.

Verùm tales æquum eſt maiorem Reipublicę rationem habere, quàm ſuæ exiſtimationis. Videmus ſermonem proximè in ſcholis uſurpatum, impurum & inquinatũ fuiſſe: ornatu & acumine eo caruiſſe, ut ad negotia conferri poſſet. reſq; ibi magna ex parte eas traditas, quæ non nobis, ſed orbi alicui incognito ſeruirent. Quoniam autem multi uiri prudentes uias & rationes oſtenderunt iuuentutis rectè inſtituendę, operepreciũ fuerit conſilia eorum audire: quæ nos quidem nunc recitare omittamus.

Caput

CAPUT IIII.

Adhortatio ad homines scholasticos, & ad gubernatores rerum humanarum.

Obis uerò in præsentia illud propositũ fuit, ut ad tã tæ rei restitutionem eos, penes quos est potestas, cohortaremur: atq; etiã interea homines literatos moneremus, ut ordinẽ in quo uersant, studeant tueri cũ dignitate: nec speciosis titulis hominib. imponãt, honorũ adipiscendorum causa. Vetus est uerbum, honore ali artes. Quod quidẽ de morib. hominũ expressum uidet: qui in ea facultate studeant excellere, qua ad honorũ gradus peruenire queant. At bono uiro finis ille proponendus est studiorum, ut doctrina sua uti possit, reb. diuinis & humanis inseruiendo. Quod si qui student artib. bonis, ut honoribus cumulent: certè illis opera dãda est, ut honorib. digni sint, utq; magis uelint docti esse q̃ uideri. Nihil enim quod fucatũ est, diuturnũ esse potest. Et mirabiliter se prębent omnibus deridẽdos, qui tanquã asini Cumani (ut narrat fabula) aliena detracta, in sua ipsorũ pelle conspiciunt. Itaq; è Rep. fuerit, ne quibus honores literatis debiti mandent, nisi qui documentũ aliquod studiorũ suorũ dederint, sęq; ipsos & sua studia hominib. eruditis probauerint: quos certè eligi necesse est, ut sint tanq̃ critici, & publici literatorũ censores. Sic enim nec Cumani asini facilè nobis imponent: nec homines uerè studiosi debitis honorib. fraudabuntur. Quib. tamẽ ipsis honoribus, etiã si nullis cõtingat uti: tamen ad ueros uirtutis cultores pertinet, non debilitari, nec frangi temporũ iniquitate: magisq; uirtutis pulchritudine & laboribus, q̃ ullis prę mijs delectari: meminisse etiã ueterũ clarissimorũ uirorũ, qui & de religiõe, & de Rep. mereri nõ cessabãt: etiãsi nec se honore affici, & uulgũ crudeliter ingratũ ac beneficij immemorẽ agnoscebant. Tulerũt nimirũ ingrati populi inuidiã: hanc̃q; charitati, quã patrię debebãt, postponendã ducebãt. Itaq; amãtes literarũ, uel si nullis honorib. augeant, sciãt se Deo rem gratissimã facere: cùm uel de religione, uel de cœtib. hominũ merent. Nihil profectò optatius esse debet homini Christiano, q̃ talem habere spectatorẽ & approbatorẽ suarũ actionũ, qui sit tandẽ unicuiq; meritã gratiã relaturus: atq; ea quæ ingratitudo hominũ neglexit, abũdè pensaturus: id quod omnib. prę mijs & honoribus, quicũq; in uita mortaliũ cõtingere possint lõgè anteferẽdũ est. Interea cogitẽt episcopi et gubernatores, se Deo rationẽ sacerdotiorũ malè dispẽsatorũ reddituros esse. Resẽ sacris usib. destinatas, in usus profanos cõuerterũt, easq; suis cõmodis & cupiditatib. subiecerũt. Largitiões, dispẽsationes, gratiæ, uniones, sanguis & stẽmata, in honores sacerdotales irrepserũt: qui religioni nihil cõsulunt, ij prima loca occuparũt: docentib. nõ satis digna

digna præmia, discentib. nulla sunt proposita. Itaq; studia literarū frigent: ingenia, quæ ad frugem bonā (ut dicit) euadere possent, desperatione quadā ad artes quæstuosas se applicāt: homines sine literis, honorib. literarū gaudent: *Immunesq; sedent* (ut ille ait) *aliena ad pabula fuci.* Ita fit, ut dū nec literatis sui reddūtur honores, nec homines honorati student literati fieri, multa, & ferè prę cipua ab utrisq; desiderēt officia & Respublica & religio. Leges emendatiōe multa opus habent: quæ certè dignitati & splēdori suo restitui nō possunt, nisi ab hominib. qui habent illam scientiā, ut ex reb. nondū ad artem redactis, artem efficere possint. Nam de religione, si quis est qui putet eam sine plurimarū artiū cognitione defendi posse, is certè sciat se in maximo & pernicioso errore uersari: ex quo quàm facilis casus sit in multorum flagitiorum quasi scopulos, multi experientia ipsa rerum magistra didicerunt.

PERORATIO OPERIS.

Hęc habuimus de schola quę scribēremus, atq; adeó de tota Rep. hoc est, de hominū cōsociatione inter ipsos: quæ quidem, ut à summis philosophis proditū est, beneuolentia maximè conciliat, fouet, & continetur. Ea enim norma est, & ueluti lex, prauis affectionib. frænum inijciens. neq; enim quisquam irascit ei, cui ex animo bene uult: neq; res eius it ereptū: neq; quicquā indignū in illum cōmittit. Beneuolentia porrò ut firma sit & stabilis, radicib. cognitionis & consuetudinis rerū honestarū nitatur necesse est. Fluctuant enim humana omnia, quæ non sunt in fundamentis illis constituta. Sed quoniā tanta est imbecillitas naturæ humanæ, ut uerā illam beneuolentiam leuissima ępe de causa eripi, aut certè imminui in nobis patiamur, ideo leges sunt positę, quib. tumultuātes affectus sedarētur: beneuolētiaq; illa, societatis humanę uinculum sarciret: fontes punirent, boni præmijs afficerent. Cū populis etiā externis, cū quibus nec leges habeamus cōmunes, nec iudices, si aliter gratia recōciliari nō possit, bella sunt instituta: quæ iusta esse nō possunt, nisi rebus repetitis legitimè indicant. Expositis igit ijs quę tum ad mores cognitione & exercitatione honestorū constantes, tum ad leges ciuiles ecclesiasticasq;, tum etiam ad bella legitimè gerenda pertinerent, finem imponimus Operi. In quo si quib. seu longiores seu breuiores uidebimur, sciant tantam ingeniorū esse diuersitatem, ut nemo unus omnib. satisfaciat. Ipsius quidem rei, quam tractauimus, magnitudo, & ingenij nostri imbecillitas, & ualetudo aduersa, etiā curæ & negotia uaria, magnam uoluntati ac diligentię nostræ attulerunt difficultatem, ut non pro eo ac necesse esset, singula explicaremus. Omnia tamen ita tractauimus, ut maximam uirtutis rationem omni in re habendā ostenderemus. In hoc si quid à nobis peccatum est, admiratione uirtutis illius peccatū est. Quæ quidem uir

tus scio quàm nõ pro dignitate sit à nobis laudata: & certè ipsa talis per se est, ut si planè cerneret, ac uires exereret suas, mirabiliter animos hominũ commoueret ad se amandam. non opus esset legibus, non Senatusconsultis, nõ ullo labore iubendi ac uetãdi. Nullus esset locus inuidiæ, odio, auaritiæ, immoderatis libidinib. nullus ambitioni, nullus effrænatis cupiditatibus. Virtus ipsa, tanquã diuinus quidam spiritus affectionib. peruersis modũ imponeret, actionesq; omnes ad rectæ rationis imperiũ dirigeret: cupiditates infandas cõprimeret, nemini dolos meditari, nemini insidias struere, suo quãuis paruo contentum esse potius quàm aliena appetere, neminẽ uiolare, sanguini humano parcere, decus & fauorem bonis artib. quærere, laudem & auram popularem contemnere, uera, simplicia & aperta cõsectari, falsa autem speciosa & fucata odio habere, dignitatem & utilitatem reipub. priuatis tum honorib. tum cõmodis anteponere, dolorem despectũ & inimicitias pro iustitia ac ueritate tolerare, mortemq; ipsam & intentatã pro salute patriæ ac religionis dignitate non timere, & illatã magno animo obire iuberet. Hac uirtute proximè ad summum & præpotentem Deũ accedit: qui eius est iuuentor, author & propagator. Fieri nõ potest, quin author ille, quicũq; sit tandem rerum humanarũ status, uelit hoc summum opus suũ maximi fieri: omniaq; alia si in eius certamẽ uenerint, pro nihilo duci. Huic operi diuino nec Rex, nec Senatus, nec ullus populus honestè obsistere potest. Huic qui uolens prudensq; non paruerit, authori eius Deo immortali non parebit: naturã hominis exuet, ac se grauissimo scelere obstringet. Valeant sanè quantum possunt opes, genus, robur, potentia: uerùm in contentione uirtutis hæc omnia pro nihilo æstimanda sunt. Hoc recta ratio uult: hoc natura in omnia diffusa, constans & perpetua: hoc melior natura Deus, ille magister, imperator, uindex, & remunerator. Cuius diem supremum expectamus: quo tubæ clãgore ad suum tribunal euocabit uiuos & mortuos, rationem actionũ ab omnib. exacturus, ac uirtutis suæ desertionem ad calculum reuocaturus. Non ibi comitatu clientũ, non applausu multitudinis, non secundis admurmurationibus fautorũ res peragetur. Iudex ille, cuius oculis omnia cõspicua sunt, nullo personarũ habito respectu sententiã actionib. uniuscuiusq; dignã feret. Et bonos quidem, pios, & qui uitã conuenienter congruenterq; uirtuti uixissent, gaudio immortali donabit: malos autem, ex libidine omnia agentes, ac peruersis cupiditatibus obtẽperantes, manu infesta premet, atq; in eum carcerẽ cõiiciet, ubi erit fletus & stridor dentiũ. Deum igit precor, incẽdat ille nos iusto uirtutis amore, suggeratq; nobis uires ea faciendi, quæ sint è repub. & è religionis dignitate: nosq; tandem donet per IESVM CHRISTVM, uita sempiterna.

FINIS.

ANDREAE FRICII

MODREVII, DE VTRAQVE SPECIE COENAE Domini, DIALOGVS primus.

IOANNI HASEMBERGIO, illustrissimorum archiducũ Austriæ magistro, And. Fricius Modreuius, Polonus Bohemo, S. D. Mittitq; Dialogum, de utraq; specie sacramenti Eucharistæ à laicis sumenda, primum: non affirmandi, sed disputandi & discendi causa conscriptum, Anno CHRISTI 1549, mense Maio, Pragæ.

EMINISTI HASEMBERGI, cùm proximis ferijs Paschæ oratoris Regis mei cõuiua eras, defensam esse cõmunionẽ laicam nostrarũ ecclesiarum, Calixtinorumq; improbatã, à uiro quodam clariss. & in sacris literis exercitatissimo. Cui quidem disputationi occasionem prębuerant, cùm colloquia mutua nostra conuiuarũ, tum historia Euangelica de cœna Emauntana, quæ in templis ijsdẽ illis ferijs solet recitari. Scis enim, mensas nostras huiuscemodi colloquijs tanquam cibis delicatissimis repleri solere. Quo quidem tempore etsi inferiorem me multo sciebã, quàm qui cũ uiro illo sermones cõferrem: tamẽ ut materiam sermoni maiorẽ darem, uolebã ostendere, quid in oratione hominis doctissimi desiderarem: siquidem tu homo Bohemus populares tuos, si nõ ex animo, at saltẽ gratiæ causa iuuare uoluisses, mihiq; causam eorũ tuẽti præstò fuisses. Sed cùm tu negotijs Principis tui auocatus, nostro sermoni longius adesse nõ posses, ipse quoq; repudiaui cõsiliũ, quod primùm intẽderã, ita cõuiuium omne tuo discessu solutũ erat. Quoniã uerò semel periclitari uolui, quid in rationibus, quib. uulgò laica cõmunio cõfirmat, insit uiriũ: cœpi cogitatiões nostras stylo, qui optimus est discẽdi atq; dicẽdi magister, persequi: ac Dialogo, quantũ potui, rem expediui. Neq; tamẽ argumẽta omnia, quę in cõuiuio illo grauiter sanè recensebãtur, exposui: neq; ordinẽ seruaui: sed œconomiã orationis, quæ mihi uisa est, institui. Partes laicæ communionis Harpago, Bohemicæ Aratori dedi: hominibus eruditissimis, & utriusq; de ecclesia catholica nostra benemeritis. Sed ille acerrimus est dogmatum ab ecclesia receptorũ defensor: hũc ita in castris nostris uersari accepimus, ut à moderatiõe nõ abhorreat, ac nonnulla in ecclesijs nostris emendari optet. atq; hũc ipsum uehemẽtiorem multo facimus, ut & Bohemis tuis, ac potius nostris aliquid demus: & in defensionibus laicæ communionis uulgaribus multa desiderari ostendamus. Tu igitur hæc & ipse leges, meq; tui studiosissimum esse cognosces: & cum amicis, quibus uoles, communicabis. Audies me, Calixtinorum gentis tuæ defensorem, non prorsus, ut existimo, frigidum. Quòd si me laicæ communionis uelis esse acriorem, argumenta mihi suppedites oportet: quibus, quæ cõtra eam adduxi, refellam. Nam ego nec cogitando, nec legendo, nec cum alijs disserendo, aliquid discere potui, quo eam probabilius tueri possem. Tu igitur animum à me abducito: Harpagum & Aratorem contemplator. Qui cùm in æde sacra, sacris adfuissent: ac de profectione Emauntana, cuius historia tũ legebatur, multa inter se uerba fecisset, delapsi tandẽ sunt ad fractionẽ illã panis mirificã, in qua CHRISTVS se discipulis suis cognoscendũ dederit. Dubi

tandumq; minimè esse pronunciarunt, quin panis ille mysticus fuerit: & quidem ille idem, de quo CHRISTVS in ultima cœna dixisset, esse corpus suum: cuius scilicet esu & oculi discipulorũ aperti, & magister ab eis agnitus fuerit. Cũq; in illo cõuiuio populi mẽtio facta sit nulla, nõ sine causa in ecclesia cõstitutũ uideri dixerũt, ut corpus CHRISTI absq; uini specie sumeretur. Quòd tamẽ cùm Aratori instituto Christi alienũ uideretur, quærit ab Harpago, Cur populus sacrã cœnã sumẽdo, parte una cõtentus esse debeat: cùm quidẽ cœna illa duab. sit à CHRISTO partib. instituta? Tũ HARPAGVS: In hoc uerò, inquit, laici & præcepto ecclesiæ obtẽperant: neq; à ratiõe discrepãt: nec Christi instituto sunt aduersi: certè etiã exẽpla multorũ q Christi tẽporib. sic sumebãt, imitãtur. ARATOR. Nos uerò, si placet, præceptũ ecclesiæ in præsentia omittamus: ne quæstionẽ illã lõgè difficillimã, de potestate ecclesiæ ingrediamur. Et certè ecclesiæ præceptũ eius momẽti esse cẽseri, ut hoc posito, uia omni disputatiõi præcludatur. Cùm enim ecclesia erroris uacua esse dicat, quæstiões omnes de reb. cõtrouersis cessant, titulo illius & authoritate obiecta. Sed quia nos disputationẽ instituimus, nõ sit prẽter rẽ, ut hoc loco cõmuni prætermisso, ea in quib. causa propriè cõtineat pertractemus. Ac de Christi instituto & exẽplis pòst uidebimus: nũc ordinẽ à te ꝓpositũ sequẽtes, à ratiõe ordiamur. Dic igit, quã rationẽ affers, cur populi, nullo suo incõmodo, panis specie cõtẽti esse debeãt? HARP. Etenim sub pane corpus uiuũ sumẽtes, sanguinẽ quoq; sumãt necesse est. Nec enim corpus, siquidẽ uiuũ est, sine sanguine esse potest. Viuũ aũt esse corpus, quod sumit, testis est ecclesia omnis, quã docuit Paulus, Christũ ex mortuis semel excitatũ, amplius nõ mori: mortẽ ei ultra nõ dominari.

Argumẽta, quibus laica cõmunio confirmatur.

Ordo dicẽdorũ, cum reiectione unius partis.

Ratio, quæ pro cõcione laica affertur, expenditur.

AR. Hæc uerò ratio si uera est, presbyteri quoq; ab altera specie nõ immeritò abstinebũt. HARP. Certè extra missã sumẽtes, abstinẽt: cõtenti & ipsi, more populi, panis specie. ARAT. De missã facientib. loquor: atq; sic ex tua ratiõe colligo. Si laici cõtenti sunt panis specie, quia in corpore sit sanguis: missãtes quoq; & sacrificãtes cõtẽti esse debẽt corpore, quia in eo sit sanguis. Cùm aũt sacrificãtes cõtenti nõ sint, certè laicos cõtẽtos esse debere absurdũ est. Cõsecutio hæc ualet, & firma est, à cõditione: cuius cõsequẽtis negatiõe, tollit antecedẽs. Assumptio etiã huius argumẽtationis nota est. Propositio uerò à causa ad effectũ procedit. Etenim posita causa, ponit effectus: aliter causa nõ cẽseret, q; effectus nõ sequat suus. Quòd si ueritas corporis satis est laicis ad sanguinẽ quoq; sumẽdũ: quin presbyteris etiã eadẽ satis sit, causa nulla est. HARP. Etsi corporis ueritas apud utroq; est, tã sacrificãtes q; sumẽtes: tamen cùm illi soli passionẽ Christi repræsentẽt, hi uerò tãtùm animas pascãt, fit, ut illi utrã q; speciẽ sumãt, quò repræsentẽt in cruce sanguinẽ fusum fuisse ex corpore: hi uerò unius speciei sumptiõe cõtenti sint, in qua scilicet totus cib. cõtineat. ARAT. Eò uideris rẽ perducere, ut laicę cõmunicatiõis statuas causam esse quãdã aliã q; ueritatem corporis. Hac enim cùm pares sint sacrificãtes cũ laicis, effectus quoq; par & idẽ esse deberet. Cũq; effectus nõ sit idẽ, nõ igit illa causa est, sed alia quædã. & illam quidẽ tu dicis, q; sacrificãtes passionẽ Christi repręsentẽt: laici minimè. Dic igitur, an hæc est propria causa, ne frustra uerba (ut nũc fecimus) profundamus ea expẽdenda. Dic inq;, an hæc causa propria est, & quærem, qua de agimus, cõtineat? HARP. Aio. ARAT. Expendamus igitur & hãc: cuius summa hæc esse uidet, illis tãtùm speciẽ utranq; sumendã esse, qui Christi passionẽ repręsentent: cæteris uerò nõ itẽ. Quòd si tu hãc repręsentationẽ in actione illa ponẽdã putes, qua sacerdos, uestibus certis indutus, cerimonias ministerij publici ad altare peragat, cõsecrãdo, gratias agendo, preces pro cũcto populo fundẽdo, offerẽdo, ac ecclesiæ distribuẽdo, & quæcũq; necessaria sint faciendo, haud equidem inficias iuerim, talem repręsentationem solis presbyteris competere. Nec enim cuilibet ministerio ac officio hoc fungi licet,

gi licet, nisi qui uocatus sit, & legitimè electus. Cæterũ solis ad eũ modũ Christi passionẽ repręsentãtibus, speciẽ utrãq; dari, alijs omnib. adimi, cõtra Christi ipsius mentẽ esse uidet, qui corpus & poculũ sumi uelit in sui cõmemorationẽ. Sic enim ille, Paulo 1. Cor. 11. referẽte, inquit: Accipite, edite, hoc est cor pus quod pro uobis frangit, hoc facite in mei cõmemorationẽ. Deinde, Hoc poculũ nouũ testamentũ est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei cõmemorationẽ. Vt igitur repræsentatio à cõmemoratione distinguatur: tamẽ nõ solis repræsentantibus, sed etiã cõmemorantib. & corpus & poculũ dandũ esse, uerba CHRISTI testantur. Quid enim hoc est quod dicit, In mei cõmemorationẽ? An soli actiones illas & ceremonias ad altare peragẽtes, cõmemorãt? Omnino & mẽte licet recolere, & ore annũciare ac prædicare actiões Christi omnes, beneficia, atq; adeò mortẽ ipsam. Esum uerò ac potionẽ sacramẽti ad annũciationẽ mortis referẽda esse, docet Paulus eodẽ in loco inquiẽs: Quotiescũq; comederitis panẽ hũc, & biberitis de poculo, mortẽ Domini annũciabitis, donec ueniat. Cũ igit laicis recordationẽ mortis Christi admere nõ possimus: cũ q; & sacrificiũ laudis, quod fit Deũ laudãdo, orãdo, gratias agẽdo, eis cõpetat: & illud etiã unicũ in cruce peractũ cũ eis à Christo cõmunicet, nequaq; sunt, ob defectũ repręsentãdi, ab utraq; specie arcẽdi: ad q; in primitiua ecclesia (quod testãtur historiæ & scripta ueterũ) admittebãt.

Papa, ni fallor, Gelasius mãdat, ne diuidatur sacramentũ. Et Prosper: Cùm, inquit, frãgitur hostia, cùm sanguis de calice in ora fideliũ funditur, quid aliud q; Dominici corporis in cruce immolatio, eiusq; sanguinis de latere effusio designatur? His uerbis & sanguinẽ in ora fideliũ, nõ tãtùm presbyterorũ fundi, & immolationẽ in cruce factã designari dicit. Certè nec Christus, nec ecclesia primitiua ignorabat, in carne sanguinẽ cõtineri: nihilominus iussit, aut, ut uos loqui cõsueuistis, permisit, nõ tãtùm comedi, sed etiã bibi. duę enim species sunt institutę, altera ad comedẽdũ, altera ad bibendũ: neutra quidẽ reb. & mysterijs uacua. Et quẽadmodũ poterat, si uoluisset, Christus genus humanũ redimere, patiẽdo in corpore, sine sanguinis effusiõe: nihilominus uoluit effundere sanguinẽ, ad abluẽda peccata mũdi: ita sacramẽtũ instituit, ut & caro comederet, & sanguis separatim biberet. Certè sanguis bibi nõ potest, nisi effundatur: nec abluere potest quenq;, nisi sit effusus: ut nõ immeritò dixerit Apostolus, absq; effusiõe sanguinis nõ fieri remissionẽ. Et clamat quidẽ fortiter nostris in ecclesijs, nequaq; adimi laicis Christi sanguinẽ, quẽ sumãt in corpore illius uiuo: etiã si adimat eis species uini. At homines acuti nõ uidẽt, adimi illis sanguinẽ effusum: ut etiã si sumãt sanguinẽ, nequaq; tamẽ bibãt sanguinẽ effusum: illũ inq;, quo Christus & peccata purgauit, in perpetuũ q; cõsummauit sanctificatos, & eũdẽ bibi iussit, pręclaro quidẽ elogio addito hisce uerbis: BIBITE ex hoc omnes: hic est sanguis noui testamẽti, qui pro multis effundit, in remissionẽ peccatorũ. Vides & uerba cõsolationis plena: & hũc sanguinẽ uocari noui testamenti. Quòd si testamentũ hominis uiolari non licet, quanto minus hoc Dei & seruatoris nostri: quo adire possimus hæreditatẽ regni cœlestis? Deus coniunxit utranq; speciem: sed quæ Deus cõiunxit, homini separare nõ licet. Nõ igitur fas est diuidere, quæ diuinitùs cõiuncta sunt. Multo minus fas est dãnare eos, qui Christi institutũ sectando, utroq; pascunt animas suas, & carne, & sanguine: nõ tantùm comedendo, sed etiam bibendo. Hæc præferenda sunt omni rationi humanæ. Nec enim disputatur hîc ad physicã normam, carnem uiuam exanguem esse non posse: sed quæritur de Christi institutione, quæ est supra omnem naturæ captum. Quæ institutio cùm in se habeat & comedendum & bibendum esse, sanguis autem inclusus in corpore bibi non possit nisi effundatur, sequitur, ut ea præferenda sit omni humanæ rationi. Habes rationes nostras tuis oppositas: quibus si accedis, pergamus ad alia: sin

De consecratione d. 2. c. cõperimus. & c. cum frangitur.

minus, afferadhuc quod ad ratiões facere uideat. HARP. Ecclesia pia fidelium mater solicita semper fuit, ut hęresi omniquaq; occurreret. Cũ aũt hęretici exorti essent, qui dicerẽt, in panis specie dari corpus mortuum, non uiuum, propter eos adempta est uini species laicis: ut perspicuum omnibus fieret, cum corpore uiuo sumi sanguinem. ARAT. Hæc uerò causa eadem est cum illa, abs te primo loco adducto: nisi quòd hæc addit prætextum hæresis tollendæ. Quòd si in populi communione tollitur causa huius hæresis, cur etiam non in presbyterorum? Certè hæretici idem cauillabuntur in sacrificantibus, uesci eos mortuo corpore, quod sit sanguinis expers: quandoquidem illi corpore non contenti, seorsim bibant sanguinem. Non prodest hîc cauillatio illa de sacrificãtibus, & nõ sacrificantibus. quid enim impedit, quo minus sacrificãtium cõmunio obnoxia sit calumnijs hæreticorũ, eadem ratione qua non sacrificantium communio sumentium speciem utranq;? Quòd si qua uia tolli possunt calũniæ in sacrificantibus, sine subtractatione partis alterius sacramenti, cur non idem fit in laicis? Nam si nobis hanc licentiam permittimus, ut propter hæreticos mutemus institutionẽ CHRISTI, quis tandem modus erit huius licentiæ? Surgat hæreticus quispiam, qui quòd uidet templa extructa, ut eò homines conueniant ad orandum & laudandum Deum, dicat Deũ nõ omni in loco laudandum & orandũ: an propter illum templa deseremus? an potius docebimus usum legitimum templorum? Surgat item hæreticus, ut olim Arius, qui dicat Christum non esse parem patri, nec potentia, nec ulla re: propter uerba illa, Pater maior me est: an uerba illa expungemus? Quid enim refert, expungi, aut, quod non expungas, id non usurpari? An potius cõmodam interpretationem addemus? Neque inficias eo, nonnunquam dissimulatam esse ad tempus ueritatem: ut cùm CHRISTVM uocant Apostoli uirum, nomẽ Dei reticentes. Sed aliud est dissimulare, aliud lege uetare aliquid. Dissimulant Apostoli CHRISTVM esse Deum: sed tamen non damnant eos, qui id palàm faterentur. Nunc uidemus, non iam conniuere ecclesiã, sed damnare hæreseos, omnes qui extra sacrificium sumant utranq;. Videas multos abhorrere ab eorum ecclesijs, eorum sacra detestari, non aliam ob causam nisi quòd sumãt utranq; speciem: hacq; re ab obediẽtia ecclesiæ, ac unitate sumentium unam, discedant. Quasi uerò hęc unitas, quę institutionem CHRISTI euertat, sit tanti facienda, ut deserenda non sit propter uerbum Dei. Quod authori suo tanti est, ut cœlum & terram, hoc est omnia humana constituta, omnes rationes à ratione excogitatas dicat citius transituras, quàm uerbũ suum.

De Christi institutiõe sacramenti Eucharistiæ, quod erat tertiũ ex argumẽtis propositis.

Sed de obedientia ecclesiæ non est nunc dicendi locus. Quoniam aũt tu dixisti, nihil contra institutionem CHRISTI fieri à sumentibus unam: demõstra id, si placet, ut quod tibi adducendis rationibus nõ succesit, succedat hac ipsa institutione explicanda. HARPA. Ipsa cœnæ Domini institutio manifestè indicat, laicos ad speciem utranq; uel minimè obstrictos esse, uel prorsus non esse admittendos. Etenim plures erant in ædibus illis, in quibus agnũ paschalem manducabat Christus cum Apostolis. nemo tamen admissus legitur, præter illos duodecim. Quibus quidem ideo species utraq; data, quòd presbyteri essent, illisq; potestas data sit similis cœnæ celebrãdæ. Dicit enim Christus ad eos, Hoc facite: hoc est, consecrate, offerte, ac distribuite. Hoc nõ ad alios pertinet, quàm ad presbyteros. solis itaq; illis congruit utraq; species. ARAT. Tu uerò præter rem mihi loqui ista uideris. Nam fac, neminem cœnæ Domini, præter duodecim, interfuisse: id quod est uerisimile, quòd nemo tum in comitatu fuerit CHRISTI, præter illos. Quo tamen argumento euinces, neminẽ ad eandem cœnam adhibendum præter illos duodecim, quiq; in loca eorum succesere? Quæro enim, an illa CHRISTI institutio cœnæ suæ pertinet ad laicos, an non? Si pertinet, ad utranq; igitur speciem necessariò admittẽdi sunt:

Sin

Sin minus, arcẽdi igiẽ sunt à cœna illa: aut quo iure arcẽtur à sanguine, eodẽ à carne arcebunẽ. Certè nullã cœnę aliã institutionẽ habemus, prętер hãc. Quã ad laicos pertinere, Paulus locuples est testis, tradẽs eã uniuersæ Corinthiorũ ecclesię, nõ solis eorũ presbyteris. Scribit enim, ꝙ à Christo accepisset, id se illis tradidisse. HARP. Ex usu Corinthiorũ, aut alicuius alîus ecclesiæ particularis, statui nõ potest lex uniuersæ ecclesiæ. Quid quod nõ desunt magni uiri, qui aiũt, Paulũ mysteriũ eucharistiæ & Christi institutionẽ Corinthijs proposuisse, ut eos ad uenerationẽ tãti sacramẽti excitaret: nõ eũ præscripsisse modũ cõmuniõis. ARAT. Ego uerò haud intelligo, cur hęc nõ sint præscribẽtis uerba, usumꝙ huius sacramẽti docẽtis, cùm Corinthios sic alloquiẽ: Quoties ederitis panẽ hũc, & calicẽ biberitis, mortẽ Domini annũciabitis. Quib. igiẽ uerbis modus utẽdi præscribi debuit, si his prętextus nõ est? Primùm Christi institutionẽ narrat: quæ in se cõtinet, comedendũ & bibẽdũ esse: uerbaꝙ à Christo ad Apostolos facta recẽset. Quæ ne putarentẽ ad solos apostolos pertinere, mox uerbis ad Corinthios directis inquit: Quoties uos quoꝙ comederitis & biberitis, in Christi memoriã id facite. Ac ne id Corinthij sibi tãtùm licere existimarẽt, uniuersæ ecclesiæ cõcionatẽ, inquiẽs: Quisquis ederit panẽ hunc, aut de poculo biberit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Iã nõ tantũ in ecclesia Corinthiorũ, sed in alijs quoꝙ, laicos etiã uini specie usos esse, suprà ex Gelasij & Prosperi põtificũ Romanorũ uerbis ostensum est: & multorũ authoritatib. ostẽdi posset. HARP. Nõnulli uiri doctissimi prodiderũt, nullũ in Euãgelijs de eucharistia inueniri præceptũ, prætерꝙ apud Lucã: idꝙ post speciẽ panis, cùm refert Christũ dixisse, Hoc facite in mei cõmemorationẽ. AR. Quasi uerò nõ satis sit ad ueritatẽ inuestigandã, si apud unũ reperiatẽ eiusmodi præceptũ. Et tamẽ apud Matthęũ cõstat reperiri uerba hæc: Accipite, comedite, bibite. Quæ certè sunt præcipiẽtis, nõ minus ꝙ illa, Hoc facite. HARP. De bibẽdo tamẽ nullũ est apud Euãgelistas præceptũ. AR. Nõne iã dixi, Matthæũ sic scriptũ reliquisse: Comedite, Bibite? HARP. Verũtamẽ q̃d dicitẽ de bibendo, nõ simpliciter præceptũ esse, sed ex suppositiõe, Paulus docet: qui illud limitat ad uices bibendi, uidelicet si biberimus, aut quoties biberimus, in Christi memoriã faciamus, hoc quod ille fecit. Hoc est, quoties utemur calice eucharistiæ, sacrificemus hoc. Nã ut bibere significat usum calicis: ita facere hoc, quatenus distinguitẽ à bibere, significat cõsecrare hoc. Docet enim Paulus, ut associetẽ usus calicis, sacrificio calicis. Cũꝙ similis associatio nõ pręcipiatẽ circa usum eucharistiæ sub specie panis, inde significatẽ, usum calicis illicitũ esse seorsum à sacrificio: usum uerò sub specie panis, licitũ. quod patet in eorũ cõmunione, qui extra missarũ solennia cõmunicãt, ut sunt ægroti & alij: quorũ causa eucharistia sub specie panis seruatur, sub uini uerò specie minimè. AR. Acutè mihi hęc, magis ꝙ aptè, dicta esse abs te uidentẽ, Harpage: rẽꝙ eò deduxisti, usum calicis sine sacrificio illicitũ esse. Quòd si ita intelligis, nemini de calice bibere licere, nisi qui sacrificet, aut cõsecret ipse: cõtra te est usus primæ ecclesiæ, in qua bibebãt etiã qui nõ cõsecrabant. Imò ipsi apostoli in cœna nõ cõsecrãt, & tamẽ bibũt, teste Marco: Bibebãt ex eo omnes. Sin ita, nõ esse præbendũ calicẽ, nisi dũ cõsecratur: nihil est absurdi, quin idẽ de panis specie dicatur. Certè parũ prodest sumenti hãc cœnã, nisi admoneatur ille quẽ ex ea fructũ petere debeat. quod cõmodè fit, recitãdis uerbis cõsecrationis: quæ pauca sunt, ac in ipsa porrectiõe sacramenti proferri possent. Quòd si usu reciperetẽ, & difficultates uitarẽtur quę accidũt tum seruãdo sacramento, tũ ad ægrotos perferẽdo: & qui cõmunicarẽtur hac mẽsa, cõsolationẽ perciperẽt audiendis uerbis Domini & seruatoris sui. Iam uerbis illis, Hoc facite, admonentẽ cõsecrãtes, ut omnia faciãt quæ Christus in illa cœna fecisse cõmemoratur: quæ quia nõ ab omnibus eodem modo referri uidentur, age quod ab uno Euãgelistarũ omissum est, id

Beresius Aiala, in libro traditionũ ecclesiasticarum.

Caetanus libro de cõmunione sub utraꝙ specie.

Caetanus ubi suprà.

est, id ex alijs sarciamus. Matthęus narrat sic Christũ dixisse: Accipite, come-
» dite, bibite ex hoc omnes. Marcus sic: Sumite, comedite: accepto etiam pocu-
» lo, dedit eis, & biberũt ex eo omnes. Lucas sic: Accepto pane dedit eis dicẽs,
» hoc est corpus meum: hoc facite in mei cõmemorationẽ. Similiter & poculo,
» dixit, illud esse testamentũ nouũ in suo sanguine. Paulus sic: Accepto pane, di
» xit: Accipite, comedite, hoc est corpus meũ, hoc facite in mei recordationẽ. Si-
» militer & poculo, peracta cœna, dixit: Hoc poculũ nouũ est testamẽtũ in meo
» sanguine. hoc facite, quoties biberitis, in mei cõmemorationẽ. Nõne hi qua
» tuor nõnihil mutatis uerbis, idẽ narrãt? Nimirũ Christũ præcepisse Apostolis,
ut sumerẽt, comederẽt, biberẽt, idq; facerẽt in eius cõmemorationẽ? Nõ est a-
pud Marcũ, Lucã, Paulũ, Bibite: at est apud Matthæũ. Succinit Marcus, Et
» biberunt ex eo omnes. Manducationi panis additũ esse à Christo, Hoc facite,
Lucas & Paulus authores sunt. Dicis, bibitioni à nemine id simpliciter additũ
esse: sed uicibus bibendi à Paulo additũ, cũ dixit, Quoties biberitis, hoc facite:
Mihi uerò nihilo secius ad bibitionẽ, q; ad uices bibẽdi referenda uident uer-
ba illa, Hoc facite in mei recordationẽ. Quid enim prohibet, quominus ex
Mathæi, Lucæ, Pauli & Marci uerbis hãc cõtexamus orationẽ? Accepto po-
culo Iesus dixit: Bibite ex hoc omnes, hoc poculũ nouũ testamentũ est in meo
sanguine, qui pro uobis effundit: Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei cõ
memorationẽ. Et biberunt ex eo omnes. Quid hac collatione clarius? Nõne
igitur quibus dicitur Bibite, ijsdẽ, Quoties biberitis, hoc facite in Christi me-
moriã? nihil enim alicui prodesse potest ex hoc poculo bibere, nisi hoc faciat
in Christi memoriã. Tu dicis, bibẽtib. tantũ præcipi, ut quoties biberint, id fa-
ciãt in Christi memoriã Ego dico, de comedentibus idẽ intelligi debere. Nã &
Paulus, quod prius de bibẽdo dixit, mox idẽ de utroq; subiungit: idq; particu
» la Quoties (quando & in hac emphasim quæritis) addita, his uerbis: Quoties
» panem hunc manducabitis, & hoc poculũ bibetis, mortẽ Domini annũciabi-
» tis, donec ueniat. Igitur utrunq; faciendum in Christi memoriam. Qui secus
faciant, eos indigne sumere: reos esse ob corpus Domini damnationem sibi
edere, qui de Domini corpore non rectè iudicent. Tu uerbum Faciendi in
oratione Paulina, à uerbo bibendi ita distinguis, ut illud esse affirmes sacra-
mentum consecrantis, hoc eodem utentis. Quid si ego hanc distinctionem
negem, quomodo tandem probabis? Certè nec Matthæus, nec Marcus, uer-
bi Facite, mentionem ullam fecerunt: facturi haud dubiè, si in eo tanta essent
mysteria. Narrant tantùm CHRISTVM dixisse, Accipite, comedite, bibi-
te. Non addunt, Hoc facite. Id enim in uerbis, Comedite, Bibite, satis com-
prehensum est: quemadmodum in specie genus intelligitur. Et tamen illud,
Hoc facite, circa corporis mentionem, à Luca & Paulo separatim est addi-
tum: circa sanguinis mentionem, à solo Paulo: non ut adderent aliquid ad
naturam & substantiam sacramenti pertinens, quod ab alijs omissum esset:
sed ut finem exponerent, quamobrem sacramento hoc uti debeamus: ni-
mirum hoc faciendum, hoc est, comedendum & bibendum esse in CHRISTI
memoriam. Sic igitur simplicissimè dixerim, uerbum Faciendi, quemadmo-
dum & uerbum agendi, generalissimum esse, actionesq; uerborum omnium
sub se comprehendere. Quod cùm authorum omnium infinitis exemplis o-
Lucæ 10. stendi potest, tum illud est in primis illustre apud Lucam, qui narrat CHRI-
STVM dixisse ad legisperitum: Hoc fac, & uiues. Ipseq; uerborum illorum
» textus clarè indicat illud, Hoc fac, relatum esse ad decalogi præcepta, ab illo
eodem legisperito hoc modo enumerata: Deum toto corde ama, proximum
perinde ac teipsum. Cũ igitur uerbũ Facio, omniũ uerborũ actiones sub se cõ
prehẽdat, quid absurdi est, si ad totã illã actionẽ cœnę Domini referat: aut cer
tè ad ea quę prius in illa actiõe præcepta sunt? Cœna Domini talis fuit: unus

conui-

conuiuator erat, qui conuiuium parabat, ac suis conuiuis cibum & potum dabat, dicens: Accipite, comedite, bibite: hoc facite in mei commemorationem. Igitur & cœna Domini quæ à nobis fit, talis esse debet, in qua aliquis Christi uice conuiuas excipiat: quibus corpus Christi comedendum, sanguinem bibendum offerat. Ad summam sic opinor: ex serie uerborum historiæ quam tractamus, licet tuam sententiam improbare. Apostoli in cœna Domini sumebant utranq; speciem, qui tamen sumendo sacris non operabantur: non soli igitur sacris operantes utranq; speciem sumere debẽt, sed omnes quicunq; discipuli Christi censeri uolunt. In hac quidem argumentatione quid desideres, non uideo. Si enim illi non quà sacrifici, sed quà discipuli erant, id faciebant: opinor idẽ licere omnibus qui sint discipuli. Antecedentis priorem partem historia testatur. Secundam partem sic ostendo: Quia tunc nullus Apostolorum sacrificabat. solus enim Christus tunc officio functus est sacerdotis sacrificantis: apostoli discipulorum tantùm, non sacrificantium. nam prius sumebant, quam eis potestas facta esset sacrificandi. Sic enim narrat historia: Accipite, comedite: deinde, Hoc facite. sic, Bibite: deinde, Hoc facite. Prius ergo sumebant, quàm potestas eis facta esset consecrandi, & sacrificandi. Quid enim illud ualet, Hoc facite? an non, quod me facere uidistis? Sed Christus ad exemplum Melchisedeci, offerendo panem & uinum, utrunq; dedit discipulis suis. Ergo qui sacrificant more Melchisedeci, atq; adeò Christi, debent dare illorum exemplo & panem & uinũ discipulis Christi: aliter discedere censebuntur ab ipsius Christi institutis, & à sacerdotio Melchisedeci. Neq; est dubium, sic in prima ecclesia, citra ullam reprehensionem obseruatum fuisse, ex multis sanctorum patrum scriptis. HARPA. At mihi certissimum est (quod postremum erat ex argumentis à me propositis) tempore etiam Christi à discipulis sumptam esse speciem unicam. quod Lucas testatur in historia de duobus in castellum quod uocabatur Emaus profectis. Factum est, inquit, dum accumberent, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis: & aperti sunt oculi eorum, & agnouerunt eum. Hic uides Christum panem accipientem, benedicentem, frangentem, porrigentem: oculosq; discipulorũ apertos esse, ut Christum cognoscerent. Vides inquam, panis hic mentionem fieri, uini non fieri. Ad eundẽ modum in Actibus apostolicis legitur de Christi discipulis, quorum numerus ad tria millia ad Petri concionem auctus erat: Erant autem, inquit Lucas, perseuerantes in doctrina Apostolorũ, & cõmunicatione, & fractione panis, & precationibus. Hic quoq; nulla fit mẽtio uini. Habemus igitur, iam inde à Christi & Apostolorũ tẽporib. multos discipulos ita cõmunicasse cũ Christi corpore, ut panis specie cõtenti essent. ARAT. Mihi uerò cõtradicere huic nõ libet, quòd tu illa loca de sacramẽto Eucharistiæ accipi uelis. Velim tamẽ dicas, quid prohibet, quo minus partis appellatione totã cœnã Domini intelligamus? Est em̃ ea synecdoche scripturis usitata: ut cùm legit in ueteris legis libris, Frãge esurienti panẽ: & in nouæ, Rogauit pharisæus Christũ, ut mãducaret secũ panẽ: an nõ dedit ei potũ? Certè dedit. nã & nos, cùm inuitamus ad nostrũ panẽ, hospitẽ, totũ cõuiuiũ intelligimus: atq; adeò & potũ. Et in eodẽ illo loco, quẽ ex Actibus apostolicis citasti, legit: Perdurabãt discipuli unanimiter in tẽplo, frangẽtes per singulas domos panẽ, inuicẽ sumebãt cibũ. An putas hic panis & cibi nomine nõ cõprehendi potũ? Omnino, si uolumus æqui esse interpretes scripturarũ, rẽ, qua de agitur, ex ijs in primis locis & scrutari & constituere debemus, in quibus ex professo de illa agatur: nec illis ea præferre, in quibus uel obiter, uel aliud quid agendo, eiusdem rei fit mentio. Si quæstio incidat de forma baptisandi, an non ille locus, Baptizate in nomine

De exemplis eorum qui Christi tẽpore unam speciem sumebant, de historia Emaunthana, et locis alijs ex Actis apostolicis: quod erat quartũ argumentorum propositorum.

mine patris & filij & spiritus sancti, præferendus est omnibus, in quibus fit quidē mētio baptismi: sed nō ut tradatur forma eius, sed ut narretur aliquos baptisatos esse? Ad hunc modū si quis dubitet in sacramēto altaris esse corpus Christi, an nō eū ducemus ad locū institutionis eius sacramēti, ubi dicit, Hoc est corpus meū: potius quàm ad loca alia, in quibus constet nō de ea agi institutione, quāuis etiā fiat mētio manducādi & bibēdi? Ita in hac materia de qua loquimur, an nō uidemus in historia cœnæ illius Emauntanę nō agi de institutione eucharistiæ: sed narrari, in fractione panis Dominū à discipulis cognitū esse? deinde in Actis apostolicis, nō etiā institui à Christo sacramētū: sed narrari, illos qui Christo credidissent, cōmunicasse inter se omnia, ac in panis cōmunicatiōe perseuerasse? Cur igit in definiēda quęstione de utraq; specie, nō potius sequimur locū, ubi nō in trāscursu fit mētio cōmunicationis: sed dedita opera recitat cōuiuiū illud in q̄ primū Christus instituerit cœnā sacrā? Quòd si id placet, an ineptū fuerit loca omnia ad analogiam huius unius accommodari, atque alia ita exponi ut cum hoc congruant? Sed fac unam tantùm partem sacramenti, nempe panis speciem, intelligi & in Actibus apostolicis, & in cœna Emauntana: quid autem hoc ad interdictionem huius temporis speciei uini? Putas ne tu laicos illos una parte sacramēti utentes, eo fuisse animo, ut dānarent laicos sumētes utrāq;? Afferamus similia; demusq; & hoc tibi (uideo em̄ sic uos similitudine rerū aliarū probare, ecclesiam pleraq; Christi instituta mutare posse) Apostolos forma alia quàm à Christo instituta usos esse baptisando: num propterea illi damnarint alios, utentes forma illa à Christo tradita, In nomine patris & filij & spiritus sancti? Non opinor. nam id nec ulla hominū memoria probari potest, nec literis proditum extat, nec est uerisimile. quemadmodum qui Christū Deum dissimulantes, uirum appellabant, uerisimile non est ut eos damnarent, qui palàm eundē filium Dei uiui, & Deū ipsum confiterentur. Quæ igitur audacia est horū tēporū, dānare laicos speciē utranq; sumētes? Affertis uos quidem similia exempla, quibus hāc ecclesiæ authoritatem asseratis. Sed dij boni, quàm similia illa sunt dissimilima. Quod dum ostēdo, uelim me audias attentè. neq; uerò, quod principiò testatus sum, ingrediar disputationem de authoritate ecclesiæ: sed quod satis erit ad propositū, locorum, quibus prohibitio poculi comprobari solet, dissimilitudinem demonstrabo. Aiunt Dauidem panes propositionis comedisse, solis sacerdotibus ex lege datos. Esto. sed fecit ille necessitate, ne fame moreretur. Legem interea concedentem panes illos solis sacerdotibus, non abrogauit. Patres uerò uel nulla iusta causa abrogarunt speciē alterā: uel si qua iusta erat, tamen illa pro tempore ualere debebat. Nunc tempus illud præteriit, cùm maxima laicorū pars speciē ademptam restitui sibi optat: cùm etiam plericq; non expectato iussu uestro, eam usurpent. Vos uerò omnes illos hæreseos
2 insimulatis, ac à Christi ecclesia excluditis. Pergunt de cōcilio Hierosolymitano, quod decreuit ut abstinerent gentes ab idolothyto, sanguine, suffocato. Non est huius instituti, exactius de causis illius decreti disputare. Illud tamen res ipsa docet, neminem hodie damnari, qui decreto illi non obtēperet. nā & spiritus sanctus per os Pauli docuit, neminē iudicandū esse in cibo aut potu: & antea Christus, nō q̄d in os intret coinquinare hominem. Vos cùm conniuere possetis in causa tā fauorabili, ac temporis præteriti excusationē aliquā afferre, insultare pergitis Christi sanguinē bibere appetentibus. ac cùm erroribus fortiter resistitis, id quoq; inter errores numeratis: q̄d ecclesia semper, uel uobis authoribus, arbitratu suo usurpabat, aduscq; tēpora cōcilij Basiliēsis. Hoc uerò an est cōfirmare authoritatē ecclesiæ, simulq;
3 uestrā, an eleuare? Sed persequamur cętera. Mutauit ecclesia diē sabbati in

Cōfutatio quarundā obiectionum.

diem

diem Dominicum. Mutauit: sed non abrogauit diei festiuitatẽ. uos prorsus abrogastis poculũ sanguinis. At circunciſionem abrogauit mox à Chri- 4
sti morte. Certè, sed non sine uerbo Dei. Extant enim in libris ueteris legis, promiſsiones de nouo fœdere, spectante in Christũ. At ubi nouũ uenit, ibi prius antiquat. Sic em̃ Apostolus ex uerbis Ieremię ratiocinat: Quod si fœ Heb. 8.
dus antiquũ abrogatũ est, certè & circũciſio, quæ caput illius est, abrogãda Iere. 31.
fuerat. Iã em̃ Christo nato, semẽ illud benedictũ, cuius admonebãtur Iudęi pręputij circũciſione, in mundũ aduenerat. Itaq; qui nunc circunciſionẽ seruandã doceret, hic dubitare uideretur de aduẽtu seminis. Sũt qui ita scripse rũt, sabbatũ & circunciſionem abrogata esse, non quòd utrunq; obseruare malũ esset: sed quòd ecclesia nihil nobis cum Iudæis commune esse uoluit. Verùm nõ est ista causa. cõmunia enim sunt nobis multa cum Iudęis. & circunciſionem hodie nemo obseruandã docet, niſi qui adhuc expectet aduẽtum Christi. Quamobrem Paulus sic Galatas alloquitur: Ecce ego Paulus Gal. 5.
dico uobis, quoniã si circuncidamini, Christus uobis nihil proderit. Et ta- Col. 2.
men in locum circunciſionis baptiſmus succeſsit: qui & circunciſionis no- 1. Cor. 10.
mine, quẽadmodũ circũciſio baptiſmi nomine, appellatur. Apud uos quid simile de adempta potione sanguinis? De baptiſmo illud obiicitur, Apo 5
stolos baptisasse in Christi nomine. Hoc uerò in libro Actorũ apostolicorũ Acto. 2. 8.
à Luca scriptum esse cõstat: eoq; significari, multos baptisatos esse ut essent Christiani, non autẽ formam à Christo institutam mutatam esse. Sed sit mutata: non tamen ideo apostoli baptiſmum sustulerunt: nec eos qui in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizarent, dãnarunt: quod uos facitis, adimendo potionẽ laicis, & omnes damnando qui ea utantur. Largiamur & illud, Apostolos olim Christũ, Dei nomine suppresso, uirũ appellasse: sed legẽ tñ nullã posuerunt, nefas esse Christũ dici Deũ. Vos uerò uestra interdictione significatis, nefas esse homini laico bibere sanguinẽ Christi. Ad- 6
dũt de infantib. qui in primitiua ecclesia nõ tãtùm baptisati, sed & cœna Domini cibati sint: idq; postea ecclesiæ authoritate abrogatũ esse. Verũ Christus ipse abrogasse id uidet, qui cœnã in sui memoriã celebrari præcepit: ut qui memoriã Christi celebrare nõ queãt, ab ea cœna excludi debeãt. Hoc tñ argumẽtũ facultatẽ magnã, si q̃d aliud, præbet tollẽdæ interdictionis de laica cõmunione. Innocẽtius quidẽ tertius & Augustinus docẽt, piũ & necessariũ esse dare eucharistiã paruulis: ut ueriſimile sit, nõ tantùm in Africa, q̃d Augustinus docuerit, sed in toto occidente, q̃d Innocẽtius Papa, obseruatũ esse. Et tñ à posteriorib. re expensa diligẽtius, cõsuetudo illa penitus sublata est, sine ulla ecclesiasticę authoritatis imminutione. Cur igit idẽ nõ fit in tollenda ista interdictione? Amplius addũt, ecclesiã tẽpus sumendi 7
eucharistiã uespertinũ mutasse in matutinũ, & lotionẽ pedũ à Christo factã omisisse, & baptiſmi mersionẽ cõmutasse in tinctionẽ. Licuisse igitur illi & hoc facere, ut speciẽ uini laicis adimeret. O acutã argumẽtationẽ. Age sit ita factũ, ut ecclesia mutauerit mersionẽ in tinctionẽ: sed tñ nõ sustulit aquã baptiſmi. à uestris altera species sublata est. Tametsi & primitiuã ecclesiã tinctione aspersioneq; usam fuisse, constare potest uel ex eo loco, ubi ter mille homines simul baptisati sunt, eo quidem die quo ad Petri exhortationem nomen Christo dedere. nec enim fieri, ut existimo, potuit, ut omnes illi mersi fuissent breui tempore: præsertim in illa sacerdotum paucitate. Et quamuis uocabulum Baptisandi mersionem significaret: tamen uis omnis baptiſmi in ablutione peccatorum existit, cuius symbolum fuerit seu mergas, seu tingas ac cõspergas aqua, eũ qui initiet. Lotio uerò pedũ à nemine opinor improbatur. sed nec ita exigitur, ut ante perceptionẽ sacramenti necessariò fiat: nec si quis ea utatur, dãnari ob hoc poterit. De tẽpore etiã percipiendi

huius sacramenti, nihil præceptũ est. Christus eñ dicit, Accipite, comedite, bibite: nõ dicit, Comedite manè aut uesperi. Quòd autem Christus ipse uesperi id fecerit, nõ est ea causa, quòd tẽpori hanc cœnã alligatam uellet: sed cùm agnus paschalis uesperi ex lege sumendus erat, ipsecp se agnum peccata mundi tollentem breui pòst tempore immolare uellet, selegit tempus eiusmodi, quo & ueteri ritui finem imponeret, & nouum inciperet: & paucas post horas sponte se offerret, ad aram crucis instar agni mactãdum. Hodie quia cœna à nobis nõ noua instituitur: sed quæ olim instituta est, ea peragitur: nihil necesse est tempus illud uespertinũ obseruari. imò cum homines ieiuni aptiores sint recolendis mysterijs diuinis quàm saturi, rectè obseruatur, ut hoc mortis Christi memoraculum prius ageretur, quàm nostra inirentur conuiuia. Iam hæc ratiocinatio est minimè probanda: Ecclesia potuit tempus mutare cœnæ Domini, potuit igitur & partẽ eius auferre. Primùm enim, ex mutatiõe ablationem cõcludere nõ licet. Necp enim qui res mutat rebus, idẽ eas citra reprehensionem auferre potest. Deinde non idẽ est de parte alicuius rei iudicium, quod de tẽpore quo illam rem fieri oporteat. Partes sunt, ex quibus totum cõponitur: ita ut si illæ nõ sint, ne totum quidem erit, quod ex earum compositione existit. Tempus inter accidentia rei numeratur: Accidẽtia inquã, quæ, ut Dialectici loquuntur, adsunt & absunt præter rei corruptionẽ: ut sunt non tantũ tempus, sed locus, occasio, instrumentum, & alia eius generis. Si quis igitur urgeat, tẽpus uespertinum cœnæ obseruandum esse: eadẽ ratione urgere potest, & agnum paschalem, & cœnaculum illud ingens patrisfamiliãs Hierosolymitani requirendum. Sin hęc obseruatu minimè necessaria sunt, ne illud quidem. Sunt enim eiusdem generis. Certè Christus ipse locorum obseruatione nos liberat, cũ inquit ad mulierem Samaritanam, tẽpus aduentare, cum nec in monte Samariæ, nec Hierosolymis Deus colendus esset. Paulus etiã de temporũ & umbrarum cessatione interdum loquitur. Duplici igitur uicio laborat illa argumentatio. nam & à mutatione in ablationem, & ab accidente ad partem rei transitum facit. Vos uerò Harpage, aut potius nos omnes qui in ijs tecum castris uersamur, non tantùm auferimus poculum Domini laicis: sed eos etiam qui illo utantur, tanquam impios, ab ecclesia & regno Christi exterminamus. HARPA. Non ob poculi potionem exterminamus, ô bone: sed propterea quòd ab unitate ecclesiæ ipsi sese segregant, dum mandata eius transgrediuntur. Hoc enim ecclesiæ mandatum est, ut laici abstineant calice. Christus uerò ipse dicit, qui ecclesiam non audierit, eum pro ethnico habendum esse. ARAT. Difficile est non delabi ad disputationem illam de authoritate ecclesiæ, superius à nobis detrectatam: cum quidem tu iam eius titulum nobis prætendas. sed eam tamen fugiemus, quantum licebit. Illud igitur quæro, quis ecclesiæ authoritatem dedit id adimendi laicis, quod uel eis à Christo præceptum est: uel certè eorum arbitrio permissum? Audiui enim ex multis, tuam sententiam defendentibus, cùm dicerent, speciem uini à Christo mandatam non esse laicis, sed potestati uniuscuiusp permissam: ideo principiò liberum fuisse semper laicis, sumere uel alteram uel utrancp. Quod etsi mihi sine ratione & scriptura dici uidetur: sed tamen in gratiam ita loquentium, usus sum disiunctione illa, laicis speciem utrancp uel mandatam esse à Christo, uel potestati eorum concessam. HARP. Hoc uerò in potestate ecclesiæ est, ut pro locis, tẽporibus, & causis alijs, mutet ea quæ prius usurpabãtur. ARAT. Dicigitur causas istas, modò ne repetas quas cõfutauimus. Quid enim hoc esset, quàm actum agere, circuloc̃p illo disputantibus ab Aristotele uetito uti? Quòd si causam afferre nullã potes, quin temerè factũ esse dicamus q̃d sine

causa

cauſa factũ eſt, cauſa nulla eſt. Poteſt igitur hoc decretũ induci, quod nulla iuſta cauſa introductũ eſt. Sed ut toties dixi, nihil nunc loquamur de authoritate eccleſiæ. Diſputare enim tecũ uolui de cauſis interdicti calicis, non authoritate eccleſiæ niti: quã quidẽ ſcis tu me maximi facere, meq; illi in omnibus parêre: ſed diſtinctæ ſunt rationes diſputandi, & ad authoritatem alicuius ſe conferendi. Et quoniam uterq; ſumus earundem partiũ, demus operam, ut iſti qui ſub umbra eccleſiæ dormiunt in utramq; aurem, audiant aliquando, quod Dominus dicit: Nolite, inquiens, confidere uerbis mendacibus, dicentes templũ Domini, templũ Domini, templũ Domini. Quale enim templũ eſt Domini, quod ultra præſcriptionẽ uerbi eius progreditur? Qualis ſponſa Chriſti, quæ à ſpõſi præſcriptis diſcedit, ac ex reb. liberis neceſſarias cõdit? Etenim ſi (ut multi loquuntur) liberũ fuit olim laicis, uel utraq; uel altera ſpecie uti: qua inſolẽtia quaue audacia factũ eſt, ut hæc libertas eis adimeretur? ac deinde ea adempta, omnes qui parêre nollẽt, cõdemnarentur? Paruus error (inquit ille) in principio, maximus fit in fine. Ita apud nos errorem illum calicis adempti (ſic enim neceſſe eſt ut loquamur, qui Calixtinorũ perſonã ſuſtinere cœpimus) multi errores intolerandi conſequũtur. Et iactatur quidẽ uulgò, ſpiritũ ſanctũ authorem eſſe illius decreti. Sed nos admonemur, ſpiritus probãdos eſſe an ex Deo ſint: ſæpe enim Sathanã transfigurare ſe in angelũ lucis. Vnde autẽ probabimus ſpiritũ decreti huius, & ex uerbo Dei? quẽadmodũ Chriſtus præcepit, Scrutamini ſcripturas. Addamus, ſi placet, uniuerſitatem, antiquitatẽ, & conſenſionem. Nam ultra ſcripturã hæ tres rationes ſunt, quibus ueritatem catholicam inueſtigandam docet uir inſignis eruditionis Vincentius Lirinenſis. Quid igitur antiquius uideri debet, & quod ab ipſis eccleſiæ incunabulis ſeruatũ eſt ad tẽpora cõcilij Baſilienſis? Nihil iam moror, neceſſario ne ſumebat calix à laicis, an uerò arbitrio cuiuſq; relinquebatur: una ne uellet ſpecie uti, an utraq;. Illud ſatis eſt huic propoſito, amplius mille trecentis annis nõ interdictum fuiſſe laicis calice Domini. Quòd ſi uniuerſitatem requiras, certè & Græcarũ & Latinarum eccleſiarum laicis, uſitatam fuiſſe calicis communionem, ſcripta ueterum tam Græcorum quàm Latinorum teſtantur: quæ multa à Gratiano in decreta, multa etiam in hiſtoriam eccleſiaſticam relata ſunt. Hodie quoq;, ni fallor, apud Græcos laicis non interdictum eſt calice. Conſenſionem quoq; in hac ipſa cœnę Domini perceptione non defuiſſe uetuſtati, definitiones & ſentẽtiæ illorũ teſtantur. Omnes enim quaſi uno ore in hoc ſequuntur Chriſti inſtitutionẽ, corpus dari in ſacramento quod pro nobis traditum: ſanguinem, qui in remiſſionem peccatorum noſtrorũ effuſus ſit: utrunq; autem accipiendum eſſe in Chriſti commemorationem. Hæc cùm cõmunia ſint laicis cũ presbyteris, certè cauſa nulla eſt cur res eis ſubtrahat, ad quos pertineat promiſsio. Horũ uerò tẽporũ cõſenſiõi de laica cõmunione, deeſt uetuſtas ſimul & uniuerſitas. Nõ enim catholicũ eſt, quod aliquot tantũ ſeculis, ſed quod inde ab eccleſiæ primordijs ſeruatũ eſt à ſanctis. Deeſt itaq; uniuerſitas interdicto & conſenſioni horum temporũ: quæ nimirũ nata ſit abhinc annis ferè centũ quadraginta, cauſis propè nullis. Nã & illas quas principiò narraſti, nihil ualere oſtẽdi minus: & quę prętera cõmemorant, leuiores ſunt & ut propter eas CHRISTI ordinatio mutetur. Certè periculo effuſionis nõ minus presbyteri obnoxij ſunt, atq; laici. Aciditas aũt ſi obeſt ſeruãdo uino, mucor quoq; nõ minus obeſt ſeruãdo pani. Cur aũt nõ potius, cùm neceſſe eſt, ſacramẽtũ cõſecrat, & aciditati obuiãdo, altera ſacramẽti pars in totũ auferet? Pręclarè Paulus ſuũ Timotheũ hortat, ut depoſitũ cuſtodiat. Quę uerba tãti facit Lirinẽſis, ut eis noua dogmata omnia cõfodiat. Cuſtodi, inqt ille, depoſitũ: hoc eſt, id quod tibi creditũ eſt, nõ quod à te inuentum:

Rationes inueſtigandæ ueritatis catholicæ.

Obiectionũ aliarũ cõfutatio.

Præclara uerba Lirinenſis.

inuentum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem nõ ingenij, sed doctri næ: nõ usurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductã, nõ à te prolatam: in qua nõ author debes esse, sed custos: nõ institutor, sed secta tor: non ducens, sed sequens. Quid tu, ô Lirinensis, nunc diceres, si audires tot excogitatas & inuẽtas rationes: quibus uerbũ & institutio CHRISTI a- pud apostolos olim deposita, deinde per manus posteris tradita, atq; ad an- nos plus minus mille trecentos à Christo nato obseruata, cõtemnit & cõcul catur? Deus hoc uoluisset, ô Vincẽti, ut uel ante ducẽtos annos nascereris: uel perdurasses ad cõciliũ illud Basiliẽse, quo ecclesia tantũ uulnus accepit: illaq; antiquitas abs te decãtata, dogmatũ exploratrix, antiquata est & pes- sundata. Ego quidẽ multis rationibus abs te traditis maximè confirmor, ut cũ omnia nouasuspectahabeã, tũ hãc calicis adẽptionẽ per iniuriã eccleſiẽla icorũ factã existimẽ: sed in primis illa formula, q; tradidisti piè uerè & doctè cõciliis omniũ tẽporũ ac ecclesiæ cũctę. Sic enim ais: Ecclesia Christi sedula ac cauta depositorũ apud se dogmatũ custos, nihil in his unq; permutat, ni- hil minuit, nihil addit: nõ amputat necessaria, nõ apponit superflua: nõ amit tit sua, nõ usurpat aliena. Sed omni industria hoc unũ studet, ut uetera sapien ter fideliterq; tractet. Et reliqua, quę tu doctissimè persequeris. Quod igit horũ tuorũ uerborũ nõ pugnat cũ laica ista cõmunione? Depositũ Christi, apostolorũ, uetustatis, uniuersitatis, & sanctæ cõsensionis pessimè custodi- tũ: uerbũ Dei permutatũ, & imminutũ: quod est necessariũ, id amputatum: quod minimè, id rationib. cõfictis iniectũ: sua amissa, usurpata aliena. Quid igit hęc aliena, noua, & ueteri ecclesię inaudita cõsequutũ sit uideamus. Om nes quicunq; uel appetũt uel bibũt poculũ Domini, pro hęreticis habentur: ex ecclesijs nostris eijciuntur: diris omnibus deuouẽtur. Siccine agit in ec clesia Dei, in regno ueritatis, in hæreditate quã Christus sanguine suo cõpa- rauit, ut bibentes preciũ illud sui, memoriãq; beneficij tanti piè celebrãtes, e- ijciantur ex hac ipsa hæreditate? At quã ob causam? propter eandẽ illã, quæ illos in hac hæreditate collocauit, sortisq; diuinę participes fecit. Quid uerò hoc mõstri, quę te res in gradu aliquo uel sanitatis uel dignitatis collocauit, eadẽ te de gradu eodẽ deiecit? Quid deniq; illud, inobedientiæ prætextũ in ea re cõstituere, in qua Christus filius Dei patri suo obediẽtiã maximè decla rauit: quã tanti fieri à suis omnibus uoluit, ut in ea pretiũ mundi propitiatio nẽq; peccatorũ cõstituerit: q; & grati animi recordatiõe percipiendã & ore bibendã suis omnib. propinauit? Ne mihi obganniat quisq;, laicis uini spe- ciẽ tantùm ademptã, nõ sanguinis cõmunionẽ. Christus est, qui utranq; spe ciẽ instituit: neutrã igitur spõsa eius adimere debuit. Et difficile est nõ crede re, cũ specie rem ademptã esse: hoc est, sanguinẽ effusum. Sanguinẽ inq; illũ, qui est preciũ mundi: qui abluit peccata hominũ: qui nisi effusus esset, pecca torũ remissio nũq; fuisset. uerè enim dixit apostolus, Absq; sanguinis effusi- one nõ fieri remissionẽ peccatorũ. Etenim si mũdi redẽptio absq; sanguinis effusione fieri potuisset, nunq; filius Dei sanguinẽ suum effudisset. Poterat corpus uarijs tormẽtis exponere: sanguinẽ retinere. Sed & sanguinẽ effudit & sanguinẽ effusum bibi iussit. nã ut corpus uoluit edendũ, ita sanguinẽ ef- fusum bibendũ. De hac igit iniuria querũtur filij Dei, quòd à sanguine effu so prohibentur: quòd à poculo, quod CHRISTVS bibi iussit, edictis nostris arcentur: quòd qui illud bibunt, ij ab unitate ecclesiæ eijciuntur. O beatas ecclesias, quæ à nobis eiectos ad se receperint. O nos miseros, qui eos cœtibus nostris non dignemur. Qui ex illis sunt ingenijs mitioribus, quid aliud quàm bona omnia, CHRISTI exemplo, nobis precari possint? A- gnoscunt enim patrem sibi nobiscum communem esse, idem baptisma, eam dem regni cœlestis hæreditatem. Qui acrioribus, an non illi iure quo-

dam

dam ſuo mentem nobis meliorem precentur: ſeq; Hieremiæ uatis exemplo conſolentur, qui turba eorum qui dicebant non perituram legem à ſacerdote, nec conſilium à prudente, nec uerbum à propheta, ualere iuſſa: cõſciẽtia rectè factorum, ac optimæ in Deum uoluntatis ſeſe ſuſtentauit? An denicq; nobis dicere non poſſint illud eiuſdẽ uatis? Nolite fiduciã ponere in uerbis mẽdacibus, dicentes, Templũ Domini, templũ Domini, templũ Domini: Cauete, ne ſi præfractius ſanguinẽ filiorũ Dei oppugnaueritis, faciat uobis Deus quod olim Siluntę fecit, domui ſuæ. Sed feſſus ſum dicendo. itaq; ſi uidetur, finẽ faciamus. Quòd ſi tu uel contradicere noſtræ ſententiæ adhuc uoles, uel quid aliud tractare, alio die facias licebit. Mihi quidẽ uehemẽter placebit, ſi neruos omnes intenderis ſententia noſtra impugnãda. Magis enim & in hac & in omni materia ſtudendũ eſſe puto ueritati, q; noſtræ exiſtimationi. Itaq; ne parcas labori Harpage, ut tãdẽ uel me pertrahas in tuã ſententiã, uel cãdidè fatearis te accedere meæ. Profectò mihi mores iſtorũ diſplicent, qui cùm magno ſupercilio, omnia quæ quouis modo in eccleſiam irrepſerunt, confirment, leuiter de ijs quibus cauſa propriè contineatur, agunt: ac uel in loco communi de eccleſiæ authoritate cõquieſcunt: uel illud in primis iactant, in hac arena Huſſum uel neſcio quem alium uictum eſſe ante annos amplius centum, igniq; crematum: omnesq; qui ſimiliter uel hiſcere quid contra ea quæ in eccleſia recepta ſunt, audeant, uel non audiendos, uel cremandos eſſe. Quòd ſi te huius generis argumentationibus delectari putarem, nullo modo facerem, ut tecum in arenam deſcenderem. Sed quia aliſs moribus te noui præditum, ideo liberius tecum de omnibus quæ ad propoſitum pertinere uiſa ſunt, diſſerui. Fac igitur & tu, ut meo more, ſe poſita eccleſiæ authoritate, uiolentisq; igniũ probationibus tortoribus relictis, mecum ex proprijs cauſis conferas: ac uel improbes, uel aſſentiaris noſtris. Quod, ut dixi, alio tempore tibi licebit. Nunc ualeas. HARP. Et tu quoque. aliàs tecum conueniam, & uel impugnabo ſententiam tuam, uel confirmabo, uel noui aliquid adferam.

FINIS PRIMI DIALOGI.

SECVNDVS DIALOGVS.

ANDREAS FRICIVS MODREVIVS IO. ANNI HASEMBERGIO, POLONVS BOHEMO S. D. MITtitq; Dialogum, de utraque ſpecie Euchariſtiæ à laicis ſumenda, Secundum; non affirmandi, ſed diſputandi & diſcendi cauſa conſcriptum, Anno CHRISTI 1549, menſe Iunio, Pragæ.

NE HERCVLES quidem, ut eſt in ueteri prouerbio, contra duos. Mihi uerò non cum duobus, ſed cum quatuor concertandum fuit. Cum quibus uerò illis, & quantis? Tres erant epiſcopi, quartus tu: honore illis inferior, dignitate & authoritate propè par. Omnes linguarum periti, omnes omni doctrinæ genere exculti: in diuinis literis, ac ſanctorum patrum ſcriptis multum uerſati: in theologia diſceptatrice exercitatiſſimi. Cum his mihi, (ut tenes memoria Haſembergi: eras enim unus illorum quatuor) cum his inquam ſimul mihi erat diſputandum: homini cætera illis

longè

longè inferiori: causæ bonitate, ut puto, minimè inferiori. Quæ quidem res animos mihi faciebat, utin certamen hoc descendere non dubitarem. Quòd si quid desideratum est in meis responsionibus, cogitare debes, difficile esse uel fortissimo uiro, tela multorum, etiam uiribus & animis longè imparium, simul repellere. Quanto magis mihi, tot & tantorum heroum: cum quibus nulla re ingenij, doctrinæ, aut exercitationis eram comparandus? Quod igitur mihi superesse uisum est, disputationem omnem scriptura persequutus sum: ut si quid fortè subitæ disputationis celeritate parum à nobis explicatum sit, id cogitatæ scriptionis maturitate melius exprimatur. Omnium igitur, qui tum mecum disputabant, obiectiones, in quarum quidem memoriam redire potui, conscripsi, easq; uni Harpago tribui: nostram responsionem, Aratori: quos in priore Dialogo loquentes feceram. Mitto igitur & hunc Dialogum, prioris defensorem. Quem uelim legas, tuamq; de eo sententiam pronuncies. Vale.

HARPAG. Expendi quæ contra laicam communionem proximè dixisti. Nunc quid in illis desiderem, aperiundum tibi duxi. Primùm non rectè mihi facere uideris, qui authoritatem ecclesiæ segreges ab hac disputatione. ARATOR. Rectè an secus faciam, aliàs uidero. Nunc dico, qui authoritate ecclesiæ uelit niti, ei mecum nihil esse rei: qui tantum tribuam ecclesiæ Christianæ, quantum qui plurimum. Certè aliæ sunt rationes disputandi, aliæ conferendi se ad authoritatem & arbitrium alicuius. Itaque si tu ea authoritate semota, uelis de re proposita adhuc dispicere, me tibi socium adiungam libenter: sin minus, alium tibi quæras collocutorem oportet. HARP. Fiat quod uis. Tu uerò mihi confundere uideris quæstiones illas, Cur ecclesia laicam communionem instituerit? & Cur laici una specie, nullo incommodo, contenti esse possint? Etenim illius causa est, ut tollatur hæresis: huius, quòd in corpore sit sanguis.

Ad rationẽ pro laica cõmunioẽ quæ superiore dialogo primo loco tractata est, addendum.

ARATOR. Non confundo Harpage. itaque tu diligentius uelim tecum recorderis, quæ proximè luculenter exposuerim. HARP. Dixisti interea cætera, sanguinem effusum ademptum esse laicis. Hoc enim quasi syllogismo nechon quoddam, bis urgebas multis uerbis in tua disputatione. Dic igitur, Apostoli in cœna bibebant ne sanguinem effusum, an in corpore CHRISTI existentem? Certè effusum bibere non poterant: necdum enim effusio illa facta fuerat. Biberunt igitur in corpore existentem. Igitur & hodie bibitur sanguis in corpore existens. Eundem enim, & eodem modo bibere nos oportet, quem & quo modo bibebant Apostoli. ARATOR. Arduam moues quæstionem Harpage, non inutilem quam in præsentia pertractemus: nec minus partibus, quas tueris, quàm meis perneccessariam. Ad eam priusquam respondem, dogma repetendum est in ecclesijs receptum. Omnes enim concorditer affirmant, sub panis specie corpus principaliter contineri, sanguinem ex consequenti: quòd sanguis corpori uiuo insit, nec corpus sine eo uiuere possit. Contrà in poculo principaliter esse sanguinem, ex consequenti corpus: quòd sanguis uiuus esse non queat, nisi in corpore: absque corpore autem non sanguinem, sed cruorem esse. Hoc dogma esse ecclesiæ, tu ipse probè nosti. Nam & literis est mandatum, & in concionatorum ore ferè uersatur. Vt igitur quasi clauum clauo extrudamus, occurro tuæ quæstioni: abs teq; uicissim peto, Cùm sanguini in poculo principalitas ista essendi attribuitur, an sanguini in corpore attribuitur, an uerò extra corpus existenti? Si dederis, extra existenti: in eandem difficultatem tanquam foueam incides, in quam me præcipitatum uoluisti. Sin sanguini intra corpus, omnino nec rei nec sermonis natura fert, ut quod inclu datur, principaliter alicubi esse dicatur:

quod

quod contineat,ex consequenti.Est enim res continens quasi subiectum & fulcrum rei contentæ:ac in liquoribus rebusq; fluibilibus contentum, formam induit sui continentis:à quo arcetur, ne diffluat.Itaq; etiam hoc dilabente,& illud dilabi necesse est.Difficile est talem unionem inter res alias inuenire,qualis est inter corpus & sanguinem.Vtrunq; enim uel uiuit simul,uel uita deficitur simul:nec unum sine altero uiuere potest. non quidem quòd alterum alteri influat uitam,eam enim utrunq; ab anima habet:sed quòd anima corpus nisi per sanguinem,sanguinẽ uerò nisi in corpore uiuificare non queat.Cùm igitur sanguis poculi nõ sit extra corpus, sed in corpore,utiq; continetur in corpore,nõ continet ipsum.Potius igitur principalitas essendi etiam in poculo tribuenda est corpori,tanquam continenti:consequentia sanguini, tanquam rei contentæ. Corpus enim est,quod uasis instar comprehendit sanguinem:ipsumq; coercet,ne extrà abeat. Vides ijsdem difficultatibus teneri uos,cùm principalitatem illam & consequentiam essendi comminiscimini:qua me,cùm dixi sanguinem effusum bibi,non in corpore concluſum.Si dissolueris hunc nodum Harpage,non minus pro te ipso,quàm pro me responsum esse putabo: sin mihi rem permittis,dicam hoc in intelligentiam humanam cadere nõ posse,ut aliquid bibi putemus,quod ex re ipsum continente non effundatur in os bibentis.Neq; igitur sanguinem bibi,nisi ex corpore in quo est inclusus,effundatur. Cùm ergo audimus Christum iussisse sanguinem suum bibi:re ipsa inquam bibi,non ullis metaphoris:deniq; bibi & eo ore quo res bibimus alias,& eum sanguinem quo abluit peccata mundi,quis non mox animum refert ad effusionem ex corpore continente,in os bibituri?
Quid igitur prohibet,quo minus dicamus bibi sanguinẽ effusum:cumq; laicis adimitur poculum,adimi etiam eis sanguinem effusum:Ipsa enim bibitionis notio non potest non offerre cogitationem alicuius effusionis.
Quod & Christus testatur,cùm dicit:Bibite sanguinem,qui pro multis effunditur. At dices,nondum sanguinem,cùm illud loqueretur,effusum fuisse. Audio. Verũtamen Christum quoq; audiendum puto, dicentem: Bibite sanguinem,qui pro multis effunditur. At dices,nondum sanguinem,cùm illud loqueretur,effusum fuisse. Audio.Verũ tamen Christum quoq; audiendum puto,dicentem:Bibite sanguinem qui effunditur.
Omnino uult,ut bibentes referant animum ad sanguinem effusum. Aut igitur nusquam bibitur sanguis effusus,aut ex hoc poculo bibitur.Vides sudare me laborantem,ut & hanc sanguinis effusi bibitionem defendam: & illas essendi principalitates consequentiasq; non offendam. Quòd si hæc tibi argutiora magis quàm ueriora uideantur,per me licet omittamus hæc omnia:simplicissimeq;, & ad intelligentiam magis (ut opinor) appositè dicamus,Christum uoluisse non tantùm sumi sanguinem in carne comedẽdo,sed etiam ex poculo bibendo:cùm diceret,Comedite,bibite. Vos utcunq; causemini non adimi sanguinem laicis,quem in corpore sumant comedendo:certè tamen res ipsa indicat,adimi eis bibitionem sanguinis ex poculo,quam Christus seorsim fieri uoluit,dicendo,Comedite, bibite. Atq; utinam Christi institutum discipulis suis seruare liberum esset:non ueniretur ad illas subtilitates.Nõ ignorauit Christus,se uiuum corpus dare discipulis suis,sanguinem quoq; uiuum præbere. Neq; tamen permisitè hæc sumi uoluit:sed discretè tum corpus comedi,tum sanguinẽ bibi.Includatur quantumuis et sanguis in corpore,& corpus in sanguine: Christus tamen est qui separatim comedi iussit,separatim bibi. Hæc & admiranda sunt,et adoranda:in his pacatissimo animo conquiescendum, potius quàm disputationes ex media philosophia de corporis & sangui-

nis uiui inſeparabilitate ac perpetua miſtione introducendæ. quarum tandem obtentu Chriſti inſtitutio lege lata uel mutetur, uel ex parte abrogetur. atque ex eadem illa lege, non obedientes quidem ſchiſmatici hæretici ue pronuncientur: obedientes autem tanquam filij Dei commendentur. deinde illa eadem lege, alij ob cordis ſui duriciam ſoluantur: alij in obedientia catholicæ eccleſiæ contineantur. Egregiam uerò obedientiã eius rei, quę cõtra ſcripturas ſancita ſit, ratiõe uel nulla, uel leuiſſima, et quę olim è medio ſublata ſit. nullius eſt enim Chriſtianorũ, qui hodie putet mortuũ corpus in euchariſtia dari. HARP. Chriſtus apoſtolis tantùm præcepit ſeparatim bibi, non alijs. Itaq; abrogatione illa nihil laicis ademptum eſt, ad quos inſtitutio illa non pertineat. ARAT. Nõ igitur pertinet cœna Domini ad alios Chriſti diſcipulos? HARP. Nõ prorſus. Etenim in cœna data eſt apoſtolis poteſtas conſecrandi, offerendi, diſtribuendi: quod non pertinet ad laicos. ARAT. De eo quęro quod Chriſtus dicit, Comedite, bibite. Pertinet hoc ad laicos, an non? Si pertinet, debebunt & comedere & bibere ſeparatim: ſin minus, ut arcentur à bibẽdo, ita arcebuntur à comedendo. Deinde ſi illa inſtitutio ad laicos non pertinet, an nulla eſt alia, an uerò aliqua quæ pertineat? Nullam quidem eſſe, opinor neminem dicturum, niſi qui ſentit, omnibus qui laico cenſeantur nomine, libe rum eſſe illa prorſus abſtinere. Quæ igitur eſt, quæ laico imponat neceſſitatem ſumendi? non cœna Emauntana, in qua nulla ſit præcipiendi ratio, ſed ſola narratio. Et certè quo nomine hæc ad inſtitutionem laicæ communionis traheretur, eodem & illa ad mare Tiberianis, in qua Chriſtus porrigebat apoſtolis et panem et piſcem. Etſi autem ad Tiberiadem benedictionis nulla eſt mentio: tamen benedictionem à Chriſto omiſſam unquam fuiſſe, adduci non poſſum ut credam. Nam ſolenne Chriſto erat, ut manducando gratias ageret, benediceret, hymnum recitaret. Sed ne plura. Vides, ad Tiberiadem panis tantùm mentionem fieri: an deerat potus? Quòd ſi ibi panis eſt corpus Chriſti, certè apoſtoli tũc unam tantùm ſpeciem ſumpſere: ſiquidem poculum deerat. Sed fortè dices, tũc eos non ſacrificaſſe. Ne in cœna quidem Hieroſolymitana ſacrificabant: ſolo ſcilicet Chriſto tunc ſacerdotis officio fungente. Si uerò ad Tiberiadem panem porrigendo, poculum quoq; eum porrexiſſe putandum eſt, cur non Emaunti etiã? Si illic panis nõ eſt corpus Chriſti, cur hîc eſt? Et hîc quidẽ ex fractione cognoſcunt diſcipuli Chriſtum: at et ad Tiberiadem ex indicatione dexteræ partis nauigij, ubi copia eſſet piſcium ingens, nihilominus eundem cognoſcunt. Quorſum igitur tam multa? Quia cœnæ iſtæ & ad Tiberiadem & Emauntana, obſcuriores ſunt, quàm ut ex eis inſtitutio laicæ communionis elici poſſit: quam uis communio ipſa eliciatur. Deinde quocunque te conuertas, uel nullam inſtitutionem cœnæ myſticæ ad laicos pertinentem inuenias, uel eam ſolam inuenias quæ in cœna Hieroſolymitana fuit: cùm Chriſtus diceret, Comedite, bibite. Quòd ſi hæc eſt, tam igitur bibendi poteſtas laicis facienda eſt, quàm comedendi.

HARP. Illud eſt ab omnibus decantatum, comeſtionẽ bibitionemq; neceſſariam eſſe Chriſti paſſionem repræſentantibus: non etiam ſumentibus. ARAT. Sed hæc à uobis decantãtur modis parum conuenientibus ſcripturis. Nõ enim Chriſtus dicit, Comedite bibite, in repręſentationem mortis meæ: ſed, In memoriam mei. Memoriam porrò mortis Chriſti præſtant non ſoli repræſentantes, ſed ſumentes etiã. Certè nõ ſine ſumma uanitate (grauius enim non libet lòqui) ſolis repręſentantibus comeſtio & bibitio attribuitur. HARP. Tu tamen præter rem facere uideris, cùm panẽ cœnę Emauntanę ſynecdochicè interpretaris, partẽ ſcilicet pro toto

Inſtitutio ſacramenti euchariſtiæ ſecundo loco adducta, tractatur.

Repræſentatio.

Ad exempla tertio loco adducta, addendum.

toto. Nam & Augustinus huic reclamat: et Lucas dicit, post fractionem panis Christum STATIM euanuisse: & in articulis fidei figuris non est locus.

ARAT. Quasi & ego dicere non possim, præter rem à uobis fieri, dum panis nomine corpus ibi intelligendum dicitis. Hoc enim si negem, quibus rationibus conuinces? An quia Christus benedixit? Illum uerò benedixisse semper, gratias egisse, hymnum recitasse quoties manducabat, etiam cùm cœnam mysticã non daret, uerisimile est, et historia euangelica sæpe testatur. An quia oculi aperti sunt discipulorum, ut Christum cognoscerent? certè eum cognoscebant ex alijs quoque signis & miraculis: ut iam dixi de indicatione illa piscium, ad mare Tiberiadis. Sed mittamus id: fateamurq; Eucharistiã esse administratam. Reprehensio tamen tua interpretationis synecdochicæ parum ualet. Primùm de Augustino, quem ut concedam loca illa de eucharistia (tametsi id non habeam compertum) esse interpretatum: tamen synecdochen eum ibi negasse, adduci non possum ut credam. Puto etiam, quòd de quodam hæreticæ prauitatis magistro audiui, cùm diceret non in omnibus se authoritatem Augustini sequi, idem mihi nouitio licere: resq; eiusmodi ex scripturis demonstrari debere potius, quàm ex interpretibus: more scilicet illius magistri. Quòd addis, Lucã dixisse STATIM: hoc ibi nõ legitur. sed tantùm, Et ipse euanuit ex oculis eorum: hoc est, illis non animaduertentibus, et nihil tale cogitãtibus, disparuit. quemadmodum si quis dicat: Sumpto cibo subduximus nos ex oculis omnium. Hoc an tantæ celeritatis erat, quo minus potus sumi posset? Frequentes sunt eiusmodi locutiones in hominum sermonibus: à quibus sæpe scriptura non abhorret. Vos fingitis illud STATIM, quasi tanta fuerit discedendi festinatio, ut comedentes à bibendo abstraheret: aut quasi conuiuantium distincta sint tempora comedendi & bibendi. Deinde dicis, In articulis fidei locum non esse ullis figuris. Ego uerò spiritui sancto loquendi formam præscribere non possum, quando ille figuris uti uelit, quando non. Illud planum est, in locis de quibus loquimur, nullum fidei articulum nouum tradi, sed rem prius institutam celebrari & iterari. Quòd si tu uniuersè uelis loqui, nullis figuris uti spiritum sanctum in rebus fidei, id ex multis locis falsum potest demonstrari. Ioannes dicit, Verbum caro factũ est: an non caro ibi pro homine? & tamen hoc est fidei nostræ fundamentum, filium Dei factum esse hominem. Idem dicit, Spiritum qui credat Iesum Christum uenisse in carne, ex Deo esse. Sed quid opus pluribus? cùm quidem in loco Lucæ nihil noui instituatur, sed res prius instituta usurpetur. Tibi uerò quid placet, illud quod dixi res controuersas magis ex ijs locis definiendas esse, ubi ex instituto de illis agatur: non ex ijs, ubi obiter & quasi in transcursu? HARP. Nunc hoc missum faciamus. ARAT. Quid autem illud, meliorem esse rationem hæreticis occurrendi interpretando, quàm interdicendo? HARP. Res quidem necessarias ecclesia interdicere non potest. ARAT. Tu uerò petis principium: quodq; probandum est, id sumis. disputatur inter nos, an uel cõtra Christi præceptum de bibendo, uel contra libertatem bibendi, olim Christi discipulis permissam, licuit cuiquam: ut poculum laicis adimeret? HARP. Imò quæ sunt libera, de ijs potest ecclesia constituere, uel adimendo, uel præcipiendo. ARAT. Quibus rationibus id dicis? Memini sti enim similia quæ ad id probandum adduxeras, à me confutata esse. HARP. Non in hoc à me producta fuere, ut uellem illa prorsus similia esse: sed ut ecclesiæ authoritatem confirmarem. ARAT. Tu igitur dissimilitudine confirmas aliquid? Quasi dissimilitudo non destruat rem potius, quàm

Similitudines priore dialogo cõfutatæ, adhuc exagitantur.

construat. HARP. Ignorâs ne tu, similitudinem esse nullam, quæ quatuor pedibus currat. ARAT. Esto: sed tamen eo pede currat necesse est, quo procedat ad metam. Sin quo debeat pede non curret, nunquam eò perueniet, quò intendit. Vestra similia currere debebant ad confirmandam interdictionem speciei alterius. Quę autem in illis significatio est uel interdictionis, uel abrogationis? Dauid edit panes propositionis, solis presbyteris lege destinatos. Apostoli in nomine patris & filij & Spiritus sancti baptisare iussi, in Christi nomine baptisant. Sabbatum lege institutum in diem Dominicũ mutatũ est. Licet igitur, ut ecclesia interdicat laicis poculo sacramenti. Agnoscis argumentationes usitatas, ex similibus uestris ductas. Vtrum uerò hoc est confirmare ecclesiæ authoritatem, an eandem infirmare: animosq; hominum, qui prius in illa conquiescebant, debilitare? Ego quidem scio nonnullos esse, qui ex eiusmodi assumptionibus dubitent de conclusione: quos tamen ecclesiæ nomen in officio contineat. Hoc qui hodie non uidet, parum uidet: qui, cùm uidet, defendit, parum pius mihi esse uidetur. HARP. Omnino mihi uidetur esse hominis superbissimi, ea uelle conuellere, quæ sunt seu de laica cõmunione, seu de quauis re alia sancita in cõciliis, cõsensu totius orbis Christiani. HARP. Ego uerò nõ conuello, sed disputo: nec legislatorẽ ago, sed disputatorem. HARP. Qualis uerò disputator iste, qui authoritatem ecclesiæ diuellat ab eo, à quo non sit diuellenda? Omnino qui pertinaces sunt tuenda hac sententia, digni sunt in quos scribant inquisitores sententiam.

ARAT. Tibi, ut uideo, pertinaces sunt, qui non eant in tuam sententiam: quamuis nec scripturis uicti, nec rationibus. Mihi contrà loqui quid libet, nullo delectu, tantùm ut uictor uidearis, authoritatemq; uendites tuam, temeritatis & arrogantiæ esse uidetur, minimè ferendæ. Ægrè fers, in ecclesiæ authoritate me conniuere. Quasi ulla disputatio esset, si ita ecclesiam faceres loquentem,

Hoc uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.

Ego uerò de causis & rationibus interdicti, disputare tecum uolui. Quas quidem iam in orbe Christiano non existere, planum est. Quis enim est Christianorum hodie, qui corpus mortuum dari in sacramento existimet? Quantus autem numerus eorum, qui hac interdictione à Christi instituto discessum esse affirment? apud quos nullæ istæ defensiones sunt. Concilium iussit. Iubeat: modò cathedræ, in qua debet sedere, ambitu & complexu se contineat. Sin extrà prodeat, & ad cathedram pestilentiæ deflectat, ab eius fermento abstinendum. Ab unitate ecclesię non est discedendum. An potest iucundior ac solidior esse, appetiq; unitas, quàm ecclesiæ: non quidem temporis unius, sed illius uerè catholicæ, quæ iam inde ab initijs sumit exordium: in qua uel necesse erat comedentes bibere, uel ut uos dicitis, cuiusq; arbitrio permissum? In ecclesia cui præest Rom. pontifex, manendum est, in qua sit summa consensio. Hoc ne Pighius quidem dicere auderet: qui catholicæ ecclesiæ dogmata defensurus, mox in ipso religionis summo capite, ex quo pendet cognitio nostri, uiriumq; & facultatum nostrarũ omnium, ab omnibus ferè disiunxit se, qui ante illum de peccato originis scripsere. Videmus etiam Hieremiam se ab illo cœtu segregasse, qui ordinariam habuerit successionem: qui confidentissimè dixerit, non perituram legem à sacerdote, consilium à prudente, uerbum à propheta: cui pontifex ille præfuerit, apud quem summũ iudicium erat.

Iam quid agatur istis defensionibus ab ecclesię authoritate ductis, uelim ab omnibus intelligi. Agitur de decretis ecclesiæ, & sententijs sacris literis mandatis, utræ alteris sint præferendæ. committuntur traditiones omnes,

omnes,quæ titulo eccleſiæ commendantur, cum ijs quæ à Chriſto uel inſtitutæ,uel arbitrio cuiuſq; permiſſæ eſſe dicantur.præfertur authoritas eccleſiæ uerbo Dei:hoc eſt,ſtructura ſuo fundamẽto,palmes uiti. Et addun tur expoſitiones bellæ: litera occidit,ſpiritus uiuificat: hoc eſt,quod in libro ſcriptum eſt, id occidit: uox quæ in eccleſia auditur,ea uiuificat. Si qui uel diſputandi cauſa contradicant, mox audiunt quod Helias ab Achab audiuit, Tu es qui cõturbas Iſrael? aut expectare iubentur,dum de re omni, quantumuis perſpectiſsima,ad concilium referatur: quemadmodum neſcio quis imperator Romanus ad ſenatum retulerat de eo,an Chriſtus inter deos eſſet referendus. Vides quæ difficultates ſubeundæ,qui labores exhauriendi,quot & quãti labyrinthi ſuperãdi eſſent,prius quàm ad rem ueniretur,ſi ex eccleſiæ authoritate diſputandum foret. Feci igitur ſi parum,ut tibi uideor,ſeuerè,non tamen omnino diſſolutè,qui eccleſiæ authoritatem ab hac diſputatione ſeiunxerim. Hoc ſi tibi paradoxon uidetur: non eſt tamen uſq; adeò abſurdum, quin inter petita aut poſtulata (ut dialectici loquuntur) numeretur.faciunt enim hoc mathematici,ut non omnia mox doceant:ſed quędam ſibi concedi poſtulent,quò maiore compendio eò perueniant,quò propoſuerunt. Hac ego lege in hoc certamen tecum deſcẽderam.cuius tu oblitus,inquiſitorũ mihi ſententias denunciare audes. Vale igitur cum magiſtralibus iſtis ſentẽtijs,& ſententiarijs tuis.Ego non committã,ut ad eundem lapidem deinceps impingam.

FINIS SECVNDI DIALOGI.

Si quid deſideratur in hiſce Dialogis, legantur ea quæ ſcripſit author in libro de Eccleſia.

ANDREÆ FRICII MODREVII DISPVTATIO DE VERBIS DIVI PAVLI I. CORIN. VII.

Bonum eſt homini uxorem non tangere,&c.

FRICIVS LECTORI S. D.

ANimaduerti uiros quoſdam doctos in ea opinione eſſe, ut putent Pauli uerba, BONVM EST HOMINI uxorem non tangere,ſed propter fornicationem unuſquiſq; habeat uxorem ſuam, de ſolis coniugibus accipienda eſſe.quaſi bonum illis ſit,ab uſu coniugij omnino abſtinere:& tamen ſi fornicationem uitare non queant, cuique cum coniuge ſua conſuetudinem licere habere. Contrà alios diuerſam ſequi ſententiam,priorem q; uerborum illorum partem cœlibibus attribuere, bonum ſcilicet illis eſſe, uxorem commercio in totum temperare, qui ab illecebris uenereis nihil ſibi metuant:alteram ijs,qui libidini æſtuanti reſiſtere nequeant, ut hi uel uxorem ducant:uel ſi iam duxerunt, utantur ea quemadmodum ius coniugij poſcit. Qui priorem ſequuntur ſententiam, ſe theologos uocant: quos ſecundam uident tueri, eos per contemptum rhetores appellant, magnam q; eorum in hoc cæcitatem deteſtantur. Verùm cùm nobis ſecunda hæc ſententia magis probaretur,periculum facere uoluimus, num eam probabiliter poſſemus tueri: commentationem q; noſtram ſcripto mandauimus,ſi qui forte eam cognoſcere uellent. Prodeſt autem hominibus ſtudioſis,in eiuſmodi argumentis uerſari:ut quid propriè dicatur,quidue minus,intelligi poſsit.Multas enim uul

gus quasi extriuio arripit interpretationes, parum quidem explicatas, sed quæ ab authore alicuius nominis profectæ sunt. In cuius tandem sententiam à multis itum est: non satis expensis causis & circunstantijs, quamobrem ita dictum sit.

Vt autem commodius à nobis tractetur quod instituimus, argumentum loci illius primùm explicandum est: quod ex Pauli responsione loci illius colligamus. Videntur inter Corinthios, ut nouitios, qui primùm Christi religionem amplexi erant, cùm de rebus alijs, tum de cœlibatu & matrimonio controuersiæ quædã fuisse. Audiebant cœlibatum multis laudibus extolli: beatosq; eos pronunciari, qui se propter regnum cœlorum castrassent. Contrà uidebant, hoc uitæ genus cum magnis periculis cõiunctum esse: paucissimos semper extitisse, qui se illi addixissent: atque eos ob id male audijsse: in rebus etiam publicis Ethnicorum pœnam in eos constitutam fuisse, qui ad senectam cœlibes peruenissent: cõseruando generi humano seruire noluissent: eamq; alijs producendis operam nõ præstarent, quam illis parentes sui præstitissent. Denique in Rep. Mosis cœlibatum uix ferendum, steriles turpes & propè infames, munera & oblationes eorum in templis execrandas fuisse. Quærunt igitur Corinthij de utroq; uitæ genere, utrum tutius, & utrum alteri præferendum, aut certè, an utrunque sit Deo ex æquo gratum? Paulus ità respondet, ut cœlibatum quidem præferat: sed tamen matrimonium minimè uituperet. Ex hac responsione Pauli colligo, quæstionem fuisse de utroque. Quid enim cœlibatum attinebat laudare, si non hæc fuisset quæstio, quam dixi? Nostram sententiam confirmare uidetur frater Ambrosius Catharinus Politus, episcopus Minoriensis, his uerbis: Consuluerunt Corinthij apostolum circa iura matrimonij, quomodo illis implicari deberẽt, aut ab eo abstinere. Ad quod respondet, primò proponens fundamentum & radicem, unde elicitur penè resolutio omnium quæstionum. Dicit ergo indefinitè seu uniuersaliter, Bonum est homini mulierem non tangere. hæc ille. Nos priorem responsionis partem ad cœlibes: alteram ad uxoratos pertinere dicimus. Sic enim Paulus: Bonum quidem est homini mulierẽ non tangere: uerumtamen propter fornicationem, quisq; uxorem habeat suam. Priorem igitur partem ad eos qui careant uxoribus, pertinere, inde patet, quòd de uxoratis parum uerè, parumq; aptè diceretur, bonum esse illis uxorem nõ attingere. Quis est enim qui de re aliqua bona ita concionetur, ut finem illi contrarium ostendat, suadeatq;? Finis matrimonij est, ut uir tangat uxorem, uel prolis educendæ, uel fornicationis uitandæ causa. Qui igitur ad uxoratum habeat sermonem, non rectè dicat, bonũ esse illi finem non consequi, nec ijs medijs uti quæ ad finem perducant. Non igitur hæc uerba ad uxoratum pertinere possunt. Ad quem igitur alium, quàm ad cœlibem? Sed dicat quis, Paulum permittere coniugibus, ut ne precum tempore sese attingant. Permittit, sed non præcipit: neque est dubium, quin hoc idem eis permitteret in id tempus, quod necessitatibus Reip. impendendum esset. Certè præferẽda est charitas patriæ rebus omnibus: atq; ita & congressui thori. Sed aliud est, loqui de re ad ali quam circunstantiã contracta: aliud, de eadem uniuersa. Bonum est homini uxorato, ab uxore abstinere, dũ uacat orationi: sed nõ est bonũ in uniuersum. cœlibi uerò bonum est omnino. Cùm igitur Paulus uniuersè loquatur, bonũ esse homini mulierẽ non tangere: certè hęc uerba ad cœlibes referenda sunt: quibus bonũ est, omnino mulierẽ nõ tangere. Profectò recte dicitur finem esse præclarissimam causarũ omniũ, quę moueat efficientem ad opus, et sine qua efficiens cesset ab agẽdo. Quis unquã sanus & bonus

Valerius lib. 2. cap. 4. & Tripart. hist. lib. 1. ca. 9.

bonus uir duxit sibi uxorem, nisi uel prolis procreandæ, uel stupri uitandi causa? Huic, si quis concionetur, bonum esse ut non tangat uxorem, perin de fecerit, ac si quis homini, opes honestis artibus partas habenti, diceret, Bonum esse ei non uti diuitijs, miserorũ inopiam non leuare, non esse munificum in amicos et propinquos, sumptus nõ facere necessarios, nemini quicquã de suo liberaliter impartire: aut si quis imperatori cõcionaretur, Bonũ esse nõ pugnare pro patria: aut oratori, Bonum esse foro abstinere, causas iustas non tueri. Quid magis absurdũ tali oratione, qua homini- bus, genus aliquod uitę professis, finẽ nõ quẽ requirat illud, sed uel cõtra rium, uel aliũ quendã prædicare pergas? Neq; ego ignoro, sępe multa tem poribus cõmutari, quemadmodũ philosophum nescio quẽ ferũt, ex urbe ab hostibus capta abeuntem, auro non uoluisse uti, sed illud in mare abie- cisse: metuentem fortasse, ne, si auferre secũ illud non posset, hostis eo po- tiretur. Oratori quoq; & imperatori bono nõnunquã à suo munere ab- stinere non incommodũ fuerit: occasionem nimirũ expectantibus aliam, quàm quæ fit in præsenti, officio suo fungẽdi. At quid ineptius, quàm im peratori, oratori, hominiq; locupleti uniuersè laudare fines contrarios suę professioni? Et quãuis rei natura ferat, ut dehorteris aliquem à uitæ ali- quo instituto, laudesq; contrarium: quod & Paulum hoc capite aliquoti- es facere constat, dum cœlibatui quasi arcem dat & principatum: tamen ei qui iam amplexus sit certum genus uitæ, honestum quidem illud, Deoq; gratum, effectus alios eosq; diuersos ostendere, ad eosq; hortari, homínis est tempori & rebus, ut ne quid aliud dicam, minimè seruientis. Quòd si utriusque coniugum consensu fieret, ut perpetuò continerent, nõ equi- dem id esset, ut existimo, cum aliqua eorum iniuria. Scitum est enim il- lud, Volenti non fieri iniuriam. Multa enim fiunt citra iniuriam partium, inter quas res agitur, consentientibus illis: quæ cum summa uel utriusque uel alterutrius iniuria fierent, ijsdem dissentientibus. Quamobrem, si apo stoli, alijq; homines, ex maritis, sua uxorumq; uoluntate, facti sunt cœli- bes, equidẽ illos minimè peccasse existimandum est. Sed de huiusmodi continentia Paulum hîc non loqui, primùm inde perspicuum est, quod dicit, Ne se coniuges mutuò defraudent, nisi ad tempus, precum causa. Deinde, quia studio eorum nimiæ castimoniæ modum uult adhiben- dum esse, dicens: Et iterum congrediamini, ne tentet uos satanas. Ad hæc, quia paulo pòst subdit: Alligatus es uxori? noli quærere solutio- nem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Quòd si marito Pau- lus diceret, bonum esse illi non tangere uxorem, quid aliud quàm solutio nem illi suaderet: non suadet autem solutionem: non igitur marito dicit.

Sed quemadmodum cœlibi dicit, cui fornicationem non metuenti, bonum sit non attingere mulierẽ, ut ne quærat eam: ita marito, ut ne quæ- rat solutionem. Quomodo igitur constaret hoc cum eo, si diceret, bo- num esse marito non tangere uxorem? Posset enim quicquam esse tam absurdum, quàm ut, qui matrimonio implicato suadeat non quærere so- lutionem, ijdem eidem suadeat solutionem? Quæ enim solutio, quæ di remptio matrimonij fingi possit maior thori diremptione, qua facta tolla tur status ipse, finesq; matrimonio constituti auferantur? Quòd si tibi absurdum non uideatur, uxorato suadere diuortium, certè eadem ratio- ne cœlibi suadebis quærere uxorem. Quo quid tandem magis confu- sum fieret? quid in Christianam Rempub. introduci posset magis perni- ciosum? Huic confusioni, huic perniciei, imò huic pesti Paulus occur- rit, seu præcipiendo, seu consulendo: coniugato quidem, ne quærat diuor tium: cœlibi autem, ne quęrat uxorem. Sic enim natura rerum conserua-

tur,

tur,sic ueritas,sic æternitas,sic claritas status utriusq;:cùm quisq; contentus statu præsenti,bono,& Deo probato,non ambit alium:cùm fines & terminos sibi constitutos non excedit:cùm tuetur sua,non inuadit aliena.

Nõ iam disputo in præsenti,uter status alteri præstet:nec illud impugno, consensu utriusque coniugum fieri posse,ut in perpetuum abstineant: sed Paulum id non agere hoc loco,ubi & cœlibem & maritum cõtentum esse uult statu præsenti:ac utrunq; ius suum & integritatem retinere, id uerò contendo.Neq; enim de uniuersis attributis cœlibatus matrimoniiq; sermo nobis est institutus:sed de loco Pauli 1.Cor.7. Rectè igitur dicimus, illa uerba ad cœlibes pertinere:qui cùm carere possint mulierum consortio,bonum illis sit,si eas nunquam ducant,nunquam attingant.

Restat altera antithesis pars,quæ ad eos pertinet,qui mulieribus carere nequeant.Hos Paulus docet, ut uitandi stupri causa unusquisq; uxorem suam habeat. Sunt qui uocem SVAM ita interpretentur,ut absurdum putent,aliquem habere uxorem suam,nisi qui prius eam duxisset. Verbum autem Habere,accipiunt pro Vti:quod ex uerbis sequentibus ostendunt, cùm ibidem dicit,Vir uxori debitum reddat,uxor uiro. Sed ea expositio confutatur locutionibus uulgaribus. Sic enim imitemur Paulinam locutionem:Bonum est homini non indigere opera aliorum,impedimentisq; multis. Veruntamen propter rixas, & multas difficultates fugiendas,unusquisq; habeat & uestitũ suum,& seruum suum,& equum suum.

An qui sic loquitur,tãtùm illis loquitur qui prius habuissent et seruũ,& uestitũ & equũ:an nõ illis quoq; qui nõ habẽt,ut curẽt habere,& deinde utantur re sua:sic enim et rixas fugient,& multis difficultatibus liberabũtur. Cùm igitur Spiritus sanctus sermone usitato cum hominibus loquatur,cur non liceat ad eundem modum Pauli locum sic interpretari,ut propter fornicationẽ quisq; suam habeat:hoc est,ut utatur ea quã habet:si nõ habet,curet habendã,& deinde utatur? Ad utrosq; igitur pertinet hęc Pauli sententia,& ad eos qui iam habent uxores,& ad eos qui debent habere.Ad eos qui iam habent,pertinent uerba quæ mox sequuntur,ut uir uxori debitum reddat,& uxor uiro:nec alter alterũ fraudet,rem debitam subtrahendo,nisi forte ex consensu,tempore precationis.Ad eos qui non habent, sed debent habere, pertinent uerba paulo pòst sequentia, Melius esse nubere quàm uri. Tota hæc orationis pars partim ad cœlibes pertinet, quos præfert:partim ad eos qui continere se non possunt:ut si uxores habẽt,eis utantur:sin minus,curent habere,atq; ita utantur. Atq; addit de his ipsis matrimonio iunctis , ut ne alter ab altero discedere audeat. At Hieronymus,& quidam alij magni nominis theologi,authores sunt interpretationis illius,ex uocibus HABEAT & SVAM ductæ. Mihi uerò nõ libet consectari omnium expositiones,quæ sæpe de multis rebus & uariæ sunt,& propter uarietatem incertæ. Fateor quidem Hieronymi esse illã interpretationem,quam cùm multi alij,tum Stephanus Vintoniẽsis,Anglorum episcopus doctissimus,& multi alij sequuntur. Sed quemadmodum Vintonienſis discedit eodem in loco à sententia Hieronymi,cùm uocabulum Bonum(in illa sententia,Bonũ est homini,&c.)interpretatur:ita puto alijs idem cum causa facere licere. Nam & locutiones uulgares quibus spiritus sanctus nobiscũ agens libenter utatur, & antitheſis continentium & non cõtinentium,ostendit,interpretationem quam dixi, non abhorrere à ueritate. Iam Vintonienſis ipse antinomiã sententiarum illarum (Bonum est mulierem non tangere: &,Non bonum est homini esse soli) explicando sic inquit:Mulierem non tangere,cœlibi bonum:marito autem non bonum,qui debitum debeat.Quid apertius pro nobis dici potu-

potuit, qui illa Pauli uerba ad cœlibes pertinere affirmemus? Erasmus etiã Roterodamus in Paraphrasi, multa eiusmodi dicit, unde sententia nostra cõprobetur. Sic enim ille: Multis de causis commodum erat, in totum ab uxorũ commercio temperare: quarum usus crassum quiddam habeat, ac hominem curis mundanis inuoluat. Verùm quia indomitus & uiolẽtus est hic affectus, tutius arbitror, ut sua cuiusque sit uxor, & suus cuiq; maritus, ut uterq; alterius intemperantiæ medeatur. Hæc in summa habet Erasmus, licet uerbis plurib. Non ne in priore parte dicit, Bonũ esse cœlibem agere uitam: cùm matrimonium & ipsum, & usus eius, à sacris studijs abstrahat hominem? Et quemadmodum hîc & à statu ipso matrimonij, & ab usu optat temperandũ esse: ita in parte altera, & de ordine matrimonij & de usu loquit. Quòd si hæc obscurius dicta uideantur, audiamus uerba quibus in Annotationibus utitur, inquiẽs: μὴ ἅπτεσθαι γυναικός, nihil aliud sonat, quàm si dicas, bonum est abstinere ab uxore: hoc est, non ducere uxorem. Paulo pòst (omittimus enim ea quæ non seruiant proposito) Quæ, inquit, sequuntur uerba Pauli, indicãt hunc esse sensum, Propter fornic. autem, &c. Optimum erat non ducere uxorem: cæterùm qui metuit ne labatur in stuprum, ducat potius: & suam habeat citius, quàm alienam. Et infrà in uerbis Pauli, Vnusquisq; habeat suã: His, inquit, qui sibi permissuri essent scortationem, aut fœdius aliquod libidinis genus, imperat, ut potius ducant uxorem. Sed quia authoritas Erasmi à quibusdam eleuatur, qui eum non nisi Grammatici nomine dignantur: audiamus itaque sententiam præclari theologi Ioannis Hoffmeysteri. Votum, inquit, Pauli est, Bonum est homini mulierem non tangere. Verùm cum hoc optare possit, dare non possit, addit præceptum, ut qui continere non possit, matrimonium ineat: ne parum fœliciter quod est optimum affectans, in deteriora prolabatur. Ambrosius quoque Catharinus in uerbis, quæ suprà citauimus, planè dicit, illud indefinitè seu uniuersaliter esse dictum, Bonum est homini mulierem non tangere. Postea interpretando secundam partẽ antitheti, sic inquit: Nota etiam, esse præceptum, cum dicatur ἐχέτω, imperatiuo modo. Imperat enim apostolus non ualentibus continere, ut ducant uxorem, ne fornicentur. Quod præceptum utinam seruaretur: non autem illud admitteretur, ut qui semel professi sunt, uoto propter CHRISTVM castrati, rursum hæreticorum authoritate atque potestate detestanda aptarentur ad nuptias. Hæc ille. Nihil iam uideo aliud quod nostræ aduersetur sententiæ, quàm quòd à multis iactetur, hunc esse ab omnibus ferè interpretibus, atq; adeò Erasmo ipso ordinem Paulinæ orationis constitutum: primo loco eum de ijs loqui, qui sint matrimonio implicati. itaque nefas esse, eodem in loco mentionem facere uirginum. Quasi uerò illud non sit scriptoribus omnibus usitatissimum, cùm rem aliquam tractare instituerunt, ut uel interserant, uel præponant quædam, seu obiter incidentia, seu ad propositum nonnihil pertinentia: qualia sunt affinia, qualia item contraria: quorum comparatione res proposita illustretur. Quid igitur causæ est, cur Paulus de irretitis matrimonio loquẽs, non aliquid de cœlibibus, deq; ijs qui coniuges fieri uelint, præfari possit? Multi interpretum, qui œconomiam illam orationis Paulinæ constituerunt, eum, quem diximus, sensum uerborum esse affirmant: neque tamen de rationis splendore & amplitudine quicquam circuncidunt. Sic enim antithesin interpretantur, ut primam eius partem uirginibus dent, quæ sine metu fornicationis, castitatem seruare possint: secundam ijs, qui ad uitandam fornicationem, uel iam duxerint uxorem, uel ducturi sint. Itaq; bifariam distribuunt hanc secundam partem. Primùm dicunt loqui Paulum de ijs, qui iam matrimonio sint coniuncti, cùm præcipit, uterq; coniugum alteri debitum reddat: deinde de ijs, qui coniungi uelint, cùm ait, melius esse nubere quàm uri. Et

quemadmodum principio de coniugibus incipiens loqui, præfatus erat, Bonum esse mulierem non tangere: ita hic, cum uiduas & uirgines alloquitur, præfatur, Bonũ esse utrisq;, si sic permaneant ut ipse. Quid igitur absurdi est, si utramq; hanc sententiam de cœlibibus intelligamus? Primùm hac interpretatione sermoni uis nulla est allata: quã ab illis adhibitã ostẽdimus, qui in uerbis HABEAT SVAM, quærunt mysteria, hoc est, in scirpo nodum. Deinde tum uirginibus, tum coniugibus, tum etiam matrimonio copulandis, sua orationis pars data. Quis igitur nos hac in parte reprehendat? Absurdas interpretationes, quantum possumus, uitamus: de maiestate orationis nihil detrahimus: cœlibatui primas tribuimus: matrimonio suum locũ damus: utrisque, & coniunctis & coniungendis matrimonio, satisfacimus. Quid igit̃ desideratur in interpretatione, quam diximus? quid in ea est noui? quid inaudíti? quid non è re ipsa petitum? quid rationi non consentiens? quid scripturis sacris parum consentaneum? Neque uideo, quid nobis uitio uerti possit, nisi quòd præiudicatis quorundam opinionibus contradicamus. Verùm quia nullius in uerba iurauimus magistri, puto nobis hanc ueniam concedi oportere: ut momenta rationum pluris faciamus in disputando, quàm authoritates: præsertim cum nihil à nobis, quod quidem sciamus, in religionem peccetur, nihil in sententias Dei immortalis. Vale lector, & tuo iudicio fruere.

TOTIVS OPERIS FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN AND. FRICII DE REPVB. EMENDANDA ET reliquis libris præcipuè memorandarum INDEX.

Aaron idololatra 214
Abbatis Panormitani sentẽtia de coniugio clericorum 308
Abrahę iustificatio explicatur. 249
Absolutio 236
Accidentium ratio 374
Accusatoris officium 138
de Accusatoribus & defensoribus, tum suas causas agentibus, tum publicas 136
Achabi regis pœna 72. eiusdem pœnitentia 240
Adolescentũ studia cuiusmodi 24
Adolescẽtiæ studia consequentes ætates sequuntur 344
Adoratio Christi in sacramento cœnæ 275
Adrianus Pontifex, theologię peritissimus 216
Adriani Sexti Pontificis de ordine ecclesiastico iudiciũ. 218
Adulatorum cõsuetudo omni homini, & max. uiro principi fugienda 30
Adulatorib. cur delectemur. ibid.
Aedes ex lapide cur construendæ 55
Aedilium munera 54
Aegyptiorũ regum studiũ 29
Aequalitas inter ciues constituenda 32
Aetas prima qualiter educanda & instituenda 19
Affectus an omnes ex homine tollendi 17
Agamẽnonis ad Diomedem oratio 208
Agesilai Laconum regis præclarè dictum 30
Alexander Imperator crimen lęsę maiestatis restrinxit. 119
Alexander Magnus Aristotelis discipulus 355
Alexander Magnus cur unam tantum alteri parti aurẽ accommodarit 126
Alexandri Macedonum regis præclarè dictum 118
Alexandri Magni studium 29
Alexander Seuerus non aliter ad se epistolas, quàm ad priuatum aliquem scribi uoluit 85
Alexãdri Seueri Imp. mos 28. in eligendis rectoribus atq; procuratoribus prouinciarum 68
Alfonsi Viruesij de pœnitentię operibus sententia 238. eiusdem interpretatio Paulini loci de coniugio 294
Ananias Pontifex à Paulo incrustatus paries uocatus. 214
Ambitio, honorumq; contentio miserrima 64
D. Ambrosij facta 325. eiusdem uerba de figura panis & uini in cœna Domini. 272
Amedęus Dux Sabaudię à cõcilio in Papæ locum suffectus, &c. 215
Amphictyones 131
Ancyritanum cõcilium sacerdotibus matrimoniũ concessit 289
Animi uera magnitudo 89
Andreas Fricius ad cõcilium à rege Polonorũ delectus. 193
Andreæ Fricij modestia 192
Andreas Lubelius 199
Annulorum usus quibus Carthagini concessus 74
Apostoli an in cœna biberint sanguinẽ effusum, an in corpore Christi existentẽ 378
Apostolorum concilia 203
Apostolorum uxores 303
Apostolos baptizasse in nomine Christi 373
Archidiaconi cur presbyteris præfecti 51
Archidiaconorũ officium. 357
Areopagitæ 131. cur in tenebris causas cognoscere soliti 126
Aristocratia 11
Aristotelis dictum 210
Arrius ab episcopis trecentis exilio mulctatus 222
Arrij hæresis 223. 368
Artifices tantum ad opera magna tractanda adhibendos esse 190
Artium utilitas 5
Auaritia 53
Augustinus contra Maximinum 233
Augustinus, & multi alij, licet uotum commendent, matrimonium tamen ideo nemini interdicunt 296
Augustini ad Hieronymum literæ 227
Augustini lapsus ibid.
Augustini sententia de cœna mystica infantũ reiecta. 226
Augustini uerba de iustitia Dei 245. item de misericordia Dei 244
Aulæ mores & utilitates 23
Aulico uni Polono quatuor sacerdotia permissa 339
Aulicorum operum pręmium episcopatus ibid.
Auxentius episcopus Mediolanensis, pro hęretico habitus 214

B

Baptismus 265
Baptismi & cœnæ Domini iusta de causa neglectio, an hominem damnet 236
Baptismi uis in quo consistat. 373. quantum sese extendat 255
Baptistæ Mantuani de lege cœlibatus querela 309
Bartholomæi Latomi comparatio, inter Buceri uxorem & Eccij scortillum 297
Beatitudo uera quæ 248
à Bellatoribus quæ obseruanda 160
Bellum ad uindicandas iniurias, quæ aliter sarciri nequeunt, gerendum 157
Bellũ modis omnibus ut auertatur studendum 149
Bellum per fœcialem legitimè indicendum 152
Bellum si auerti nequeat, quid agendum 151
Bellum sit legitimum 168
Bellum ut sit fœlix, ab hominibus Deo reconciliatis gerendum 158
Belli causarum iustitia declaratur 154
Belli finis uictoria 166
Belli iusti causarum repetitio. 186
Belli iustitia & honestas 132
Belli sanctitas, & inter opera humana præstantia, multis modis ostenditur 158
Bellorum calamitates infinitæ 156. 157
Bellorum causa 363

Beneuolentia 186. quibus niti debeat 363
Beneuolentiæ uis ibid.
Boleslaus Poloniæ rex à Stanislao Scepaneo Cracouiẽ ſi epiſcopo excommunicatus 346
Bonifacij Papę ambitio, fraus, ac inſolentia 340
Bonifacij Octaui ſententia de uoto 291
in Bonifaciũ Papã elogiũ. 340
Bonorum morũ & malorum ortus 15
Bonis moribus rempub. opt. gubernari 14
Brachium regale 140
C
C. Cæſaris adulterium 81
Caina hæreſis Hieronymo improbata, ab Eccleſia recipitur 226
Caimi pœnam ſeptuplam, fuiſſe capitalem 115
Calicis interdicti cauſæ 375
Calicis uſus uetuſtiſs. ibid.
Calicis uſus, ſine ſacrificio aut conſecratione, an ſit licitus. 369
Callimachi Experientis conſilium Ioanni Alberto regi datum 36
Cambyſes in Siſamnem malè iudicantẽ, quale genus ſupplicij ſtatuerit 128
Canonici qui propriè uocari debeant 357
Canonis Aliter intellectus defenditur 304
Canones ex Gratiano citati, presbyteris cõiugium concedunt 305.306
Cantores 357
Carcerem non informare, ſed crimen 123
Carnifices 139
Caroli V. Rom. Imp. & Ferdinandi cum prudẽtiſs. & fortiſs. uiris conſuetudo 28
Caroli Cæſaris expoſtulatio cum Paulo tertio, concilij Tridentini cauſa 341
Caroli V. Imp. ſtudium 29
Caroli prudentia in bello Germanico 168
Carthaginenſes militibus ſuis uini uſum interdixerũt 165
Caſimirus regis Poloniæ filius, profeſsiõe monachus, à Benedicto Papa è monaſterio dimiſſus 307
Caſimirus rex Polonorum ex Maria uxore liberos quinq; ſuſcipit ibid.
Caſtellani, uel tribuni 170
argumentorum quæ in facilitatem Caſtitatis afferũtur, examen 313
Catechiſmus toti Eccleſiæ tradendus 344
Catonis iunioris accuſatio. 138. in petendo tribunatu impulſio 64
Cauponum licentia 52
Cauſa poſita, neceſſariò ſequi effectum 366
Celeſtinus tertius, Conſtantiã è monaſterio eductã, Henrico Sexto Federici Barbaroſſę filio in uxorem collocat 307
Cẽſores uel *νομοφύλακες* in Repub. neceſſarij 49.138
Cenſores quot in municipijs conſtituendi 51
Chalcedonenſis lex uoto caſtitatis obſtrictis nuptias prohibet 293
Chalcedonẽſis ſynodus preſbyterum à ſuo populo abeſſe uetuit 319.339
Choienius 66
Chriſtiana uita 345
Chriſtianę uitæ diſciplina quæ grauior atq; cõſtantior. 347
Chriſtianorũ helluationes ac potationes immodicæ taxantur 76
Chriſtianorum uetus mos in electionibus miniſtrorũ. 68
Chriſtianos non debere participare ſacris gentium 279
Chriſtus ad redemptionẽ generis humani cur ſanguinẽ ſuũ effundere uoluerit. 367
Chriſti corporis modus ſeruandi in ſacrarijs 276
Chriſti inſtitutio ſacramenti euchariſtiæ 368
Chriſtus utranq; ſpeciem inſtituit 376
Chriſti inſtitutionem omnem naturæ captũ excedere. 367
Chriſti mortem ad ſalutẽ æternam ſufficere 238
eorũ qui Chriſti tempore unã ſpeciem euchariſtiæ ſumebant, exempla 371
M. Cicero 61. ob uirtutem pater patrię à Romanis appellatus 329
Circumlatio corporis Chriſti in ſacramento cœnæ 276
Clemẽs Septimus illiteratus, in Papam electus 341
Clementiæ ſit locus inter arma 186
Cmethones coloni 179. eorundem ſeruitus miſerrima 181
Cœlibatus in Repub. Moſis ignominioſus 384
Cœlibatus uotum unde uioletur 291
in Cœlibatu ſacerdotum duo conſideranda 287
Cœlibem agere uitã, bonum eſſe, Eraſmi ſententia 387
Cœlibes ad ſenectã uſq; etiam cos puniſſe 384
Cœlibes ex alterius cõiugum uoluntate factos, non peccaſſe 385
Cœna Domini qualis olim fuerit 370
Cœna Domini ſub utraq; ſpecie 280
Cœnæ Domini cauſæ 282. finis ibid.
Cœnam Domini etiam laicis integrè, nõ dimidiatim exhibendam eſſe 281.282.283
Cœnam Dominicã nulli tempori eſſe alligatam 374.
in Cœna Domini, rationibus humanis amotis, Chriſti uoluntas amplectenda, qui cibo addidit potum 283.
in Colonos impuriſs. hominũ uoces 128
Communionis laicę cõfirmatio 366. ratio ibid.
Confeſsio auricularis 236
Cõfeſſio qualis eſſe debeat 221
Concilium Eccleſiam uniuerſam repræſentare 200
Cõcilium generale ex quibus nationibus præter alias cõſtare debeat 199
Concilium œcumenicum. 190
Concilium qua uia & ratione procedet 191
Concilij errores quibus argumentis tollendi 220
Concilij neceſsitas & autoritas 198.317
Concilij Tridentini mentio. 199.218
Concilio imminente, quæ portæ ſint aperiendæ 191
Concilia epiſcoporũ non eſſe generalia 203
Concilia quid requirant 212
Cõcilia uniuerſalia & œcumenica cur uocentur 201
Conciliorum concertationes quæ requirant 208
Conciones ordinariæ in templis 344.

Concubitus uterq; aduersus cœlibatum pugnat 292
Confirmatio 265
Confœderationes an cum nationibus diuersæ religionis sint licitæ 149
Concilia principum ante tempus non temerè diuulganda 40
Constantinus Cæs. 66
Constantinus concilio Niceno à se conuocato præfuit. 203
Constantini Imperatoris Romani commendatio 191
Constantinus Iuani filius 61
Consuetudinẽ honesti in moderandis affectibus prauis positam esse 15
Contritio prima pœnitentiæ pars 236
Controuersiarum rationes diuersæ 235
de Conuentib. uniuersorũ. 135
Corinthiorum quæstioni de utroq; uitæ genere Paulus respondet 384
corporis Christi modus essendi & manducandi in sacramento cœnæ Domini. 267. 268. 269. 270
Criticorum censura 298
de Curatoribus rerum uenalium & nummorum 51
Custodes 357
Cyaxaris luxuria 165
Cypriani locus de operibus. 237. Eiusdem opinio de non baptizandis & absoluendis, spiritu sancto carentibus, dãnata 226. Eiusdem sentẽtia de uirginibus Deo dicatis 292
Cyrus milites suos in cõtinentia coercuit 165
Cyrus puer 33. eiusdem ad Assyrios uictos oratio 71
Cyri responsio falsa & uera, Astyagi percunctanti data. 76

D

DArium Medorum regem, præter satrapas ac principes, etiam Danielem Hebræum, cum quo regeret, elegisse 39
Dauidis locus explicatus 258
Decani 357
Decij, uirtutis causa nobilitati 329
Declamãdi usus apud ueteres cur institutus 355
Decus uerum in quibus consistat 25
Defensoris officium 137. 138
Delationibus non temerè credendum 35
Delicta hominũ unde nascantur 95
Democratia 11
Deus uitæ scopus 342
Dei lenitas diuturna nos ad pœnitentiam, non impunitatis fiduciam excitare debet 6
Dei sermo 222
Dialectica discenda 209
Dictatoris apud Romanos summa potestas 40
Diomedes cur socium sibi ad bellum Troianum Vlyssem eligat 208
Discipulorũ Christi arma 222
Discordiæ inter ciues tollẽdæ, concordia constituenda 36
Dispensationes de laborando in Ecclesia per alios, quid incommodi pepererit 341
Diuersoria unde nomen habeant 56
Diuitum uoces 72
Domini appellatione quis indignus 31
Domino num liceat, ut aliqd adimat subdito suo 70. 71
Drabonum licẽtia uulgò mendicandi minimè ferenda 56
C. Duellius 173
Durandus argumenta quibus negatur præsentia panis, & quib. affirmatur, soluit. 274
Duronius cur numero senatorum exemptus 51

E

EBrietas apud Turcos capitalis 55
Ecclesia 223
Ecclesia prçter spiritum interpretandi uerbi Dei, etiã do num curationis habet 225
Ecclesiæ arma non esse carnalia 324
Ecclesiæ authoritas 374. ex uerbo 230
Ecclesiç bonorũ raptores qui. 359
Ecclesiæ censura, seu excõmunicatio 345. hodie prorsus negligitur 346
Ecclesiæ Christi speculator quis 335
Ecclesiæ honores atq; reditus, quibus hominibus hodie decernantur 327
Ecclesiæ ministri 348
Ecclesiç ministrorũ huius temporis, cum ijs qui primitiuç præfuerunt, cõparatio 195
Ecclesiæ potestas 223
Ecclesiæ nomine quid significetur 229
Ecclesiæ uerè catholicæ unitas conseruanda 382
Ecclesiam Christi quæ'nam euertant 197
in Ecclesia ordinaria successio qualis fieri debeat 215
Ecclesiæ occidentales sacerdotibus cur matrimonij usum interdicant 291
Ecclesiarum abusus 359
Ecclesiarum locustæ 360
Ecclesiarũ patroni quales. 348
Ecclesiastica beneficia 356
Ecclesiasticæ dignitatis officia in quæ uitia tranfierint 339
Ecclesiastica disciplina 342
de Educatione filiorum uirorum heroum 68
Eleemosyna 237
Elias Constantini filius 61
Emaunthana historia 371
Episcopatũ appetere, bonum opus 64.
Episcopus cur unus cuilibet ecclesiæ præfectus 336
Episcopus ex genere & diuitijs minimè eligendus 334
Episcopus sit unius uxoris uir 288
Episcopi electionẽ in multos dies non esse protrahendã. 337
de Episcopi electione ueterũ decretum ibid.
Episcopi munera 336
Episcopi boni conditiones & officia, ante electionem recitentur 333
Episcopi & presbyteri à quibus eligendi 331
Episcopi quid cogitare potiss. debeant 362
Episcoporum arrogantia. 206
Episcopos eligendi ratio præscribitur 331. continuatur 334
Erasmus cur à nonnullis theologis reprehensus 342
Erasmi sentẽtia, de Christi adoratione in sacramento cœnæ 275
Error paruus in principio, fit maximus in fine 375
Erroris causæ 347
Euangeliũ quid significet. 230
Euangelium an sit uox traditionis, non scripturæ ibid.
Eucharistia 265

Eucharistiæ usus an in Euangelio præcipiatur 369
confutatio quarundam obiectionum, cõtra usum sacramẽti Eucharistiæ sub utraq; specie 372
Eugenius Quartus, à synodo Basilienſi pro hæretico declaratus, & pontificatu ſuo motus, &c. 214
Euſtachius 66
Excommunicãdi modus. 346
Excommunicandi poteſtas toti Eccleſię permittẽda 347
Excommunicationis prędes qui conſtitui debeant. ibid.
Excõmunicatione qui ſint digni 346
Executores ſententiæ à iudice latæ 139
Exercitus in agros hoſtiũ primo q̃q; tẽpore educẽdi 169

F

FAcio uerbum 370
Fama & exiſtimatio in bello magni momenti 172
Fides 236.243
Fides ſola iuſtificat, an citra pietatis offenſionem ferri poſſit 247
Fidei Chriſtianę aduerſarijs arma non tradenda 212
Fidei ne ſoli, an etiã ſpei & charitati, & alijs bonis operib. remiſsio peccatorum competat 242
Fidem ex auditu eſſe 224
Fiſci prędecti q̃r eſſe debeãt 180
in Fœneratores à Romanis ſeuerius quàm in fures animaduerſum 119
Fortitudo 18.37
Fridericus Tertius Imp. fures primus ſuſpẽdio punijt 113
Frugũ caritas, ſæpe caritatem aliarum rerum efficit 51
exportationes Frugum nimiæ moderandæ 52
Funebrium orationũ mos an improbandus 88

G

GAllorum mos in eligendo rege à ſtirpe regia alieno 109
Gangrenſis concilij de presbyterorũ cõiugio decretũ. 300
Gelaſius Papa ſacramenti diuiſionem uetuit 367
uera Gloria quæ 156
de Gratia reconcilianda 91

H

HAbitare pro uti 386
Hadriani Imp. reſponſum, uiro prætorio datum 107
Hæreſium cauſæ 317
Hęretici quibus ſcripturis oppugnandi 222
Hercules cur ab Argonautis relictus 184.
Herculis rapina 81
Hieronymi Laſcij Siradiæ Palatini in re militari peritia. 168
D. Hieronymi teſtimoniũ de ſcripturæ dignitate 234
Hieronymiani argumenti examen, & ad autoritatẽ eiuſdem aliorumq; magnorum uirorum reſponſio 299
Hiſpanicus mos in electiõe iudicis municipij alicuius. 108
Hiſtoria de nobili à nobili interfecto 49. item de ſatellite ab equite uulnerato, & poſtea occiſo 48
Hiſtoria nuncia uetuſtatis 231
Hoffmeyſteri & Coruini de Auguſtini locis quibuſdam in Eccleſia receptis diſſenſio 226
Homicidium an pœna capitali, ſeu pecuniaria ſit uindicandum 43
Homicidij quatuor genera. 113
Homicidio pœna capitalis cõuenientiſs. ibid.
Homicidiaria iniquiſs. lex 39
Hominis literarũ ſtudioſi offi cium 8
Hominem renouari per baptiſmum ad imaginem Dei, quid 235
Hominib. naturaliter Dei cultus inſitus 350
Honor uerus 58
Honores an petere, uel emere, ſiue uni plures gerere liceat 58.59.63.66
de Honoribus, in quos parentibus filij, uel alij hęredes legitimè ſuccedant 68
Honoribus mandandis quid in primis ſpectandum 57
Hoſtib. aditus unde patefiat 5
de Humanitate ſubditis præſtanda 70
ut Humiles quamminimè iniurijs exponãtur, curandũ. 111
Huſsi interitus 377
Hypatianus orator 203

I

IAcobus Hieroſolymitarum epiſcopus 92
Ianizarorum mentio 172
Ieiunium 237
Ignauis & malis uiris pœnæ decernendæ 173
Imperare rectè & ordine, difficillimum 3
Imperatoris officia 167.336
Imperatores à ſynodis eccleſiarũ nõ eſſe excludẽdos. 201
Imperatorum & iudicum munera 48
Imperium amplum 154.
Imperiorum translatio & uiciſsitudo 153
Inæqualitatis inter ciues cauſæ 32
Infantes ab Herode occiſi, ſine circũciſione ſaluati credun tur 236
Inſolẽtia militum ſub tempus belli 149
INTERIM libri uerba de pœnitentia 238
Inuidentia 17
Ioannis Baptiſtæ de pœnitentia concio 244. eiuſdem reſponſum, militibus interrogantibus datum 170
Ioannis Caluini de ſatisfactionibus ſententia 239
Ioannes Laſcius 177
Ioan. Picus Mirãdulanus 205
Ioannes presbyter monarcha 200
Ioannis Tarnouij dictum illuſtre 70
Ioſua terram hęreditariã inter tribus uniuerſas partiri à Domino iuſſus ibid.
Iracundiã eſſe temperandã. 17
Irati 16
Iratorũ uultus atq; geſtus 117
Iſidorus Clarius Brixianus, monachus Caſinenſis 249
Iſocratis ſchola principes multos produxit 355
Iudicis officium 136
Iudicis præcipuæ partes 125
Iudicem eſſe neminem cauſæ ſuæ debere 128
Iudices concilij quales eligendi 213
Iudices & notarios municipiorũ in Polonia eligẽdi mos. 338
Iudicum centuriæ Spiræ & Lutetiæ conſtitutæ 131
Iudicum genera an plura, pro qualitate cauſarum & perſonarum conſtituenda 129
Iudicum rerum eccleſiaſticarum conſuetudo 126
à Iudicum ſubſellijs omnes cæteruæ, omnia arma remouenda 137
de Iudicibus & iudicijs 125

in Iudicio omni quot personę requirantur 128.218
Iudiciorum necessitas 13
Iudiciorum rarius exercendo rũ an mos improbãdus.130
Iulij Cæsaris studium 29. de uxore sua dictum 346
Iusiurandum 123
Iusiurãdum arctiss.ad officiũ debitum præstandum esse uinculum 127
ad Iurandum & testimonium dandũ qui nam requiri debeant 124
Iustificatio 241
Iustificationis & bonorũ operum controuersia explicata 247
Iustitia 31.146
Iustitia Christiana 249. duplex 245
Iustitia uirtutum clarissima 18
Iustitia Christiani in remissione peccatorum sita 248
Iuuentus ad bellandi studium quomodo exercenda 161

L

Laici cur ab utraq; specie cœnę Dominicæ nõ sint arcendi 367
Laici an ad cõcilium adhibendi 201
Lancicorunius 66
Lapsus faciles in rebus magnis 4
Lascius 66
Legati ad conciliũ quales mittendi 207.219
Leonis Imp. Rom.ad Armaũ de eligendis episcopis literæ 335
Lepsyrycerzniz Panossa 110
Legislatoris cura 101
Lex contra cõuiciatorem 143
Lex,homicidam ante 24.horarum spaciũ morte mulctari iubens,improbata 116
Legem iniustis esse positã 99
Leges à quibus emendandæ. 140. cur positæ 363
Leges de actionũ & probationum generibus, de diebus legitimis,de ferijs 121
Leges de contractib.& obligationibus 111. itẽ de dominio,& rerũ discrimine.ibid.
Leges de iniurijs quæ uerbis fiunt,aut re 111
Leges de magistratibus 107
Leges de personarum priuatarum discrimine 110
Leges in conuiciatores & percussores 112
Leges in luxum omnis generis 120
Leges in ociosos ibid.
Leges in uiolentos,adulteros, fures 112. in homicidas. 113. in reos maiestatis 118. in fœneratores, auaros, & ambitiosos 119
Leges plus ualeãt, quàm mandata principis 146
Leges quibus de causis ualeãt. 100
Leges uerbis perspicuis & rationibus additis scribãtur. 142. & de rebus similibus similes 144. item unis populis unæ 145
Legum cautiones 101.106
Legũ collatio cũ medicina.102
Legum & morũ discrimẽ 100
Legũ methodus unde sumenda 142
Legum officium 105
Legum uarietas ac distinctio. 106
Leuitę quales olim fuerint.326
Liberalitas 36. uera & germana 57. in quo consistat 103
Litera occidens 224
Literarũ studia cur frigeãt. 363
Litigantiũ certamẽ de sentẽtia iudicis sine scripto dicta, in causa propè criminosa 127
Liuius Salinator Cl.Neronem collegam cẽsoria nota persequutus 51
Lucas Aquilinus, Petricouiæ presbyteros nõ esse debere uxoratos,cõcionatus 295
C.Lucilij dictum 8
L.Lucullus ad bellum Mithridaticum profectus 355
Ludouicus, Sigismundi secundi Polonorum regis patruelis frater 187
Ludouici Hungarorum regis interitus 159. eiusdem uitæ exitus cur fuerit calamitosus 38
Ludouici Viuis prędarè dicta. 81
Lupanaria an in Repub.toleranda 78
Lutheranos principes ad concilia ritè uocari 202
Lutherana secta Euãgelica dicta 220
Lutherus quando scribere & docere cœperit 341

M

Magistratibus iusta præmia constituenda 361
Magistratum unum uni municipio sufficere 108
in Magistratum municipij alicuius quis eligendus 107
de Magistratu, qui ociosos ex ciuitatibus expellat,& in ebrios animaduertat 55
Magistratus domi constituendi,qui militum in bellũ proficiscentiũ licentiam & prędam comprimant 170
Mahometes Turcis uini usum cur interdixerit 120.165
Maiestas 119
Maledictio 217
Manuum impositio 266
M. Marius ob uirtutẽ septies consul creatus 329
Martialis scomma 137
Martianus Imperator synodo Chalcedonẽsi interfuit. 203
Martianus Theodosius 191
Martinus Beresius Aiala. 286. cœlibatum presbyteris seruandum esse cõtendit 287
Matrimonium 265
Matrimonium cum sacerdotio quomodo pugnet 291
Matrimonium quid 287
Matrimonij finis 289
Matrimonium non esse sacramentum 263
Matthias Miechonita 76
Q.Maximus 61
Mazouiæ tetrarchiæ oratorũ petitio 108
μὴ ἀπιστεῖν γυναιξὶ 387
Medicina 225
Mendacij turpitudo 86
Mercatores quales D.Chrysostomus taxet 53
Meritum quid 252
Metus 186
Midæ auriculæ à ministro intimo proditæ 60
Militaris profectionis mos à ueterib.Polonis sanctè obseruatus 171
de Militari arte & exercitatione 159
Militiæ Christianæ arma non esse corporalia 228
Militis officia 163
Milites in statuis ne sint ociosi, ludos instituant, & præmia proponant 171
Milites domesticos potius q̃ externos esse eligendos.161
Militibus cum incolarum iniuria nihil omnino concedendum 185
Monachorum studia.307.349
Monarchia 11

Monasteria 349
in re Monetaria quid considerandum 53
Monomachia quatenus concessa 90
Monopolarum nundinatio taxata 52
de Monte pietatis extruendo, & utilitatib. eiusdē. 176.177
Montis pietatis locus qualis esse debeat, & ubi 180
Mores 13.14
Morum bonorū pestes, ignorantia, & rerum malarum consuetudo 26
Morum uim maximā esse 14
de Moribus & disciplina militum 165
Moribus bonis regendā esse Rempub. 14
Moses diuinorū oraculorum primus scriptor 230
Mosen consilio Iethronis multos uiros principes ad suā administrationē elegisse 38
Mulierem non tangere, quatenus homini bonum 383. 384.388
Mulieres à publicis munerib. se abstineant 72

N

NAbuchodonosor seruus Dei uocatus 187
Nabuchodonosoris historia de eleemosynis dandis. 240
Natura humana an sit propagatione uitiata 226
Naturæ bonitatē atq; præstantiam ocio facilè corrūpi 19
Nemrothus 148
L. Neratij factum 115
Nicænum concilium, plurimorum sententijs reiectis, secundū Paphnutium decretum tulit 47
Nicolaus Papa matrimonij usum presbyteris non interdixit 290
Nicolai Papę ad Michaelē Imperatorem literæ 203
Niniuitarum pœnitentia 240
Nobilis definitio 328
Nobilibus cur munera publica & summi honores deferantur 60
Nobilitas unde ortum traxerit 329
Nobilitatis abusus 62
Noha Canaan filium seruituti addicit 71
Noscat seipsum quilibet 80
Nouemuirale collegiū quomodo constituendum 133

O

OCcasiones facere fures 150
Octauio cur Augusti nomen inditum 5
Odium 17
Officia, quæ à nobis debentur sanctis 259
Oligarchia 11
Operū merita & dignitas, quę fiunt à regeneratis 251
Operum nostrorum imperfectio 255
inter Optimates inimicitię nō ferendæ 36
Orator optimus quis 30
Ordinē sacrum matrimonio non repugnare 298
Origenis sentētia de sacrificio indesinenti ibid.
Otij incommoda 343
Ouidius cur in exilium missus 78

P

PAlatini 167.170
Panis cœnæ Dominicæ cur post benedictionem transmutatus dicatur 272
Panis cœnæ Emaunthanæ, synecdochicè intelligendus, pars scilicet pro toto 381
Panis Emaunthanus an de Christi corpore intelligendus 284
Panis & uinum in cœna Domini consecrantur & porriguntur 285
Panis & cibi nomine etiā comprehendi potum 371
Panormitani sententia 47
Papa an Romæ uel alibi resideat, nō magnopere referre 341
Papa qualis eligendus 340. & qualis hodie eligatur. 341
Papæ electio 340
Papæ studium 341
Papistę cur corpus Christi absque uini specie sumi à laicis debere statuerint 366
Paphnutij autoritas 294
Parentum in liberorū institutione negligentia taxata. 22
Partium in Ecclesia appellatio 219
Paterfamiliās 10
πάθη 31
D. Paulus cur mysterium Eucharistiæ & Christi institutionem Corinthijs proposuerit 369
Paulus quæ in episcopo requirat 334
Pauli argumentum contra Iudæos, paternum genus iactantes 326
Pauli & Barnabæ dissensio. 220. item eiusdem & Petri ibid.
Pauli factum 325
Pauli locus, Bonum est homini uxorem non tangere, explicatur 383.384.388
Pauli locus de depositō explicatus 375
Pauli locus, Melius est nubere quàm uri 386
Pauli uerborum, Oporter episcopū unius uxoris esse uirū, fusior interpretatio 302
Iulij Pauli Iurisconsulti lex 143
Pauli Tertij Papæ tyrānis 340
Pauperum curatores 56
quibus de causis Pax turbetur 147
Pacis tēpore quid agendū. 150
ad Pacem, placabilitatē & concordiā quę nos incitare debeant 95.96
Peccatum originis 241
Peccatorum remissionē absq; sanguinis effusione fieri nō posse 376
de Pecunia, neruo belli, cogenda 174
Persarum imperiū nimia seruitute, ut Athenienſiū immodica libertate, interijt 104
Petitoris officium 137
Petrus Gamratus archiepiscopus 199
Petrus Royſius Maurus 108
Petri factum 325
Petri Lombardi definitio sacramenti 263
Phaeton 33
Phariſęorum fermentum. 204.
Philippi Melāchth. locus de pœnitentia 239
Philosophus an errare non possit 92
Phœnix Achillis præceptor. 25
Picardorum seu Valdensium instituta 345
Pighius Lutheranorū dogmatum strenuus impugnator. 249
Pighij de operibus pœnitentiæ sententia 238. item de peccato originis 220.241
Pighij hæresis refutatur, quæ leuiora statuit adulteria & scortationes presbyterorū, quàm matrimonia 310
Pistorum coctorumq; peruersitas 52
Pittaci lex in ebrios 120

Pius Papa ſacerdotib. nuptias conceſsit 287
Plato ſeuerius in ciues, quàm ſeruos animaduerti cur iuſſerit 105
Platonis de uenditore & emptore lex 52
Poculum Domini ſumentes, cur pro hæreticis habeantur 376
Pœnæ exigendę à condemnatis 139
Pœnitentiæ partes 236
Pœnitentiam agere quid 240
ad Pœnitentiam ſcelerum exhortatio 187
de Pœnitentia cõtrouerſia. 236
Politia 11
Politia Moſis 12
Polonorum lex de furibus & homicidis 16. item de prætore inutili 144
Polonicos reges omnes, præter Boleslaum homicidam, dignitatem ſuam obtinuiſſe 28
Poloniæ regum electio, & imperij ratio 27
Polonorum regum laus 4
Polonorum ſacerdotũ cur nullus concilio adeſſe uoluerit 359
Polonis duplex belli gerendi ratio 174
Polydori Virgilij Vrbinatis de cœlibatu presbyterorũ ſententia 310
Populos omnes legibus aut moribus regi 13
Pontifex an Chriſti uicarius. 210
Pontifici quatenus obediendum 211
Præfectorum municipialium licentia 35
in Præfectis rerum militariũ, quarum rerum ratio in primis habenda 167
Præmia bene meritis conſtituenda 173
Præpoſiti 357
Præſidum arcium & oppidorum officia 48
Prætoris boni officium 144
Precatio 237.364
Presbyter nullus duabus eccleſijs præficiatur 319.339
Presbyterorum intentio 349
Principis boni officium 157
Principum peccata exemplo Shem & Iaphet tegẽda 218
Promiſsionis apprehẽſio per fidem 235
Prophetas cum munere docendi, uxoriæ quoq; rei uacaſſe 288
Propolarum decumarum auaritia 53
Propugnacula in finibus extruenda 150
Proſper Pontifex Romanus, ſacramenti diuiſionem uetuit 367
Prouentuum æſtimatio qualis fieri debeat 175
Prouinciæ omnes uni principi ſubiectæ, eodem modo uel contribuant, uel militent 184
Prudentia unde comparetur. 28
Prudentiæ laus 31
Pruſsiæ imperium quale olim fuerit 108
Prutenica cauſa inter Polonos & Germanos 154
Puer ab Areopagitis, quòd oculos coturnicum erueret, damnatus 24
Pueri ac iuuenes quomodo rectè inſtituantur 20
Puerorum cõfeſsio publica fidei 342
Pulcheria Auguſta 200.202

Q

Quadantenus ſatisfacere. 238
Quæſtores 180
Qualis quiſque eſt, tales alios eſſe ſuſpicatur 94

R

Ratio cur hominibus data. 100
Ratio optimi regiminis unde conſtet 33
Regeſtra 178
Regia excellentia in quibus reſplendere potiſsimùm debeat 338
Regia poteſtas cur max. diuina 27
Regnandi cupiditas in impotente ſui, inſatiabilis 5
Regnum Dei 96
ſine Religione pura & ſyncera, nihil in Repub. conſtare poſſe 6
Remulus Numanus 160
Repræſentatio 381
Res cur maiores quàm ſint, appareant 17
Repetendarũ rerum modus ac ratio 152.153
Reſpublica 146. quibus rebus conſeruetur 12
Reipublicæ definitio 10. diuiſio 11. finis ibid. præcipuum fundamentũ 5
Reipublicæ membra omnia curanda, nec ullum negligendum 32
Reipub. peſtes maximæ quæ ſint 166
Reipublicæ ſalutem & dignitatem in tribus potiſs. rebus conſiſtere 13
Reipub. ſtatus quis omnium optimus 12.
omnẽ de Repub. quæſtionem tribus potiſs. partibus contineri ibid.
Rerumpub. ſecundum philoſophos tres formæ 11
Rex non ſolum edictis & decretis, ſed & exemplo regere debet 37
Regis cõſiliarij, qui illi adſint perpetuò 40
Regis eſt, præſentẽ adeſſe conſilijs ſenatorum de Repub. 41
Regis eſt, uirtuti & dignitati omnium ex æquo conſulere 34. nullam Reipub. partem deſerere 35
Regis Polonorũ prudens dictum 155
Regem eſſe quid ſit 33
Regem negocia ſua Deo opt. max. ſedulò commendare debere 38
Regi cur ſumma poteſtas data in Repub. 39
Reges boni quibus uirtutibus inſtructi eſſe debeant. 28
Regum conſtitutorũ cauſa. 27
Regum officia 155
Regum apud ueteres tituli 32
Regibus ac principibus quid in primis cognoſcendũ 29
à Regibus qui nam libri euoluendi 28
Romanorum aduerſus Antiochum exercitus 164.
Romanorum fœlicitas in uincendis hoſtibus unde. ibid.
Romanorum mos 25. de iudicibus, qui poſt depoſitam adminiſtrationẽ, quinquaginta dies reſidere cogebantur 108
Romanorum mos in puniendis militum flagitijs 173. in ſenatuſconſultis 211
Roſomagi animãtis uorandi cupiditas 76
Cor. Ruffinus cur ſenatu motus 51

Ruteni & Boemi utraq; ſacramenti parte utuntur 286

S

SAbbatum & circunciſio cur ſint abrogata 373
Sacerdotis officio nullus, doctrina & uirtute deſtitutus, fungatur 318
Sacerdotes ex uirtute & doctrina eſſe eligendos 321
Sacerdotes non ex conſanguinitate, uel ex ullis obſequijs muneribusq;, uel denicq ex genere aut diuitijs, uocandos eſſe 322
Sacerdotes orientalium eccleſiarum uxoribus cohabitare 288
Sacerdotum ſtudia 197
Sacerdotium quid 287
Sacerdotij naturā minimè repugnare matrimonio. ibid.
Sacerdotiorum aucupia 347
Sacerdotiorum tribuēdorum abuſus 339
Sacerdotiorum fundatorum ſcopus 356
Sacramentum quid 262.264
Sacramentum cœnæ Domini quale ſymbolum 286
Sacramenti euchariſtiæ inſtitutio 380
Sacramenti tres partes 264
Sacramēti uſus ſub utraq; ſpecie ante tēpora cōcilij Conſtantienſis nulli ademptus. 286
Sacrificare quid apud ueteres. 278
Sacrificium quid 277
Sacrificium an ſit miſſa ibid.
Sacrificium expiationis ibid.
laudis, ſeu gratiarum actionis ibid.
Sacrificium miſſæ ibid.
Sacrificium ſalutare ibid.
Sacrificij duo genera ibid.
Sacrificia iuſtitiæ ibid.
Salomonis iudicium de uiuo puero, inter mulieres duas, memorabile 129
Saluianus epiſcopus Maſſiliē ſis, matrimonium presbyterorum approbauit 310
Sanctī an inuocandi 260.261
Sanguis noui Teſtamenti. 367
ad Sapientiam perueniēdi uia. 30
Satisfactio 236
Satisfactionē operibus detrahentes, quid reſpiciant 236
Satisfactionum opera 237
Saulis hiſtoria 38
Sbigneus Cracouienſis epiſcopus 215
Scholæ encomiū, & uariæ utilitates 351
Scholarū reſtitutio quomodo fieri poſsit 360
Scholas inſtituendi ratio 361
Scholarum nomen unde 352
Scholaſteres 357
Scholaſtici ordinis commendatio 355
Scholaſtici honores quib. debeantur 362
Scholaſticis hominib. qui conſulere debeant, & unde. 356
ad Scholaſticos & gubernatores rerum humanarum adhortatio 361
P. Scipio 61. eiuſdē laus 63
Scoti argumenta de tranſubſtantiatione friuola & infirma 273
Scripta diuina firmiter eſſe tenenda 229
Scriptorum conſuetudo 388
Scriptura 231
Scripturæ & uocis idem officium ibid.
Scripturarum autoritas 232
Scripturis ne an Eccleſię teſtimonio magis ſit credendū. 231
Schultetus inutilis quis 145
Secretarij regis quomodo eligendi 41
Senatus dicendis ſentētijs omnia circunſpiciat ibid. extemporalitatē uitet 42. perturbationibus animi nō obtemperet ibid. conſilia ſua omnia ad honeſtatē componat 43. aliorum honeſtis ſententijs aſſentiatur 45. quod rectum eſſe ſentiat, id loqui audeat. 46. plus ponderare ſententias, quàm numerare ſtudeat. ibid.
Senatus & equeſtris ordinis legati, cur in conſultatione Reip. regibus addantur 39
Senatus definitio ab officio. 41
Senatus officium 40
Senatū quid deceat, atq; adeò omnes conſiliarios 41
Sententiarum, ſi numerentur, & non ponderentur, pernicies 46
Sigiſmundus rex Pol. Auguſti nomen primus adeptus 5
Simonia 323
Singularia certamina an in republ. ferenda 89
Socratis dictum 68
Socratis & Stilponis uehemēs ſtudium, naturæ feritatem emendaſſe 19
Solonis Salaminij prudens dictum 111
Solonis legum ratio 32
Spiritus ſancti dona 209.212
Stanislaus Orichouius 199
Stanislai Scepanei factum 325
STATIM 381
Status tam uiri quàm mulieris quomodo conſecretur. 386
Stephanus Vintonienſis Anglorum epiſcopus doctiſs. 386
Striliconis ſcriba ab Ambroſio excommunicatus 346. eiuſdem pœna 348
Stipendia ad tempus ſoluenda 172
Stylus 365
de Subditorum officio 73
Superbiæ definitio 83
de Superbia, & gloriæ appetitione 79

T

TEmeritas 166
Temperantia 18.31
Tertiariæ ſummæ 182
Theodoſius & Valentinianus cur ſynodis epiſcoporū intereſſe noluerint 206
Theodoſius Cæſar ab Ambroſio excommunicatus 346
Theodoſius Imperator impulſu Ambroſij ſupplicia facinoroſorum in triginta dies extraxit 116
Theodoſius ſynodo Conſtantinopolitanæ interfuit. 206
Theodoſij Imperatoris ad ſynodū Epheſinā literæ 202
Theodoſiū in obtrectatores ſuos nullam pœnam ſtatuiſſe 118
Therſites 59
Thomæ Aquinatis ſententia, melius eſſe presbytero matrimonio uti, quàm ſcortari 309
Thomicius 66
Tranſubſtantiandi panis & uini in corpus & ſanguinem Chriſti modus 271
Tranſubſtantiationis nomine an panis deſitio intelligenda 272
Tributum & uectigal à principibus ſine cauſa non imperandum 183

Tributũ & uectigal Reipub. cauſa imperatum, ab unoquolibet ſoluendum 183
Troianum excidium, ac Didonis interitus, fabuloſa 152
Tu pronominis uſum prorſus amiſimus 85
Turca cum Chriſtianis bellaturus, diſcordiã inter ipſos quàm maximè optat 166
Turca ſcelerum noſtrorum ultor & punitor 187
Turcarum & Scytharum ſtratagema 163
Turcarum in Hungaria inſtitutum 36
Turcorum mos 24
Turcas habere ſcholas, in quibus iuuentus ad bella eruditur 165
Turnus Troianis mollitiẽ exprobrat 160

V

VAdia 140
Valentiniani mentio 203
M. Valerius Coruinus milites pugnaturos ad uirtutẽ hortatur 330
Veneris pictura teſtudinẽ calcantis quid deſignet 72
Veneris uſus homini Chriſtiano extra matrimoniũ omnino illicitus 77
Venetorum mos in Ducis electione 67
Verbum 223.224.225.229
Verbum caro factum eſt 381
cõtra Verbi Dei principatum, obiectionum quarundam explicatio 229
de Verborum uanitate in appellando, aſſentando, & formales epiſtolas ſcribẽdo. 85
Veritatis catholicæ inueſtigandæ rationes 375
Veritatis odium 46
Veritatem quæ præcipuè impediant 210
Veſpaſiani auaritia 78
de Veſtium luxu emendando. 74. itẽ in cibis ac potionibus 75. & re uenerea 77
Victoria parta quid agẽdum. 184
Viduas ſexaginta annorũ tantum ad miniſterium Eccleſiæ admitti 292
Vincentius Lirinenſis 375
Vini natura 75
Virginitas quibus contineatur 315
Virginitatis laudatorib. quid in primis oſtendendum 316
Virtus 364
Virtutis cultores ueros quid deceat 362
Virtutis inuidia, Reipub. & ueræ religionis extrema peſtis 209
Virtutis ueræ officium 156
ad Virtutem comparandam, aſſuefactione opus 18
Virtute, non imaginibus, cum hoſte agendum 324
Virtute potius quàm auro decus quærendum 75
Vitia tria max. peſtifera, ambitio, luxus, & auaritia, inter ſe comparantur 78
Vladislaus Sigiſmundi Polonorum regis primi germanus 187
Vladislaus ſecundus 155
Vlpiani ſententia, qua ſcripſit principem legibus ſolutum eſſe, an approbanda 141
Vlyſſes 61
Vnctio 261
Vocationi ſuæ quiſq; ſeruiat. 98
Volenti non fieri iniuriam. 385
Vota pia neceſſariò Deo perſoluenda 290
eorum qui Votis implicantur ſcopus 291
Vox quid 232
Vrias Põtifex iuſſu Achas idolis ſacrificat 214.
Vxorem non tangere, quatenus bonum homini, ex Pauli ſententia 383.384.388

X

XEnocratis & Platonis ira moderatio 17

Z

ZAchariæ cum Elizabetha coniugium quale 300
Zagorij à Parnicio cæſi cauſa. 5

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS Oporini, Anno Salutis humanæ M. D. LIIII. Menſe Auguſto.